BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLIX
E
33
NAPOLI

33

Digitized by Google

NITELA
FRANCISCANÆ
RELIGIONIS,

ET

Abſterſio ſordium quibus eam conſpurcare fruſtra tentauit ABRAHAMVS BZOVIVS.

Parenti optimæ Fr. DERMICIVS THADÆI, pius filius, S.Theologiæ Lector mutuam vicem reddit.

OPVS ACCVRATVM AC VARIVM, QVC pleraque Summorum Pontificum decreta illuſtrantur; multa ad temporum notitiam ſpectantia educuntur in lucem; alia iam olim ſtabilita confirmantur; imprimíſque eminentiſſima Chriſti Seruatoris ac Domini noſtri paupertas ſolidè & perſpicuè defenditur.

PRODIT NVNC PRIMVM.

NAPOLI



LVGDVNI,
Sumptibus Claudij Landry.

M. DCXXVII.

ILL^{MO} AC REV^{MO} DOMINO
D. FRANCISCO BARBERINO
S. R. E. CARDINALI
LEGATO EX LATERE.

FR. DERMITIVS THADÆI ORD. MIN. Reg. Obſeruantiæ Prouinçiæ Hiberniæ Sacræ Theologiæ Lector, Salutem.

ILLVSTR^{ME} AC REVEREND^{ME} DOMINE,

IN certamen venio prouocatus & vocatus, in quo iuri meo cedens, ſcutum duntaxat obtendo non gladium, & pro corpore infirmum me membrum exponens, ictus repello, non refero. Prouocauit grauis & vehemens in religionem Franciſcanam ſcriptor. Vocarunt eiuſdem inſtituti Rectores in defenſionem. Veritati pietas accedit, iuſtitia cauſam fouet, neceſſitas ceſſionem non patitur; & omnia licet occurrant in tutelam oppreſſæ innocentiæ, idoneus deſideratur aduocatus, cuius in me partes optarem, æquitati ſeruiens non gloriæ. Ne igitur cauſæ detrahat, quod ars & ingenium non conceſſit, in ſinum magnitudinis

tuæ Religionem Franciſcanam coniicio : neque enim inter omnes eius inſtituti præclaros defenſores & Patronos per orbem vniuerſum Chriſtianos Principes , qui ſe ſuaque eidem gentilitia pietate nunc,& ab antiquo deuouerunt, incertus pendere debui,aut præſidium aliunde extra familiam tuam exquirere. Sedet in cathedra Petri Vrbanus VIII. patruus tuus, merito & auctoritate Pontifex Maximus , ſub cuius vmbra hæc religio palmæ inſtar vireſcit. Aſſidet inter purpuratos Patres Illuſtriſſ. D.Antonius Barberinus alter patruus tuus eiuſdem profeſſionis & inſtituti ab ineunte ætate alumnus. Tertius ipſe vtriuſque glorioſus nepos occurris, quem Religio Franciſcana ceu vitis in eadem ſepi vicinam ſuo inſtinctu perticam amplectitur, in te non vacuum fundatoris vocabulum , ſed rem & pietatem agnoſcens parentum. Huius igitur exemplo , non abs re patronum delegi , quem iudicem etiam appellare licet, & in quo pacis belliſque iura vniuerſus orbis collocauit. Accipe igitur , Illvstrissime Princeps , tuo iure Religionem Franciſcanam,quam emaculatam altius præſidenti Vrbano patruo tuo exhibere non pigeat , ne amplius aduerſarij conculcationibus & inſultibus pateat impune. Vale.

AD

AD LECTOREM.

BONVM malum opus tuâ veniâ, LECTOR, mihi impoſitum aggredior, defenſionem Religionis Franciſcanæ matris meæ; ſi vltroneus, ſi coactus, planè ignoro. coactionem, ſi quæ eſt, Superiorum, non mea mihi induxit voluntas, quam pietas confirmauit, accedente veritatis ſtudio, ac debito, quod periclitante tanti inſtituti fama velut depoſitum vltroneus tu repoſcis, ego fideliter, ne obnoxius ſim, reſtituo. Hoc exercitationis genus à tuo fortè genio, atque ingenio alienum eſt; nec mihi vſquequaque illud gratum, in quo veritas negligentiam reſpuit, defenſionem poſcit ſeriam, ne ſilentium trahatur in conſenſum, aut diſſimulatio in conſcientiam; vbi charitas ſuadet parcendum; vbi zelus æquitatis libertate rigorem accēdit; temperantia ſuggerit moderationem, vbi denique inter tot extrema humanæ infirmitatis ea eſt præſumptio vt neceſſaria defenſionis argumenta velut in offenſiones, & lites de induſtria, & ſeriò meditata iudicentur. Hiſce periculis liberare primùm nos potuit aduerſarius offenſioni ſuperſedens, vt & nos fructuoſior teneret occupatio, & ipſum laboris certior maneret cum laude merces. Potuit, inquam, vir religioſus calamum, & operam Eccleſiæ locare, obuia quæque

notare quæ ad præfinitum Annalium conducerent ſcopum, zelum, & ſcientiam in iis colligendis,caſtigandis,ordinandis, & edendis exercere, in quibus nihil non maturum, non ſolidum ipſa rei grauitas, inquirendæ veritatis æſtimatio, & pondus admittit, ne ſacræ hiſtorię fidem non ſine damno Eccleſiæ miſceret affectus,& futilis licentia quoduis ſubmittendi in ſtylum ſordida inuentione fluens, reliqua omnia conſpurcaret; ne dicam curſim & perfunctoriè inueſtigatâ, ſed contentioſius prætericâ hiſtoriâ, quæ ſudorem & moram poſtulat, morâ valeſcit ſicut falſum nimiâ feſtinatione & incertis. Sed hæc aliis per otium in medio relinquamus examinanda; id malè me habet quòd immeritos & inſontes vexarit, quòd quietem & pacem noſtram turbarit, quòd in religionem Franciſcanam tam acerbè defixo ſtylo ex induſtria mouens ita eam propellit, ita proterit, ita lacerat, ita diſcerpit, vt non immeritò pij & Chriſtiani Lectoris offenſionem verear, neceſſitate defenſionis recenſens, quæ ille non eſt veritus perpetrare. quid dico perpetrare? quin imo publici iuris velut ex tabulis & monumentis iampridem probata facere,ante omnium oculos in contumeliam matris meæ propalare,ſingulorum gremio & manibus violentius ingerere, vt qui eidem promptas credulaſque & mentem & aures ſubiecerint, nihil in Eccleſia Dei vilius,nihil pernicioſius Franciſcana religione iudicauerint. Non eſt, quod ſingula iniuriarum capita hîc percurram, ne diffundi, quod imprudentis & imperiti eſt, ante hiſtoriam videar, & hoc infra ad ſingulos annos ex inſtituto tractetur. Concertationem initurus eius

aſſumendæ

aſſumendæ cauſam & rationem manifeſtare duntaxat cupio, ne infirmo, cuius lapſum timeo, in deſtructionem fiat magis quàm in ædificationem, dum fortè ex ignorantia neceſſariam defenſionem in zelum & contentionem ſcriptam interpretabitur, illud in nos torquens Apoſtoli, *Vbi zelus & contentio, ibi inconſtantia & omne opus prauum.* Obiiciet etiam fortè humilis profeſſionis inermem ſimplicitatem, armatam patientiam ferendis obtrectatoribus, quàm vindicandis magis aſſuetam, magis commendabilem; virtutis ſtimulos, exercendæ humilitati documenta captanda eſſe non reſpuenda; ſuſtinendas, non reddendas iniurias, conſcientiâ ſecurum perhibente teſtimonium. Hoc ipſum ego lubens confirmarem, niſi veritatis periculum & proximi detrimentum interueniret, quibus proprium lucrum præferre auaritia eſt, detrimentum eſt non lucrum, crudelitas eſt non pax, teſte Auguſtino. *Propter nos conſcientia noſtra ſufficit nobis, propter vos fama noſtra non pollui, ſed pollere debet in vobis. Tenete quod dixi, atque diſtinguite. Duæ res ſunt, conſcientia & fama, conſcientia tibi, fama proximo tuo, qui fidens conſcientiæ ſuæ negligit famam ſuam crudelis eſt*, &c. quod ſi verum eſt vel tum maximè, quando ij, qui in exemplum & conuerſionem animarum dati ſunt per inuidiam & amarulentiam periclitantur. vnde Gregorius; *Hi quorum vita in exemplo imitationis eſt poſita, debent, ſi poſſunt detrahentium ſibi verba compeſcere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant: & ita in prauis moribus remanentes, benè viuere contemnant.* Nec refert etiam dicere, quanto bonorum commodo ingenia minus temperata coërcentur; quam rationem

vindi

2.2. q. 27. art. 3.

vindicandæ famæ noſtræ reprimendæque contumeliæ priori annectit S. Thomas. Tolerantiam ergo bonam eſſe quis negabit; in præparatione tamen animi non ipſo ſemper opere à nobis exigi docet Auguſtinus, ſi quando nempe maioris boni detrimentũ non obiicitur. neque reliqua etiam, quæ in Concilio ſunt, temperamentum reſpuunt loci, temporis, perſonarum, aliarúmque qualitatum ſine quibus virtus degenerat in vitium, prudentia in temeritatem, conſuetudo in abuſum, obſeruantia in tranſgreſſionem. Quis porro ſilentium vnquam laudauit, quod fidei nocet? quis ieiunium ſuaſit quod meritum euacuat, quod mortem infert? & ſic reliqua quæ mediocritatis limites tranſeunt, nemo rectè virtutis titulo cohoneſtabit, qui rectum ab obliquo, bonũ à malo, ſalutem à pernicie diſcernet, cùm id nihil aliud foret, quàm vanitati in fraudem addere iactantiæ ſuæ idoneum fucum, & præcipites in ruinam adumbrato præmio fallaciter pertrahere. Quis porro neſcit extrema aliquando in medium ſpecietenus tranſire? negligentiam præ ſe ferre ſimplicitatem; puſillanimes venditare humilitatem; vecordiam & ſegnitiem latitare poſſe ſub indumento moderationis, charitatíſque & iuſtitiæ debitum nonnunquam ſubtrahere. Id proinde ego mihi non immeritò pacis ſimulatione, ſine offenſa Lectoris, ſine piaculo haudquaquam licere iudicauerim otium ſectari laborante matre; ad ictus & vulnera eius velut inanimatus, inſenſibilis, ingratus ſtupere, non exclamare; cum lucro vnius perſecutoris multorum ſalutem contemnere; Abrahamum Bzouium toti vniuerſo præferre; vt ei vni placeam,

Deo,

Deo, religioni Seraphicæ, quæ in hunc me qualemcumque ſtatum, velut pia mater, prouexit, ipſi denique charitati, iuſtitiæ, veritati fieri obnoxium. Abſit à me hanc rem facere; pereat mendacium, vincat veritas; pereant calumniæ, viuat Seraphica religio; pereat ſibi Bzouius, viuat Deo, viuat charitati, viuat iuſtitiæ, viuat veritati. Quæ malè confinxit, diſſoluat; ſubtrahat quæ ſubmiſit, adulterina quæ pro veris expoſuit metalla, ad limam veritatis reuocari, & ritè probari permittat; iniquæ commutationis fraudem ſalubriori negociatione pacificus reſtauret, vel certè inuitus lucrum reponat dolo ſubtractum: vt, ſi emendari, quod abſit, non velit, nocere incautus amplius non poſſit. Obiiciet ſcilicet mihi quiſpiam tempeſtiuè leges charitatis, periclitante ipſa charitate? ſuadebit charitatem vnius, pereuntibus multis; obiiciet, inquam, charitatem defendenti veritatem, quaſi veritati non congaudeat charitas aduerſante Apoſtolo? Pacis mentionem ingeret, flamma & ferro ſæuiente aduerſario? & velut ſeductor clamabit pax pax, vbi nulla eſt pax? Certè labore irrito, nullóque effectu octo continuis annis loquimur ea quæ pacis ſunt, non exaudimur; nihil aliud quàm pacem offerimus, ſurdeſcente in dies ad clamores noſtros aduerſario, clamamus, obſecramus vſque ad veritatis & iuſtitiæ, ne dicam noſtri, contemptum, ſupplices, ipſiuſque ad mentem redeuntis præſtolantes emendationem, quid iuuit? imo & plurimum nocuit, cùm & veritati iuſtam ſubtraxerit defenſionem, & ille immutabilis propoſiti taciturnitate, & patientia noſtra nequidquam pacatior factus, nec tam querela eſt reductus, quàm com-

motus, maiora in dies auſus, ad maiora digreſſus, tantum abeſt, vt libertati moderationis & æquitatis fræna iniecerit, vt libidini potius ſubdiderit calcaria. Interim Religio Franciſcana toto hoc tempore per vniuerſum orbem diſtractis pro veritate commentis diffamatur, vileſcit ad conſuetas vocationis functiones obeundas, deprimitur apud eos qui homini deferũt, & ſanctitate inſtituti & honore officij, nec aliud, quàm quod contigit, ſuſpicantur verbis ſubeſſe; quia vel ipſi veritatis inquiſitionem velut in re aliena ſpernunt, vel eam inquirere per ſe artis & ingenij expertes nequeunt. Hoc potiſſimum cauſæ fuit Superioribus Ordinis noſtri, concedente omni melioris compoſitionis ſpe, cur mihi & aliis vindicandæ religionis prouinciam hanc demandarint. Cùm alioquin quæ contra ſcripſit aduerſarius talia fuerint, vt iam ſparſa per Orbem, atque vbique promulgata contemni non deberent, nõ poſſent, aut alia ſatisfactione obliterari, quàm vel publica eorum retractatione, aut reſponſione, quæ in omnium conſpectum pro veritatis defenſione prodiret. Inurit porro hæreſes, errores, ſchiſmata, & in vniuerſum omnia pene mala, quæ inuenire potuit, aut per Eccleſiam euenerunt. Et hoc eo ſtylo, ea exaggeratione, vt in id ingenium & artem omnem accõmodaſſe videatur, nullâque pene pagina trãſeat, maximè in tom. 14. huius expers fermenti otioſa, acerbitatem acerbitate obliniuit, ſtylum rebus accommodauit, reſque verbis, ea libertate dicendi, vt indulgentię loco ducamus, ſi quando commentitia ſcelera adhibito ſtyli temperamento moderatus deponat, aut inuẽtos authores fideliter reponat, cùi & eoſdem

eorum

corrumpere parum fuit, ſicut & decretales pontificias, præfixo ſuæ inuentionis argumento, ne opportuna maledicendi occaſio vel inuito excideret. Ad hæc in ſtatum noſtræ profeſſionis ſeu voti inuolat ſine vlla Eccleſiæ, Pontificum, aut fidei reuerentia, inde paulatim conſueto temeritatis progreſſu in damnatos errores prolapſus non poſuit cuſtodiam ori ſuo.

Ad eiuſmodi igitur clamores poſt octenne iam ſilentium nemo admirari debet, nemo ſuccenſere, ſi excitati quo obedientia, quo iuſtitia, quo inſtituti æſtimatio, quo nos tandem vocat ipſa veritas, accurramus, & tot victoriis onuſto ſuperflua detrahamus ſpolia; vel ſi vires & ſors fauebit æquitati, inerti noſtrorum ſimulatione iactabundum & in noua in dies prælia toruum ad ſua compellamus caſtra. In his præter iuſtitiæ & veritatis documenta præeunt etiam magnorum virorum exempla, qui famam aut ſuam, aut populi cum veritate ſimul vindicabant, in quibus enumerari etiam poſſunt illuſtres fidei olim Athletæ Iuſtinus in vtraque Apologia, Athenagoras, Tatianus Iuſtini diſcipulus, Minutius Felix, Arnobius, Tertullianus, Gregorius Theologus, Auguſtinus, Hieronymus, Bonauentura & Thomas, qui huius certaminis aleam eandem nobiſcum ſubierunt & obtrectatores qua par eſt ſeueritate corripuerunt. Quod ſi etiam mihi aliqua aſperioris, vt ita dicam, verbi digna correptio exciderit, non continuò ſubſiſtat Lector, velut ad acerbæ contentionis & animi vindicationem, ſed argumenti naturam, aduerſarij criminationes & oblatæ defenſionis conſideret neceſſitatem. Quanquam enim aduerſario ſeriò detrahenti ſeriò etiam duxe-

rim reſpondendum, id ſine acerbitate & felle propoſui &re ipſa magis quàm verbis. Quanquam nec infitias eo, aut ire poſſum, iuſto dolori nonnunquam cedendum fore,& ſine offenſa concedendum, vt inter veritatis, iuſtitiæ, & patientiæ commiſſuras reſpiret aut etiam in debitam quandoque ſuſpiret querelam. Quod ſi etiam aduerſarium omni ratione, aut veriſimilitudine deſtitutum ferocius inſultantem cum indignatione nonnunquam repulero oſtenſione veritatis, iure meo vtar, nemo id reprehendat niſi ignarus, aut iniquus: quibus abunde pro munere ſatisfecero, ſi illi offeram, vnde errorem; huic, vnde affectum deponat. Quibus ne quid ſubtrahã ipſum aduerſarium non meis ſed propriis verbis loquentem inducam, tranſcriptis, vt iacent, eius periodis, mox ad ſingula reſponſionem ſubiungam, quam tuo, benigne Lector, iudicio ex nunc ſubiicio: eam labori mercedem præſtituens, ſi aduerſarius corrigatur aut errantem alij non ſequantur, *plerumque enim dediſcit errare, cui nemo conſentit.*

Innocent. I. epiſt. 25.

Dicatur ergo verum, vt monet Auguſtinus, *maximè vbi aliqua quæſtio vt dicatur impellit, & capiant qui poſſunt: ne fortè cum tacetur propter eos qui capere non poſſunt, non ſolum veritate nudentur, verumetiam falſitate capiantur, qui verum capere quo caueatur falſitas, poſſunt.* VALE.

De Bono perſeuerantiæ cap. 16.

COPIA

COPIA LICENTIÆ *Generalis.*

FRATER BERNARDINVS DE SENIS totius Ordinis Min. Generalis, & Seruus Dilecto in Chriſto Patri Fratri DERMICIO THADÆI Sacræ Theologiæ Profeſſori Prouinciæ Hiberniæ Salutem, &c.

Excitati noſtrorum querelis propter multas illatas ſodalitio iniurias, & ſcriptas à Patre Abrahamo Bzouio contumelias, neceſſarium duximus modeſtam adhibere reſponſionem, & ſyncera expoſita veritate lectoribus noſtram patefacere innocentiam. Te autem, in quo pacatum animum, à contentionis ſtudio alienum, plenam eruditionem hiſtoriæ Eccleſiaſticæ peritiam & noſtri honoris zelum diſcretum longo experimento, & doctorum hominum teſtimonio probauimus, in hoc munus duximus aſſumendum, ſicut antea aſſumpſit Reuerendiſſimus Pater Frater Benignus Genuenſis noſter prædeceſſor, & commendandum, vt ſolidè, & modeſtè pro laudabili tua indole ſatisfaceres plenè obiectis in prædicti Patris Annalibus calumniis. Quod vt iam te laudabiliter & plenè feciſſe teſtimonio virorum prudentum, quibus opus reuidendum commiſimus, comperimus, per has noſtras patentes litteras licentiam damus, & ad meriti cumulum per ſanctam obedientiam præcipimus, vt quantocius noſtro reſtituendo honori opus hoc publici facias iuris, obſeruatis Tridentinis & noſtris conſtitutionibus. Vale & pro nobis ora. Datum Marſiliæ 24. Ian. 1626.

APPROBATIONES Cenſorum.

DE ſpeciali mandato noſtri Reuerendiſſimi Patris Fratris BERNARDINI DE SENIS Generalis Miniſtri lentè feſtinans ego inoffenſo pede percurri doctiſſimas à Patre Fratre DERMICIO THADÆI Sacræ Theologiæ Lectore elaboratas lucubrationes, quibus ipſe iuſtiſſimis titulis ab aduerſariorum virulentis iniuriis & ementitis calumniis non ſolum noſtræ Seraphicæ Religionis maternum defendit honorem: verumetiam Summorum Pontificum placita, ac ipſius inſuper Chriſti Domini arctiſſimam paupertatem, quam viam perfectionis oſtendens verbo docuit & exemplo firmauit, ea ſubtili vindicat dexteritate: vt quamuis clauum clauo truſerit, Chriſtianæ tamē ac religioſæ non oblitus modeſtiæ, prudenter ab illius diſſimili ſocietate deflexit, cuius maledictione os plenum eſt, & amaritudine, & dolo. Eas igitur ſicut hiſtoriæ veritati correſpondentes, Catholicæ fidei puritati conformes, morum honeſtati concordes, & non vulgari eruditione refertas inſpexi, ita celeriori poſſibili prælo digniſſimas eſſe putaui. In quorum, &c. Datum Marſiliæ 2. Ianuarij anno 1626.

Ita cenſeo ego FR. IOANNES BAPTISTA CAMPANENSIS *S. Theologiæ Lector Iubilatus, Ordinis Secretarius.*

ALIA.

ALIA.

VIDI cum ingenti gaudio de mandato Reuerendiſſimi Patris noſtri Generalis Fratris BERNARDINI DE SENIS defenſam à calumniis Bzouianis Franciſcanam Religionem noſtram, Reuerendiſſimi Patris Fratris DERMICII THADÆI Theologiæ Lectoris ſtudio, conſono quidem Sacræ Scripturæ, Sanctiſſimis Patribus, Pontificum Sanctionibus, necnon & fide dignis hiſtoricis: vt ſupra modum non ſolùm domeſticos, ſed etiam aduenas, & extraneos oblectare poſſe exiſtimem. Viderunt omnes opprobrium noſtrum ab aduerſario prætenſum, videant typis reſtitutum honorem, & religionem noſtram ſanctam & immaculatam. Datum Marſiliæ 4. Ianuarij anno 1626.

Fr. ANTONIVS A SALAZAR
Lector Iubilatus.

CON

CONSENSVS.

NITELAM Franciſcanæ Religionis R. P. Fratris Dermicij Thadæi prodire in lucem, typiſque mandari ego Regius in Præfectura Lugdunenſi Conſiliarius & Procurator non impedio. Die 23. Iunij, anno Domini 1627.

PVGET.

PErmittitur CLAVDIO LANDRY NITELAM FRANCISCANÆ RELIGIONIS A FRATRE DERMICIO THADÆO compoſitam typis mandari, cæteriſque typographis huncce librum in lucem mittere prohibitur. Datum Lugduni die vigeſimaoctaua menſis Iunij anno Domini 1627.

AVSTREIN.

EX

EXPOSTVLATVS BZOVIVS,

DEFENSA RELIGIO FRANCISCANA

AB IMPOSITIS INIQVE CALVMNIIS.

PROLOGVS.

Iudicij ſeries eſt, vt incipiat actor, mox audiatur reus. ne ergo cauſam protrahamus dilationibus, aut velitatione certamen, primùm prodeat aduerſarius ſeu accuſator: ego mox vocantem, & præeuntem ſequar. hoc autem ordine totius concertationis negotium terminabitur.

TOMVS XIII.

Anno 1199. num. 39.

BZOVIVS.

EADEM tempeſtate Petrus Ioannis Diœceſis Biranenſis, Ioachimi Abbatis Florenſis errores ſequutus eſt, & docuit, eáque de re aliquot libros in D. Ioannis Apocalypſim & Matthæi Euangelium edidit. Hi poſtea Summi Pontificis authoritate, multorum in Sacra Theologia Doctorum acri diligentíque examine diſcuſſi, in Curiæ Rom. ſolenni conuentu damnati exuſtique ſunt. Petrus quoque eiuſdem ann... iuſſu, è loco ſacro exhumatus, & hereticus omnium calculo & ſententia declaratus, rogóque impoſitus flammis deuotus eſt. eius hereſes ſunt hæ. Prateolus lib. 14. Elynch.

Si ex initio progreſſum coniiciamus, non rectè licet ominari; infauſto enim pede Bzouius in Prateolum offendit: in eo præualet, vt dum hic ſemel, ille bis lapſus fuerit, nimirum in præſenti, & altero tomo 14. ſub anno 1324. in eadem narratione vtrobique diſcors, nunc vnum, nunc alium ſine delectu ſequutus. Veritatem tum loco proprio differemus,

A ſufficit

Lapſus temporis ſeu chronologiæ

ſufficit id modò inſinuare, quadrageſimo octauo circiter poſt hunc anno lucem primùm vidiſſe Petrum Ioannis, qui mortuus eſt anno 1297. quinquagenarius, Bonifacij Papæ VIII. anno 3. Vindicias Petri differemus in annum 1324. quo eundem denuò Bzouius exagitat.

Anno 1216. num. 12.

B Z O V. *Parem difficultatem D. Franciſcus, vt præmonui, in ſui Ordinis confirmatione obtinenda expertus eſt: ſed cùm pari humero Baſilicam Lateranenſem cum D. Dominico ſuſtinere ab Innocentio Pontifice viſus eſſet, ad eligendam vitæ formulam dimiſſus eſt.*

Falſum.

Dimiſſum eſſe Sanctum Franciſcum ad eligendam vitæ formulam, ſiue ab Innocentio, ſiue ab alio Pontifice, merum eſt figmentum, contra omnes vitæ eius Scriptores: difficultatem autem paſſum fuiſſe in ſcriptæ à ſe formulæ impetranda confirmatione, docent Anton. 3. p. tit. 24. in principio. S. Bonauentura, Surius, Lipomanus, Marianus, Toſſignianenſis, Marcus Vlyſſiponenſ. & alij: hâc mox ſuperatâ, confirmata eſt ab Innocentio regula.

Id præter cæteros docet Innocentij ſucceſſor Honorius III. in quibuſdam literis datis anno 3. ſui Pontificatus, cuius verba ſunt. *Cùm dilecti filij frater Franciſcus & ſocij eius de vita & Religione Minorum fratrum abiectis vanitatibus huius mundi, elegerint vitæ viam à Romana Eccleſia meritò approbatam.* &c. Sed clarius in confirmatione regulæ his verbis. *Dilectis filijs fratri Franciſco & alijs fratribus de Ordine fratrum Minorum Salutem. Veſtris pijs precibus inclinati, Ordinis veſtri regulam à bonæ mem. Innocentio Papa prædeceſſore noſtro approbatam, annotatam præſentibus, authoritate vobis Apoſtolica confirmamus.* &c.

Contradictio

Quinimò & ipſe Bzouius anno ſuperiori huius confirmationis ex Surio eſt aſſertor num. 7. quæ ſubinde adducit de Chriſti oraculo ad fratres in Monte pro defenſione regulæ, ad ſecundam referri debent, quam Honorius edita bulla confirmauit, non ad primam approbatam ab Innocentio.

Ex Collectore appendicis ſummæ exemplorum miraculum refert, quod interceſſione Virginis patrauit B. Dominicus. pluribus interrogationibus dæmonem coniurat, & maximè de ſtatu & perſonis damnatorum.

Speculum exemplorũ.

B Z O V. *Subiunxit Dominicus, de Sacerdotibus & Religioſis quid? reſponderunt innumeros ſe Sacerdotes poſſidere: at verè Religioſos nullos, plurimos autem ex his, qui nulla ordinis ſui ſtatutorum habita ratione, ea per temeritatem tranſgrediuntur. intellexit hæc de fratribus ſuis Sanctus Dominicus; & quid de Franciſci aſſeclis eſſet interrogauit: tunc ad hoc renouatis vocibus, & clamoribus reſponderunt dicentes: heu, heu ex illis pro tempore nullum habemus: futurum verò eſt, vt infinitos recipiamus, cum nempe ſtatutorum & cæremoniarum rationes peſſum ierint, ipſáque deuotio refrixerit.*

Non

Non ita Collector, verba enim illa (*intellexit hæc de fratribus ſuis Sanctus Dominicus*) non ſunt Collectoris, cui ne dum iniurius eſt Bzouius,ſed & diſcipulis Sanctiſſimi Patriarchæ, inter quos nullus tum extitit tranſgreſſor regulæ, & ſtatutorum. Sed ſi fidem Collectoris ſequi voluiſſet,eadem interrogatione Dominicanos coniunxiſſet Franciſcanis. ita porrò ille: *De meis ergo & Franciſcanis quid dicitis?* quos ſimul etiam capit reſponſio. Falſatio deprehenſa.

Anno 1219. num. 16.

B z o v. *Mirum admirandum hoc anno accidit in Hiſpania apud Dominicanos Samorenſes; aliquis Dominicanus cum Minorita amico pactum inierat, vt qui primus moreretur, alteri poſt mortem appareret. Mortuus Minorita poſt dies aliquot apparuit ſtipulatori menſas ſternenti: ſéque ignem expiatorium circumgeſtare affirmauit. Dubitabat ille, cùm Minorita ad cruciatus ſui indicium, manum menſæ ligneæ craſſæ admodum impreſſit, eámque ſatis alte combuſſit. Superſunt adhuc in menſa veſtigia manus inuſtæ, & ad perpetuam rei memoriam clatro ferreo obtectæ. Fr. Anton. Senen. in Chronico Prædicatorum.*

Mirum ſanè admirandum, quàm neglectim Senenſem euoluerit. Deſcripſit factum ſub anno 1218. (non ſub 1219. vt Bzouius imponit) in deſcriptione Conuentus Samorenſis, eius fundatione, & rerum notabilium,quæ diuerſis temporibus in eo contigerunt, non quòd eo anno omnia. *Quoniam vero,* inquit, *prædictus Conuentus Samorenſis valde celebris habetur. quia præſertim nonnulla valde rara & mira in diuerſis temporibus accidiſſe deferuntur, nec video quonam loco potuerint opportunius notari, eorum hoc loco meminiſſe iuuabit.* Lapſus chronologiæ.

Meminit illius quod tranſcribit Bzouius: meminit ſanè & aliorùm non minus illuſtrium, quæ ad dicti Conuentus, fratrúmque incolentium commendationem longè amplius faciunt,quàm id quod annalibus ſuis magis dignum iudicauit aduerſarius; ideo fortè,ſi interpretari licet, quia expiationem Franciſcani in igne purgatorio demonſtrat. Vtcumque ſe habuit intentio, quod narratur eo nequiuit contigiſſe anno: pactum nempe inierunt vtriuſque tam Dominicani quàm Franciſcani Conuentus diſpenſatores, noſtri autem Samoræ primùm reſederunt anno Domini 1246. vt docet Gonzaga in Prouinciæ S. Iacobi Conuentum ſeptimum (qui eſt Samorenſis) ex Bulla Innocentij IV. data ſuper hoc Lugduni anno 3. ſui Pontificatus, qua dat facultatem Conuentus erigendi,& etiamnum in Archiuio reſeruatur Monaſterij. Erroris manifeſtatio.

Si quis autem huius expiationis cauſam ſcire velit, hanc eſſe intellexi, quia nimirum dictus Franciſcanus in commiſſa diſpenſatione negligens ex æquo non ita diſtribuebat, quin plus minúſve, nunc huic, nunc illi non tam de induſtria,quàm negligentia apponeret, eam incuriam pœnitentia non deleuit. Cùm autem hæc referenti Dominicanus non vſque adeò fidem daret, vt qui in rebus minimis tam exactam Cauſa expiationis.

haberi rationem vix crederet, Minorita extenſo palmo eundem ſigno confirmauit, & euanuit.

Anno 1220. num. 16.

BZOV. *Romam aliquando Angelus cùm loca ſacra inuiſeret SS. Franciſcum & Dominicum, qui ad vrbem venerant, vidit & allocutus eſt. cúmque illi martyrium vterque prædixiſſet, illum quoque Beato Franciſco ſtigmata prædixiſſe ferunt. eam rem Baptiſta Mantuanus his verbis expreſſit,* &c.

Mantuanus contrarium adſerit.

Non vterque, ſed ſolus Franciſcus martyrium B. Angelo prædixit præſente quidem Dominico; alius huius teſtis præter ipſum Mantuanum non eſt quærendus tranſcriptis à Bzouio verſibus. ita enim ille.

Ad tua Franciſcus ſeſe veſtigia flexis
Proſtrauit genibus, ſacris dedit oſcula plantis,
Inſuper adiecit: Salue pater Angele montis
Incola Carmeli, te mors manet inclyta, Chriſti
Teſtis eris, tibi Rex diuûm decus annuet iſtud.
Te quoque Franciſco memorant reſponſa dediſſe
Talia: ſoluendæ tanto pro munere grates
O Franciſce Deo, ſed erit tua gloria nuſquam
Inferior: tibi Chriſtus enim ſua vulnera quinque
Imprimet, & fies Chriſti patientis imago.

Mox ſubiicit de Dominico.

Dominicus Hiſpanis qui tunc veniebat ab oris,
Fortè aderat, tam mira notans præſagia Patrum.

Anno 1244. num. 6.

BZOV. *Eodem anno Fr. Adolphus olim Comes Holſatiæ Innocentium Pontificem adijt rogatum, vt ſacris initiari cum diſpenſatione Apoſtolicæ Sedis poſſet. eam permiſſione Pontificis a fratribus Ordinis Prædicatorum in hac forma reportauit.*

Vniuerſis præſentes literas inſpecturis Fr. Raynardus, & Fr. Gerardus Domini Papæ Pœnitentiarij, Salutem in Domino, &c. *Crantzius libr.* 8. *Metro.*

Crantzius falſatur.

Liberi Poëtæ atque Pictores: fingere hiſtorico non licet. Raynardum & Gerardum fratres Ordinis Prædicatorum fuiſſe, auctuarium eſt Bzouianum, reliqua habet Crantzius: nec Abbas Stadenſis, à quo hæc ille mutuauit, quidquam de ſodalitio, aut inſtituto Dominicano. Sed quid ſi ego affirmauero eoſdem Pœnitentiarios Ordinis Franciſcani profeſſores, Franciſcanos cum Franciſcano diſpenſaſſe? & quid ſi à Stadenſi Raynardum alibi dici Raynerium? non ex coniectura diſſero, ipſius enim Bzouij teſtimonium Franciſcanos hoſce Minoritano inſtituto reſtituet inſolidum ad annum 1264. num. 1. ita ille: *Apud vrbem veterem*

veterem Vrbanus IV. anno ſuperiore agens ad 15. *Kalendas Auguſti Apocriſarios, & Prædicatores Conſtantinop. ad Michaëlem Palæologum Imperatorẽ Orientis miſerat Fr. Simonẽ de Aluernio, Fr. Petrum de Moras, Fr. Petrũ de Cleriſta, & Fr. Bonifacium de Hiporia Ord. Minorum. Is porrò quòd plenariam legationem Sedis Apoſtolicæ poſtulaſſet, miſit duos Epiſcopos Gerardum de Prada* (aliàs *de Prato*) *& Raynerium de Seruis* (aliàs *de Senis*, vt ex literis Vrbani legitur) *inſtituti Minorum, qui vnà cum illis Apocriſariorum munere defungerentur, & vnionem Eccleſiarum orientalium cum occidentalibus, quam etiam Palæologus deſiderauerat, ſummo ſtudio efficerent*, &c. Raynardus & Gerardus fuêre Franciſcani.

Habes etiam ſubiectas Vrbani literas ad Imperatorem, in quibus circa finem ita Pontifex facta mentione prioris legationis de ſecunda ſcribit: *Et ecce Apocriſarios noſtros, videlicet prædictum Epiſcopum, necnon dilectos filios Gerardum de Prato, & Raynerum de Senis fratres Ordinis Minorum, pauperes vtique Chriſti ſeruos, religione conſpicuos, prouidos & diſcretos, ac nobis & fratribus noſtris gratos multipliciter, & acceptos ad Imperialẽ excellentiam de ipſorum fratrum noſtrorum conſilio deſtinamus*, &c. Hic Fr. Raynerus de Senis fuit Prouincialis Miniſter Romanæ Prouinciæ, cuius celebris eſt apud Marianum noſtrum memoria. Omitto perperam vocari Epiſcopos Raynardum & Gerardum ab aduerſario, contra literas Pontificis. Miſſio Græciam Apocriſarij.

Anno 1245. num. 13.

BZOV. *Eodem pariter anno ex Concilij Lugdunenſis decreto, ad Imperatorem Tartarorum Innocentius Pontifex quatuor ex ſacro Prædicatorum cœtu Dominicique obſeruatione, duos verò ex inſtituto Sancti Franciſci Ordinis Minorum lectos Oratores miſit: ſi gens quæ domo, horrido cœli cardine, torpentiſque naturæ ſolo profecta, bellum vaga circumferens, beatiores regiones vrgebat, imbui poſſet Chriſtiana pietate, ac ab inſita feritate manſueſieri, ne vaſtitatem orbi terrarum inferret. Prædicatorum nomina fuêre Anſelmus, Alexander, Simon, Albertus. Minores vocabantur Fr. Ioannes de Plano Carpini, & Fr. Benedictus. Iſti omnes quamquam cum magna difficultate terram Barbarorum penetraſſent, & nonnullos obices euangelicæ prædicationi ſtatim in limine offendiſſent, cunctis tamen ſuperatis, & immenſis laboribus exantlatis, innumerabiles Gentilium Chriſto adiunxerunt. Itaque cum in Scythia magnus hominum numerus Euangelium admiſiſſet, paulo pòſt multo plures illuc operarij deſtinati, Monaſteria multa inſtituta, denique res Chriſtiana feliciter prorſus adminiſtrata eſt. Habeo Hagneum authorem referentem apud Genebrardum, quòd Diuo Ludouico ad Cyprum cum claſſe anno Domini* 1249. *appellenti occurrerint Tartari quidam ab Erchalmo Principe cum literis miſſi, ex quibus S. Ludouicus cognouit Chamum Tartarorum Imperatorem Chriſti fidem anno abinde tertio, ſcilicet* 1346. *recepiſſe, & baptizatum fuiſſe cum magnatum & plebis multitudine maxima, inſtructúmque habere militem, quem in hoſtes fidei educeret. Mouerat porrò Innocentium ad eam Legationem mittendum, nonnulla ſpes concepta ex*

recenti conuerſione aliquorum in Polonia Tartarorum. Horum enim plurimi oſtento illo apud Vratiſlauiam quam obſederant à B.Ceſlao Odrouanſio perterriti, vnà cum Regulo quopiam meliore ſpiritu afflati, fratribus Prædicatoribus erudiendos ſe dederant, & Lugdunum ad Summum Pontificem adducti, ab eodem ſacræ vndæ immerſi, Chriſto Redemptori orbis nomina addixerant. Sperabat itaque Innocentius ab opere tum illorum Patrum, tum iſtorum tyronum, non difficilem fore Tartarorum conuerſionem: præſertim cum hi quoque interpellarent Pontificem, vt gentilibus ſuis in errore teterrimo verſantibus facem Euangelij accenderet. Anſelmus cum non contemnendam operam in docendis Tartaris poſuiſſet, cum fratre Ioanne & Benedicto Minoritis in intima Perſidis penetrans, & legatione pro Chriſto defungens, dum idololatras ab Idolorum cultu auertit, multis pro Chriſto perlatis cruciatibus vitam cum ſanguine profudit; duobus ſocijs illis martyribus comitatus, qui & ipſi fidem Chriſtianam cruore effuſo illuſtrarunt. Incertum eſt, quo anno triumpharint, iſtud certum, quòd hoc anno in viuis eſſe deſierunt aliqui viri inſignes ex Ordine Diui Dominici.

Authores huius hiſtoriæ citantur à Bzouio Æmilius lib.7. Platus lib.1. Antoninus ex Vincentio Beluacenſi p.3.tit.19.cap.5. Vincentius lib.31. cap.91. ab his in omnibus penè recedit, quod turpiſſimum duco.

Pro rei igitur intelligentia aduertendum, Tartaros duabus turmis effuſos aduerſus terras Chriſtianorum, infinita quaſi damna intuliſſe; harum altera verſus Orientem, quam quidem Baiothnoy duxit: altera verſus Occidentem duce Bathy ſigna conuertit, vt ſuo penè excidio ſenſit Polonia & Hungaria, in quos Bathy Regis Tartarorum, vt volunt, filius, duobus exercitibus mouit, ſubuerſis in Polonia, Cracouia, in Hungaria, Strigonia. Contra diuerſos autem hoſce exercitus diuerſam inſtituit Pontifex legationem. Anſelmus, ſeu, vt eſt apud Vincentium, Aſchelinus cum aliis Prædicatoribus miſſus eſt ad eos, qui debellabant Aſiam, ad quos primum anno 1247. peruenit in die tranſlationis S. Patris Dominici; frater autem Ioannes de Plano Ordinis Minorum, cum Benedicto Polono eiuſdem inſtituti ſocio ablegatus eſt contra eos, qui impugnabant Europam. Perueniens autem in Bohemiam Regis conſilio iter legit per Poloniam & Ruſſiam, magnóque tandem labore, & periculis penetrauit in Tartariam, & legatione functus eſt apud magnum Chamum Imperatorem anno 1246. Vtriuſque legationis hiſtoriam deſcripſit Vincent. Speculi lib. 31. ex relatione tam Ioannis de Plano Franciſcani, quàm etiam Fr. Simonis Ordinis prædicatorij, qui ſui itineris labores, & Tartarorum progreſſus partim ex fide aliorum, partim ex iis quæ ipſi viderant conſcripsère; neutrum tamen ſequutus eſt Bzouius, ſicut nec Vincentium, aut quempiam alium, quem citat, vt ex ſequentibus apparebit.

Errores varij manifeſtantur. Primus error, ex diuerſis vnam legationem congerit; ſed cæſim percurramus eius dicta.

BZOV. *Iſti quamquam cum magna difficultate terram Barbarorum pene*

penetraſſent, & nonnullos obices euangelicæ prædicationi ſtatim in limine offendiſſent, cunctis tamen ſuperatis, & immenſis laboribus exantlatis, innumerabiles Gentilium Chriſto adiunxerunt.

Soli Franciſcani terram Barbarorum penetrarunt, & functi ſunt legatione apud Chamum Imperatorem, vt docet Vincent. cap. 35. ſubſtitit Aſchelinus cùm Prædicatoribus in exercitu Tartarorum in Perſide, quò primum peruenit anno Domini 1247. (ita Fr. Simon Dominicanus apud Vincent. cap. 40.), hæc voluit vlteriùs progredi, licèt ei copia fieret à Tartaris: hæc verba ſunt Simonis apud Vincentium cap. 46. *Finitis*, inquit, *huiuſmodi verbis, dicti Barones ad Dominum ſuum, ſupple Baiothnoy ducem exercitus reuertentes, eique fratrum verba referentes poſt aliquantulam iterum moram de mandato eius ad fratres redierunt, dicentes; Dominus noſter Baiothnoy mandat vobis, vt vos ire ad Chaam dominatorem ac Regem omnium Tartarorum properetis: tunc enim ad eum venientes quis & quantus ſit videbitis, quantaque ſit eius potentia, quantáque gloria, quæ omnia nunc abſcondita ſunt ab oculis veſtris, apertiſſimè cognoſcetis: ipſi verò Chaam literas ex parte Domini veſtri Papæ proprijs manibus poteritis præſentare. At verò Fr. Aſchelinus malitiam Baiothnoy percipiens & aduertens, quam etiam priùs didicerat à pluribus tam Chriſtianis quam infidelibus, ſic reſpondit Baronibus: Cùm Dominus meus (vt alias dixi) nomen Chaam non audierit, nec me ād ipſum ire præceperit, ſed ad primum quem poſſem exercitum Tartarorum miſerit, ad Chaam ire nolo, nec debeo, præſentia Domini veſtri, & exercitus eius, quos hic reperi, contentus, & iniuncti mihi officij executione ſufficienter liberatus. Literas itaque Papæ Domino veſtro, & eius exercitui paratus ſum oſtendere, ſi placuerit recipere, ac videre, ſin autem ad ipſum remeabo, atque rem geſtam per ordinem nunciabo.*

Franciſcani apud Chamum functi legatione.

B z o v. *Innumerabiles Gentiles Chriſto adiunxerunt.*

Innumerabiles ſcilicet, quia numerari non poſſunt, támque innumerabiles, vt ne vnum quidem deſignare aut numerare ex authorum [illegible] queat. Is ſolus Aſchelini & ſociorum fructus extitit, quòd ad pa[illegible]ntiæ exercitium labores ipſi ſuſtinuerunt, teſte Vincentio & Plato. [illegible]ani, vt ex Vincentio conſtat, nullos lucrati ſunt Gentiles: ſolos R[illegible]henos eò perduxerunt, vt legatos ſimul miſerint vnionis concilian[illegible]um Eccleſia Romana, à qua eos diſſecuit Græcanicum Schiſma. [illegible]ſolatur Ioannes de Plano cap. 39. apud Vincentium.

B z o v. *Habeo Hagneum authorem referentem apud Genebrardum, quòd Diuo Ludouico ad Cyprum cum claſſe anno Domini 1249. appellenti occurrerint Tartari quidam ab Erchalmo Principe cum literis miſſi, ex quibus S. Ludouicus cognouit Chamum Tartarorum Imperatorem Chriſti fidem anno abinde tertio, ſcilicet 1246. recepiſſe, & baptizatum fuiſſe cum magnatum, & plebis multitudine maxima.*

Authorem

Authorem habeo antiquum Martinum Sanutum Torcellinum, qui tercentum abhinc annis floruit, & lib. 3. part. 13. cap. 6. Secretorum fidelium Crucis ſcribit conuerſum fuiſſe Chamum ad inſtantiam Haytonis Regis Armeniæ, in hæc verba. *Cernens Hayton Rex Armeniæ, Tartaros regiones in circuitu occupaſſe, vt ſuperiori capitulo dicitur, fratrem ſuum Ginibaldum 1253. ad Mangonem magnum Tartarorum Imperatorem cum magnis tranſmiſit muneribus, vt eius animum ad ſua vota inclinet. Hic poſt annos quatuor rediens, quam gratè ſuſceptus fuerit, illi denunciat. Ille verò impigrè ad Mangonem profectus eſt. In aduentu autem illius, Tartarorum Imperator valde gauiſus eſt, eo quòd poſtquam Cyngis Chaam tranſiuit montem Belyam nullus magnus Princeps eis obuiam proceſſiſſet, deditque illi de maioribus domus ſuæ qui eum ſociarent & honorarent, & ſecundum Imperialem munificentiam munera dedit. Poſtquam verò præfatus Rex diebus aliquibus immoratus eſt, Imperatori ſupplicauit, vt negotijs, pro quibus venerat, intendere dignaretur qui integrè votis ſuis annuere ſpopondit. Porrexit itaque Rex petitiones ſeptem. Prima fuit, vt ipſe cum gente ſua, relictis ſuperſtitioſis ſectis fidem Christi ſuſciperet, & baptiſmum: ſecunda, quòd inter Chriſtianos, & Tartaros pax perpetua firmaretur: tertia, quod in omni loco occupato per Tartaros, aut in poſterum capiendo, Chriſtiani Clerici Religioſi, ac laici ab omni ſeruitute ſint liberi, & tributo: quarta, vt Chriſtianis ad recuperandam Ieruſalem & terram ſanctam præſtaret auxilium, liberéque eis dimitteret poſſidendam: quinta, vt mandaret Tartaris, qui Turchiam occupauerant, vt ad deſtruendum Baldac procederent eorúmque Calypham, cum eſſet origo, & caput erroris impij Mahumeti: ſexta, vt priuilegium ſibi daret quod omnes Tartari regno Armeniæ vicini, cum requiſiti ab eo fuerint, auxilium præſtare teneantur. ſeptima, vt quæcumque loca ad regnum Armeniæ ſpectantia per Tartaros occupata fuerant ſibi redderentur, & loca Saracenorum, quæ ipſe Rex poſſet in poſterum occupare, abſque Tartarorum contradictione poſſet liberè poſſidere. Igitur Mango Chaam Regis petitionibus intellectis poſt deliberationem cum ſuis proceribus habitam conuocato conſilio ſuo ait: Quoniam Rex Armeniæ de remotis partibus ad Imperium noſtrum venit non vocatus. non compulſus, ſed ſua bona & propria voluntate, decet Imperatoriam majeſtatem eius ſupplicationibus annuere, in ijs præcipuè quæ ſunt licita & honeſta. Vobis itaque Regi Armeniæ taliter reſpondemus, quòd preces veſtras acceptamus, & omnes faciemus, cum Dei beneplacito, adimpleri. Primò quidem ego Dominus Imperator me faciam baptizari, & Chriſti ſuſcipiam veram fidem, & omnes de domo mea baptizati in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti tenebunt fidem quam tenent hodie Chriſtiani, & omnibus ſub meo Imperio conſtitutis idem conſulam, non tamen violentiam inferam, nam fides violentiam non requirit. Pro pace autem perpetuo ſeruanda requiſiuit vt pro parte Chriſtianorum eſſet Rex Armeniæ fideiuſſor. Conceſſit etiam omnibus Chriſtianis ſub Imperio ſuo degentibus gaudere priuilegio libertatis & quod nullus omnino poſſit aliquid extorquere ab illis. Ad conquirendam autem terram promiſſionis dixit quod libenter propter honorem Domini noſtri Ieſu Chriſti vellet perſonaliter proficiſci, niſi foret varijs impeditus negotijs, pro ipſo*

Martinus Sanutus.

Supplicatio Regis Armeniæ.

tamen

tamen negotio fratrem Halaonem mitteret, qui terram ſanctam ſubijciat cultui & nomini Christiano. Super facto quoque Calypha, Bathori Capitaneo Tartarorum in regno Turchia mandauit, cæteriſque in circuitu Tartaris, vt fratri Halaoni obedirent. ipſi verò, vt contra Calypham, quaſi contra capitalem procederent hoſtem. Petitum quoque priuilegium de impetrando a vicinis Tartaris auxilium dedit. Et vltimò non ſolùm occupata caſtra & loca per Tartaros, reddi iuſſit, ſed etiam alia, quæ ad ſecuritatem regni ipſius viderentur vtilia. ſuperaddi, &c. Quis fuerit ille Hayton cognoſces ex eodem cap. 2. loco citato. *Chriſtiani*, inquit, *vltramarini lu. t imporum cladibus lacerati, in Armenia maximè, ſcandala concitant inter ſe. Cum enim Hayton Rex Armeniæ Conſtantinopolim pergeret, quia filius Andronici eius ſororem deſponſauerat, ducens ſecum fratrem Thoros, Sebat alter frater regni diadema ſibi impoſuit*, 1294. *ex eo motus quòd Hayton nunquam coronari voluit. ſed magis fratrum Minorum ſumpſiſſet habitum, & Fr. Ioannes ex tunc communiter vocaretur. Cùm igitur rediſſet Hayton, ab Armenis repellitur. Cognita cauſa in Cyprum primò, deinde in Conſtantinopolim nauigat, & inde pergit ad Tartaros, vt de fratre ponat querelam. Sed hunc ille præuenit, & ad gratiam captandam Tartaram duxit vxorem & in reditu fratres Haytonem & Thoros capiens, & cunctis bonis expolians in Armeniam duxit. Thoros cum chorda arcus ſtricto gutture ſuffocari fecit, & viſum Haytoni abſtulit, quem ille nutu Dei recuperauit; quod attendens Conſtans quartus frater, indoluit vehementer & aggreſſus Regem Sebath perſonaliter cepit, & carceri mancipauit, & Haytonem libertati reſtituit. Ille liber effectus ambos fratres ſub tuta cuſtodia miſit ad Conſtantinopolitanum Imperatorem, rogans, ne eos ſineret euagari. Saraceni autem MCCIC. Armeniam diſcurrerunt, caſtra & loca fortiſſima occupantes, frater vero Ioannes ſe ſuóſque in montibus ſaluans in arcto poſitus Tartarorum implorat auxilium; eóſque contra Saracenos inſtigat oſtendens plurimam acquiſituros prædam, nec verendas eorum acies auro argentoque fulgentes, in quibus plus lucri quàm periculi inuenirent.* De eodem Barthol. Piſanus lib. 1. fructu 8. fol. 103. p. 2. in hæc verba *Octauo, ſi inſpiciamus ad domum Regum Armeniæ, quæ a [illegible] fuit inclyta & excellens habes Regem Ioannem, qui temporalatus fratris Gonſalui regnum tradens ſuo nepoti Leoni, factus eſt frater Minor poſt cuius introitum Saracenis regnum Armeniæ inuadentibus zelo fidei accenſus. aſſumptis armis (cum eſſet bellicoſiſſimus) facta ſtrage hoſtium & ſuis data victoriâ ipſe in campo occiſus eſt.* Concordant reliqua monumenta Franciſcana. Marc. 2. part. lib. cap. 21 Marian. lib. 4. cap. 4. in fine, qui addit ſepultum ſolemniter in Conuentu Siſij, Toſſignanenſis lib. 2. hiſtor. Seraph. relig. Anton. 3. part. tit. 24. cap. 9. § 3.

Rex Armeniæ Fr. Minor.

Piſanus.

Marcus. Marianus. Toſſignianen. Anton.

Verùm quia tempus huius conuerſionis non concordat cum ſuperiore, [illegible] offero ex eodem Antonino: *Sub ipſo Generali Dominus Ioannes Imperator Tartarorum cum matre ſua olim fuerat ad Catholicam fidem per fratres Minores conuerſus, baptizatus, & mortuus, ex hac vita migrauit in loco fratrum more Imperiali ſolemniter tumulatus, cuius cor-*

Alius Tartarorū Imperator cōuerſus per Minores.

pus, cùm per triginta annos ſub terra fuiſſet ſepultum, & propter guerras fuiſſet per fratres tranſlatum ad Saraij Ciuitatem, ita integrum, & incorruptum cum veſtibus,& puluinari de ſerico eſt repertum, ſicut ſi eadem die fuiſſet mortuus & ſepultus, non ſine magno ſtupore fidelium, & infidelium admiratione. Idem citati Marc. loco prædicto, Toſſignianenſis lib.2. in Generalem Gonſaluum, Marian. lib.4. cap.3. in fine, addens in eodem loco fratrum, qui tertio milliari à Ciuitate Saraij viſebatur, ſepultum fuiſſe Cathogonti fratrem Imperatoris per Minores ad fidem conuerſum, quem vita ſanctiſſima, & miraculis coruſcaſſe referr, & Saracenam quandam à diabolo liberari ad ſepulchrum eius, vidit Fr. Nicolaus Piſanus.

Filius Chami per eos baptizatus. Alius eſt iſte ab eo Imperatoris Tartarorum filio ſeptenni à Franciſcanis baptizato, de quo Piſanus in Vicaria Cathaij lib. 1. fructu 8. fol. mihi 95. dictus eſt Ioannes, cuius patrem à cancro ſanauit frater Franciſcus ab Alexandria; in huius beneficium filium ſuum tradidit fratribus baptizandum. Sed mox veneno ſublatus eſt, interfectiſque quatuor filiis Franciſcani etiam numero ſex cum vno tertij ordinis martyrium ſubière, à ſucceſſore cum reliquis Chriſtianis necati anno 1340. menſe Iunio circa feſtum Sancti Ioannis Baptiſtæ.

Poſt liminio tandem occurrit mihi Vincentius lib.31.cap.90.91.93. ſcribens eam Chami conuerſionem adhortante matre & quodam Epiſcopo ſancto eueniſſe, referentibus id nunciis præfatis Erchalmi. Sed ſi opinionem in hoc meam quiſquam exquirat, magis deferendum cenſeo hiſtoriæ legationis Prædicatorum & Minorum ab eodem tranſcriptæ quàm dictorum nunciorum, quibus vſu gentis mendacia & fraudes dicuntur eſſe perquàm familiares. Referebant nuncij conuerſum Chamum tribus ab Epiphania præterita completis annis (vt eſt apud Vincentium c.90.) Sic conuerſio eius incideret in annum 1246. antequam aſſumptus eſt ad Imperium ſeptem menſibus, quod nulla ratione cum hiſtoria legationis quadrat, in qua expectatio quædam futuræ conuerſionis, referentibus Græcis duntaxat, atque in leui præſumptione fundata exprimitur. Nec ſi aliud iam contigiſſet, vt nuncij fingebant, potuit latuiſſe Ioannem Planum, alióſque Chriſtianos tunc præſentes coronationi, cùm in propatulo baptiſmum cum familia, magna exercitus parte, & octodecim Regum filiis dicatur percepiſſe. Prædictos ergo nuncios exploratum, atque vt Regem Ludouicum ſuo lucro in Soldanum excitarent, veniſſe crediderim. Opinionem vel maximè confirmante Thoma Cantipratano Apum lib.2. cap.54. aſſerente miſſos ad conuerſionem Chami, tunc à S. Rege Ludouico duos fratres Minores & duos Prædicatores, quorum opera inutilis quoad hoc fuit. Sed hæc pauca pro veritate hiſtoriæ ſubnotaſſe, ſat eſt.

BZOV. *Mouebat porrò Innocentium ad eam legationem,* &c.

Talis motiui mentionem non faciunt authores tui, coniecturâ ergo inuectum eſt. Falſum eſſe ſtatus ipſe rerum indicat: nam & qui Tarta

Tartaros Lugduni Concilio adfuiſſe ſub Innocentio volunt, errant: id contigit ſub Gregorio Decimo; alioquin fieret mentio eorum in hiſtoria ipſa legationis Prædicatorum & Minorum ad Tartaros, quibus vel cum vſui forent aliqui ex ipſa gente conuerſi, qui aditum pararent ad reliquos.

B Z O V. *Anſelmus cùm non contemnendam operam in docendis Tartaris poſuiſſet, cum fratre Ioanne, & Benedicto Minoritis in intima Perſidis penetrans, & legatione pro Chriſto defungens, dum Idololatras ab Idolorum cultu auertit, multis pro Chriſto perlatis cruciatibus, vitam cum ſanguine profudit, duobus ſocijs illius martyribus comitatus, qui & ipſi fidem Chriſtianam cruore effuſo illuſtrarunt. Incertum, quo anno triumpharint, &c.*

Iſta referuntur contra fidem authorum; nam Anſelmum ſeu Aſchelinum conſtat rediiſſe ad Pontificem poſt annos tres, ac ſeptem menſes, vt relatio legationis habet apud Vincentium cap. 50. Nec minus redierunt Franciſcani cum legatis Ducum Ruſſiæ, & literis Chaam, alio tamen itinere, & alio orbe ab Aſchelino ſeiuncti, tantùm abeſt vt ſimul in Perſidem penetrarint, aut ibi multis pro Chriſto latis tormentis, vitam cum ſanguine profuderint. Impoſtura inanis.

Anno 1213. num. 11.

B Z O V. *Hoc anno Otto Dux Bauariæ iuſta Dei vindicta morte inſperata interijt, duobus filijs Ludouico & Henrico derelictis. Fuerat ab Innocentio Pontifice diris deuotus, eo quod Frederico contra Eccleſiam adhæſiſſet. Ab hac curatoria medicinali nequaquam melior factus, cœpit Clerum perſequi, & mala malis adijcere. Conabatur illum Fr. Bercholdus Lauſanen. Ord. Prædicatorum concionator, qua pollebat authoritate, ad obedientiam Eccleſiæ reducere, & erga Eccleſiam, atque Clerum mitigare: at ille & monitorem contempſit, & ſeueritatem diuinam contra ſe prouocauit, quamquam non ſine præmonitione diuina, ſi fortè exaudiret. Quidam enim pauperculus nocte circa feſtum Sancti Michaelis per raptum aſpexit ſe ductum ad tribunal iudicis cuiuſdam, ibidémque audiuit, quia ad querimoniam Sanctorum ſententia mortis data eſſet in Ottonem, & cæteros Principes pacis & Eccleſiarum, ac pauperum turbatores. Aſſerebat pariter ſibi a Sanctis ex parte Dei fuiſſe iniunctum, ſubque pœna præceptum, vt hæc Ottoni, & alijs Principibus, vel ſi eos adire non permittatur, alijs renunciaret. Cum non admitteretur, fratri Bercholdo, & aliquot Abbatibus, ea quæ vidit, aperuit. Otto autem viſiones, & monitiones ſuo malo riſit. Nam in vigilia Sancti Andreæ Apoſtoli, cùm veſpertinum tempus cum vxore & familiaribus valde iucundè exegiſſet, præſentem vitam ſubitanea morte finiuit. Chron. Hirſaug.*

Singularis hæc metamorphoſis, vt qui numero octauo huius anni aduerſa penè pagina Franciſcanus eſt Bzouio, tam abruptim quaſi in aliud transformetur Euangelium, & inuitus fiat Dominicanus. Sed ne idem cenſeatur omnino, ſimul cum inſtituto patriam mutat, & qui ſuperiùs Ratiſponenſis dicebatur, nunc inſcribitur ciuis Lauſactenſis, ſeu rectiùs, Laudathutenſis. Antonius Senenſis huius nominis vnum duntaxat inter viros illuſtres ordinis Prædicatorij commemorat Bertoldum de Maiſberch: floruit autem anno 1355. fuerint ſanè alij, hunc Franciſcanis veritas adſerit. Sed vnde hoc Bzouius de Bertoldo, cùm nulla eius ſit mentio apud Trithemium? incidit nempe in chronicon Steronis, cuius ex parte verba ipſa mutuauit. Hæc autem ſunt Steronis de Bertoldo. *Eodem tempore menſe ſcilicet Nouembri famoſus ille Prædicator frater Bertoldus in LantZuet prædicationis officium exercebat & morabatur in caſtro cum duce prædicto, cupiens eum inducere ad obedientiam Eccleſiæ, & ſuum erga Eccleſiam, & Clerum animum mitigare. Tunc ſuperuenit quidam pauper ruſticellus, aſſerens ſe in nocte præterita feſti Michaëlis captum, & ductum ad tribunal iudicij cuiuſdam, vbi audiuiſſet, quod ad querimoniam Sanctorum ſententia mortis data eſſet in Ottonem, & cæteros Principes pacis turbatores, & Eccleſiarum ac pauperum vaſtatores. aſſerebat, quod ſub pœna mortis a Sanctis ex parte Dei ſibi eſſet iniunctum, vt hæc Duci, & alijs Principibus nunciare deberet; quòd ſi non admitteretur, deberet alijs propalare. Is igitur homulus cùm non fuiſſet admiſſus ad præſentiam Ducis, prædicto fratri Bertoldo, & alijs quibuſdam talia propalauit. Sed & ſexto die ante obitum Ducis idem homo venit ad Monaſterium Altahenſe, & dixit hæc Abbati, & Alberto Abbati de Metem ex parte illius iudicij, quod etiam non admitterent talia manifeſtare dicti Abbates. cùm Henrico Abbate de Eberſberch deberent intimare Duci prænotato, quod niſi citius deſtrueret monetam nouam, & reſipiſceret à vexatione pauperum, & Eccleſiarum, mortis eſſet, in breui ſententiam ſubiturus. Cuius viſionis efficaciam ſæpe dictus Dux, Innocentius Papa, Chunrardus, & alij Principes per mortem inſperatam ſunt experti*, &c. Hactenus Chronicon Steronis. Neſcio verò quanam epichiia hæc verba; *Famoſus ille Prædicator Fr. Bertholdus in Lantzuet*, &c. ita vertit ſeu interpretatur Bzouius, *Fr. Bertoldus Lautſutenſis ordinis Prædicatorum Concionator.* An quia Lautſutæ prædicationis munus exercebat ideo Lautſutenſis? an quia famoſus Prædicator, ideo ordinis Prædicatorum? id aliàs rectè colligatur, nunc Franciſcano ſors obtigit, vt huius ætatis famoſus Prædicator dictus Bertoldus antonomaſticè, ſolus intelligatur Ratiſponenſis, de quo ita ipſe Bzouius num. 8. huius anni. *Per hæc*, inquit, *tempora in ordine D. Franciſci aliqui viri inſignes floruerunt. Fratrem Bertoldum Ratiſponenſem aiunt inſignem fuiſſe diuini verbi præconem: quo ſemel verbum Dei ad populum concionante, & contra vitium luxuriæ vehementius inuehente mulier quædam tantum dolorem peccatorum concepit, vt præ contritione ſpiritum exhalarit: ibi omnibus ad rei nouitatem obſtupeſcentibus, & iuſto Dei iudicio condemnatam eſſe dicentibus, Bertoldus vniuerſis, vt in oratione ſe proſternerent, & diuinam*

d... am voluntatem circa ſtatum mulieris explorârent, præcepit. Mirum viſu; ea, quæ obierat, ſtatim reuixit, & ſe ad diuinum iudicium propter facinora euocatam, propter magnitudinem autem pœnitentiæ, vt ea confiteri ritè po..t, ad corpus reuocatam dixit. Ita Bzouius ex Antonino tit. 24. cap. 9. §. 11. placet tamen ex hoc ſupplere reliquum, quod is, neſcio qua ratione, omiſit. *Inter cætera*, inquit, *manifeſtauit, quod eadem hora qua obierat ſexaginta millia hominum fuerant in diuerſis partibus orbis ex ſæculo euocata, de quibus tantùm tres purgatorium intrauerant, excepto vno fratre ordinis Minorum, qui per purgatorium tranſiens, ſubito acceptis ſecum duabus animabus, quæ ſibi erant confeſſæ, inde cum eis Paradiſum aſcendit.*

Sed vt intermiſſam Ottonis & Bertoldi narrationem reſumamus, ita eam refert author Chronici Schirenſis anno 1253. *Vilis*, inquit, *homuncio, conditione agricola, grauiore ſomno oppreſſus, quarto Kalendas Octobris Deum Opt. Max. pro tribunali ſedentem videre viſus eſt, & accuſatoribus Ducis, ſubitaneæ mortis ſententiam ferentem in Romanum Po...m, Ottonem Ducem Boiariæ caeteróſque Principes, qui pacem turbarent, inſontes opprimerent, quos tutari deberent, innumeris calamitatibus a..cerent. Hunc viſum Ottoni relaturus Lanſdeshutam homo venit, ſed à conſpectu Principis prohibitus, quibuſdam rem præſulibus enarrat, & po...mum Berichtoldo Diui Franciſci Sacerdoti eius tempeſtatis viro ſan..iſſimo, concionatoríque omnium clariſſimo (oſtenditur illius ſepulchrum Ratiſbonæ:) Berichtoldus aditum ad Ottonem impetrat, factum imminens aperit, ac vt reſipiſcat, commonefacit. Sed vt ſunt animi, auréſque Principum delicatæ, (veritatem audire non poſſunt) ſurdo fabula narrabatur, verbáque fiebant mortuo. exitus tamen probauit haud vana fuiſſe ſomnia. Nam eodem anno Otto Dux Boiariæ tertium diem ante Kalendas Decembris cum vxore ac liberis hilarem cœnam ſumit, noctu ſubitò exp..at, Sc..ræ ſepelitur. Conradus quoque Cæſar eodem anno ſubacta Campania ex hac vita migrauit. Itidem Innocentius IV. Pontif. Max. poſt mortem Conradi IV. Cæſaris ſubacta Campania, Apulia ſpe potiundæ Siciliæ fruſtratur. ſeptimo idus Decembris inuitam exhalauit animam,* &c. Chronicon autem Auguſtanum verbatim habet ea quæ ſuprà ex Stetone tranſcripſimus, ex quibus Bertoldus Franciſcano inſtituto, etſi famoſus Prædicator, addicitur: præclara eſt eius memoria apud Auentinum lib. 7. annal. Boiorum. placet tamen eam celebrare Bzouio encomiaſte, vt ex propriis agnoſcat, cuius fuerit inſtituti, & nominis Bertoldus. ita is infra ad annum 1260. num. 20.

Eodem anno, inquit, *vixit Bertoldus Ratiſponenſis Franciſcani inſtituti, is cum a teneris annis literis operam dediſſet, & magnam eruditionis laudem adeptus eſſet, pietatis amore, Franciſcanis ſeſe adiunxit, atque paſſim in magna authoritate fuit, erat enim integritate vitæ, ac facundia ſingulari, nulli ſecundus. itaque ſuis ſermonibus populum ad virtutem excitauit, ac vitia, quantum potuit, extirpauit. Tantus verò hominum concurſus erat, cùm concio habenda eſſet, vt ſeſe mutuò vi templo extruderent, atque per aliquot horas aduentum eius expectarent. itaque Auentinus lib. 7.* Auent.

Annalium Boiorum prodidit ſexaginta amplius millia hominum eius conciones frequentaſſe. Eius ſepulchrum non ſolùm incolis, ſed & Vngaris, & alijs vicinis venerabile, Ratiſbonæ in templo Franciſcanorum oſtenditur, &c. Ad eundem Bertoldum adhuc tyronem nuncupata extat formula nouitiorum per ſanctum fratrem Dauidem de Auguſta eiuſdem inſtituti (habetur tom. 13. Biblioth. Patrum) ſub cuius diſciplina in tantum virum euaſit.

Bibliotheca Patrum.

Anno 1294. num. 1.

B Z O V. *Hoc anno volens nolens ex humanis abijt Ioannes Dunſius, natione Scotus ex Minorum familia. Alexandri Alenſis Britanni quondam in Gymnaſio Lutetiæ auditor, vir admiranda ſubtilitate eruditionis ob profundiſſimam dicendi, ſcribendique obſcuritatem* Σκοτεινὸς, *id eſt, tenebroſus, quod olim obſcuriſſimi Anaxagoræ cognomen fuit, cognominatus, & ob nouam ſcholaſticæ Theologiæ ſectam de nomine ſuo dictam, omnibus longè notiſſimus. Scripſit præter Logicas difficultates commentarios in Euangelium, in Apoſtolum, & in magiſtrum ſententiarum, quibus aliquis illud, quod ex tractatu Ezechielis Prophetæ viſioni cuidam D. Hieronymus propoſuerat, ſubſcripſit.*

Hic labor, illa domus, & inextricabilis error
Vt quondam Creta fertur Labyrinthus in alta,
Parietibus textum cæcis iter ancipitémque
Mille vijs habuiſſe dolum, quo ſigna ſequentum
Falleret indeprehenſus, & irremeabilis error.

Iure merito emblematis loco iſtud Epigramma eius operibus præfixum: nam omnia quæ ſcripſit, dixitque, adeo ſunt denſis tenebris damnata, vt vix in eius ſchola detritis appareant. Paulus Iouius elogio adiuncto virum ornauit. Nemo, inquit, eorum, qui non inſano pietatis amore flagrantes vltra ſeſe cœnobijs in ſeruitutem addixerunt Ioanne Scoto, in grauiſſimis ſtudijs, aut acrior, aut ſubtilior fuit, quum admirandis commentationum voluminibus editis, nouam de nomine ſuo ſectam conderet, & in Aquinatis ſcripta non diſſimulanter inueheretur. Natus eſt in vltima Britannia ad Calydoniam ſyluam, vt minus mirum ſit Anacharſim ſumma ſapientiæ Philoſophum, apud vecordiſſimos Scythas craſſo, atque ingenijs excolendis importuno cælo patriam habuiſſe. Verum hic proteruo, captioſóque diſſerendi genere Chriſtianis dogmatibus illuſiſſe videtur, cum paſſim inducta queſtione dubitabundus, ſacrarum rerum fidem nequaquam tenuis figmentorum caligine confudiſſet. Seuit enim ideo lites immortales, quando eius placita vel grauiter ab aduerſæ ſectæ profeſſoribus oppugnata, ex aduerſo ab eius diſcipulis acerrime defendantur. Sed qui aliquot præclara eius ordinis ingenia ad optimam frugem nata, diſtorto ſcilicet ad veritatem itinere ſuſpendiſſe, perdidiſſéque videtur, manifeſti, aut certè occulti alicuius criminis apoplexia correptus, pœnas perſoluit, ita quidem vt nimis feſtinato funere pro mortuo tumulatus, quum redeunte vita, ſero morbi impetum natura diſcuteret, fruſtra ad petendam opem miſerabili mugitu edito, pulſatóque diu ſepulchri lapide eliſo tandem capite perierit. Aliquis

Poeta

Poëtarum epitaphium illi panxit.

Quod nulli vnquam hominum accidit viator.
Hic Scotus iaceo ſemel ſepultus,
Et bis mortuus, omnibus ſophiſtis
Arynthus magis, atque captioſus,

Latomus addidit aliud.

Quæcumque humani fuerant iuriſque ſacrati
In dubium veniunt cuncta vocante Scoto.
Quid? quod & in dubium illius ſit vita vocata,
Morte illum ſimili ludificante ſtropha.
Quum non antè virum vita iugularit adempta,
Quam viuus tumulo conditus ille foret.

Sed in eum alij hæc luſerint: ego virum vel hoc nomine laude dignum duxerim, quod ſenſorum ſubtili profunditate occaſionem ingenijs obtuſioribus protulerit, qui ſe attollerent ad arcana recondita, tum acri oculo peruestigan- da, tū acri voce, & calamo ab aduerſarijs fidei Catholicæ defendenda. Nāque horum non modica ſeges, etſi omnium ſæculorum temporibus, vel hoc tamen præcipuè, poſtquam Raymundus Lullus ſcholam erronibus ante triginta, & aliquot aperuiſſet. Tenebris Cymmerijs damnanda ſunt, quæ tenebricoſus ille eorum magiſter inter myſteria propoſuit: quibus eludendis, elidendiſque poſt Aquinatem ſolem, tum Ioannes Scotus, tum eius diſciplinæ addicti Minoritæ plurimum lanceati luminis attulêre. Sed de Lulliſtis alibi narratio magis ex occaſione, &c.

Aduerſo marte Bzouius claſſicum inſonuit, & velut dormientes ſuo periculo Leones excitauit, excitatos prouocauit, ad eiuſmodi nempe fabulas non tam inſurduerunt, quàm hactenus dormierunt Scotiſtæ, quæ ea falſitate, iis authoribus fingebantur, vt notæ omnibus veritati nocere non poſſent. Neque enim Iouiana corruptæ fidei ſcriptoris commenta reſponſione dignati ſunt, cùm ea paſſim à grauioris notæ authoribus exploſa viderint, nec vnquam illis venit in ſuſpicionem fore, qui malè inuentam fabellam traheret in calumnias, aut ſcena pridem ablegatam conſignaret monumentis; in hoc opinor minùs prouidi, quod etiam Bzouium inter Annalium ſcriptores fore non præuiderint, & nimium veritate confiſi, quid fas, quid ratio, quid hiſtorici fides, quid denique partium expers integritas exigat, tantùm proſpicientes, non quid cæcus poſſit affectus, qui obuia quæque in ſuum trahit centrum, & non ſecus ac ignis excandeſcens abligurit, & conſumit. Quod ſi hanc deprauati ſenſus inuidiam non tam declinare, quàm in alios reiicere ex animo ſtuderet aduerſarius, id honeſtius re ipſa, ſecuriuſque, quàm verbis præſtaret, vel calumnias ex hiſtorici ſinceritate repellendo, vel alios authores qui id cum laude perfecerunt tranſcribendo, aut certè nomine tenus ſubindicando, aut demum aliquorum in eum quem furtim ſub vmbra detractorum effoſſis ſubuerſum ibat cuniculis, proferendo encomia. Quid ergo obtendere poteſt, vbi excuſationis nihil, ne velamen quidem, Excuſatio aduerſarij friuola.

impro

improperij verò plurimum conſpicitur? Caſu fortè oblatus Iouius, & Senenſis?quin & eodem ſtudio quo reliquos omnes alto ſilentio præteriuit, vt manifeſta in Senenſem commiſſa probat fallatio. Luſerunt ergo alij in Scotum? luſerunt vtique ſi luſus eſt: quin & præ reliquis luſit Bzouius propriam non alienam fabulam, nec modò inſultantium ſe choro, omnis moderaminis excuſſa pridem regula, ingeſſit, ſed quidquid vbique in Scotum iactarunt reliqui, vnus contraxit, propriæque confectionis additamento repoſuit, velut reliquas in propriam lacunam corriuarit ſentinas. Ita enim Senenſem, ita Iouium, ita reliquos agit, vt Bzouium non exuerit, proprióque inter alios ſchemate notus paſſim occurrat, paſſim dignoſcatur, mirum vt alios duntaxat in Scotum mentiatur luſiſſe. Operæpretium igitur erit, vt ſuo quæque metiamur pondere, audire quid alij, quid verò ipſe Bzouius in Scotum luſerit.

Criminationes in Scotum.

1. Nomenclaturam à profundiſſima dicendi ſcribendique obſcuritate indiderunt.

2. Scripta inextricabilem errorem, ancipitem dolum, indeprehenſum, & irremeabilem errorem appellarunt.

3. Adſcribunt proteruum & captioſum diſſerendi modum.

4. Imponunt illuſiſſe dogmatibus ſacris.

5. Rerum ſacrarum fidem dubitabundum confudiſſe caligine figmentorum.

6. Seuiſſe lites immortales.

7. Præclara aliqua ſui ordinis ingenia ad optimam frugem nata diſtorto ad veritatem itinere ſuſpendiſſe & perdidiſſe.

8. Manifeſti aut occulti criminis apoplexia correptum, pœnas perſoluiſſe.

9. Quod volens nolens mortuus.

10. Quod feſtinato funere viuus fuerit tumulatus.

11. Quod decuſſa vi morbi mortem ſibi conſciuerit.

12. Quod ad lapidem ſepulchralem eliſerit caput.

13. Quod bis mortuus, ſemel ſepultus.

14. Quod omnibus ſophiſtis argutus magis atque captioſus.

15. Quod omnia humani ſacratique iuris vocauerit in dubium.

16. Quod illius vita vocata ſit in dubium morte illudente, ſimili ſtropha, quod is ſacrato, & humano iuri illuſit.

Hic aliorum in Scotum luſus, nec ſecus luſit Bzouius: nam quod alij ſeorſim, ille coniunctim & velut ad bonarum mercium nundinationes ſuſpenſa hedera lectores irriſorie conuocant, *Mores*, inquit, *& laudes Ioannis Duns Scoti.* Senenſem quod minus dixerit caſtigauit, fallauit, omnia Scoti ſeu dicta ſeu ſcripta denſiſſimis tenebris inuoluit, quod emblematis loco Senenſis commentario in epiſtolam ad Romanos. (vt verbis eius vtar) *valde erudito*, *& ſenſu profundo*, reliquis operibus, & renuente ipſo Senenſe, præfixit, ac tandem cruentas ex recenti vulnere manus in conſpectu omnium lauat, crimen deprecari, à ſe propellere non veretur, quaſi ſpectator à longè proſpiciens, non verò reus; *hæc*, inquit, *alij luſerint*; ita nempe beneuolus in Scotum Bzouius, vt

Ludibrium aduerſarij.

Archi

Archilocum non detrectet? importuna tamen hæc beneuolentia,par odio.Cæterùm ludentes Iouium, & alibi,& hic potiſſimùm corripuerunt viri grauiſſimi, Antonius Poſſeuinus in apparatu, Aubertus Mireus,Ioannes Stomelius, Epiſcopus Senogallienſis, aliique plures; nec ſecus contigit Bzouio, qui plures in ſe concitauit, quibus nec viribus, nec arte par eſſe poſſit.Noui tres qui luculentiſſimas pro Scoto defenſiones ſcripſerunt, nondum typis editas:horum vnus S.R.E. Cardinalis, alius Iouio dignitate quidem par, ſcientia longè prior, tertius eſt ſacræ Theologiæ Lector veteranus, qui viginti quatuor annos diſcipulos in certamine ſcholaſtico exercuit. Sed & præter hos,(vt alios commemorem qui publici iuris ſuas pro Scoto lucubrationes fecerunt Illuſtriſſ.Cancellarius Bauariæ primus ad ſigna conuolauit, non modò opinione omnium,ſed iudicum etiam S.R.E.Cardinalium ſententia verè & Bzouio-maſtyx, vt nupero decreto (quo damnata ſunt quæ aduerſus Ludouicum Imperatorem ſcripſit) palàm fiet, inter alia autem Scotum egregiè vindicauit, ſucceſſerunt viri doctiſſimi P.F.R. Matthæus Ferquius Franciſcanus Conuentualis ordinis ſocius, & miniſter prouincialis Prou.S.Bonau.Regens ſtudij Bononienſis, & P.Iacobus Gualterius Societ.Ieſu in editione Gallicana;hi Bzouiũ contriuerunt.Ferquius autem trinam pro Scoto Apologiam emiſit, ac tandem vitam eius ſcripſit, omnia quidem ſtilo doctiſſimo, vt nihil amplius in hoc genere deſiderari poſſit, ita tamen modeſtè, vt ſe laudari, non impugnari putarit Bzouius, nihil veritate aut ratione reductus. Pigritantem ergo, & velut ad ictus ſtupentem, & attonitum ſtimulauit R. P. F. Hugo Cauellus ordinis noſtri diffinitor generalis natione Hibernus,Collegij Louanienſis S. Theologiæ Lector emeritus, & cum vulpe,vt fertur, vulpinatus,proprio laqueo hominem incluſit, ſtilum retorſit, & quid eiuſmodi luſus oblectamenti ſecum ferat, edocuit. Scripſit pro defenſione Scoti Apologiam, quam ſimul cum eiuſdem vita correcto,& ſcholiis à ſe elucidato ſcripto Oxonienſi præpoſuit; vt in limine haberet lector, in quo & hominis innocentiſſimi oblectaretur integritate, & dettactorum deteſtaretur imprudentiam ſimul, & inſcitiam, Scotum non tam defenſum gaudens, quàm admirans accuſatum.hic tandem Bzouius,vel in viua carne tactus ſtuporem decuſſit, conqueſtus,vociferatus, nihil amicè, nihil præter vindicias, & bella meditatur; conuocat ad arma clientes; adeſt præ reliquis iuuenis quidam (vt ferunt)minus inſtructus, quem in plurimis ipſe Bzouius, & Lector Colonienſis ſubmiſſis ſchedulis armarunt.Is defenſionem Bzouij adorſus nihil maturo iudicio limatum emiſit: id vnum tamen ſtudio aſſequutus, vt cum reliqua defecerint, fingendis ſtrophis vnum imitatur, & aſſequatur Bzouium; hoc autem progreſſu elegantiam venditat,ſuburram congerit,vt ſonantius quidpiam loqui, & grandiuſculè diſtentus appareat,occaſiones quærit dicendi, ne ſilens videatur; deficiente tamen diſcurſu, nec progredi valens, nec ſtabili gradu ad anteriora regredi,anhelus velut in medio pendet; hinc excidunt plerumque homini collectæ parœmiæ, non opportunè, aut ſuo loco dicuntur;

Defenſores Scoti.

Scoti defenſores luce iam donati recenſentur.

Narratio facti.

Defenſor Bzouij.

cuntur; & puerili artificio torquentur ad rem non facientia, vt vel ſic extremis clauſulis cohærere videantur, quæ nullo conſuuntur filo. hæc ipſius eloquentia eſt, applaudat qui volet, ego ne reſponſione quidem hominem dignor. Noſter tamen Magnetius vagantem comica licentia compeſcuit, ſuum præceptorem Cauellum ita defendit, vt ſimul reliquos non magis doctè, quàm copioſè impugnarit.titulum operi inſcripſit Apologiam Apologiæ. Impreſſa eſt Pariſiis 1623. Alij eiuſdem Patris Cauelli diſcipuli paratam habuerant reſponſionem non adeò fortè aduerſariis ad palatum confectã, quam vel auribus tenent, donec experiantur, quonam aduerſariorum ſe affectus inclinauerit, aut impulerint machinamenta. Sed præ aliis omnibus doctiſſimus Nicolaus Vernulæus Scotum ſupra omnem inuidiam extulit, pro roſtris erecto integritatis eius trophæo, vt nihil cultius, nihil doctius, nihil in hoc genere verius requiras.

Noſtra proinde hac ex parte opera poſt tantos viros diligentiſſimos veritatis, & integritatis Scoticæ adſertores, nullo modo deſideratur. quid enim ab iis prætermiſſum eſt? aut quid denuo à nobis hac in re dici oporteat? Quia illuc tamen propoſiti argumenti nos tandem ſeries reduxit, ingratus forem Magiſtro, & ſcholæ, niſi aliquantulum ſubſiſterem, & ſuſpenſo quantumlibet tenui epitaphio, funus tanti viri proſequerer, vt vel ſaltem obſtrepentes importunè muſcas abigerem.

Authores excluduntur ſtrophę. Vt vanam igitur Bzouij excuſationem ſubmoueamus, qui impunitatem ideo præſumit, quia ex aliis in Scotum luſiſſe ſimulat, id etiam præmonere lubet, ei incumbere, qui hiſtoriæ ſcribendæ negotium aſſumit, nequaquam ludere in re omnium grauiſſima, & ſeria, aut veritatem ſcenica leuitate proſtituere; quoniam autem neglexit, quod potiſſimũ oportuit meminiſſe, quid, qua fide, quibus authoribus, narrationẽ ipſam attexeret, nobis curæ erit eũdem officij admonere, vel certè lectorem fraudis, & periculi. Summoueamus ergo primũ authores, rebus ipſis, quæ per calumniam obiiciuntur poſtmodum reſponſuri.

Exceptio contra Senenſem. Senenſem non carere ſuſpicione vel ipſa Bzouij notat ſimulatio, quem proprio nomine non eſt auſus indicare. Diſcipulum porrò D. Thomæ & doctrinæ eius ſectatorem non liberè in Scotum, aut ſcholam eius ſententiam dicere ex fundata & mota præſumptione ſtatim exciperet Scotiſta. Excepit profectò, & meritò Cauellus. Sed quid, ſi ex fonte extra Bzouianum conductum clarus proferatur? Bzouio planè iniquior erit quàm Scoto; actionem aduerſus eum porriget, vt qui verba eius falſauit, & in malignum præter intentionem ſenſum corrupit, quæ alioquin benignam interpretationem recipiunt; neque enim ille tam Scoto iniurius, vt carmina, quæ exemplo Hieronymi commentario eius in epiſtolam ad Romanos præfixit, commodum non faciant ſenſum, quo viſioni Ezechielis ea accommodauit Hieronymus, vt inferius monſtrabitur: alia autem à Senenſi via inceſſit Bzouius. Quid ergo præſidij in authore falſato, & corrupto, nec vana alioquin laborante ſuſpicione? Huic expreſſo nomine ſuccenſet Paulus Iouius præ omnibus in Scotum petulantiſſimus. Sed quid nocere po-

teſt

teſt vacillantis fidei ſcriptor, omnium calculo reprobatus, ad gratiam, & auram venalis, & inconſtans? Varia in eum grauium authorum iudicia tranſcripſit noſter Cauellus cap. 7. Apolog. Lipſius *iudicio, & l. de ambiguum* cenſet, & *vbi affectus adſunt, obnoxium, ad gratiam ſe dat, & auram.* Aubertus Miræus elogij loco hæc apponit, *venalis cui penna fuit.* Poſſeuinus cenſuram Lipſij confirmat. Robertus Tornerus ait, *malè ſanum ſcriptorem, qui laudat, & uituperat, non ad normam veritatis, ſed pro ratione præmij.* Ioſephus Scaliger plura id generis de eo commemorat, qui ſe puero in aula Henrici II. obſcuro cuiuis generis claritatem ſordida nundinatione pollicebatur, maledicus proinde in Momorantium Comitem ſtabuli, quod lucris importuniùs inhiantem repulerit, repulſus ſimiliter à Ioanne Luſitaniæ rege, qui hiſtoriæ ſcribendæ venalem, & oblatam non acceptauit operam, ideo victoriam Dabulenſem, teſte Hieronymo Oſorio Siluenſi Epiſcopo, ex inuidia ſuppreſſit. multæ id genus aliæ ſcriptorum de Iouio querelæ, vt meritò Paſquillus quidam apud Geſnerum imperet vt hiſtorias bona fide ſcribat; compendio id quidem veritatis; ſed ille dictionem venatus, eloquentis magis, quàm hiſtorici nomen ſectatus eſt, mentiri, fingere, fallere, religio fuit, modò ſub affectata verborum illecebra lectorem circumuenire, ineſcare, & capere poſſet, rectà nunquam aut rarò incedere, ad extrema odij, amoris, detractionis, adulationis declinare ipſam veritatem cariis, & importunis figmentis, noua & peregrina impreſſione inficere, ea demum ſcribere, quæ animus, non veritas dictauit. In eum, quantum ſapio, Melchiõr Canus fortè his verbis inuehitur, nomine tamen ſuppreſſo. *Qua in re*, inquir, *cùm Epiſcopus quidam noſtras fide* & non patria *deprehenſus eſſet ſæpe peccaſſe: eos enim authores citarat interdum quos nulla vnquam habuit ætas: eas res olim geſtas ſcripſerat, quas nullus homine: ediderunt: reſpondit referre nihil in hiſtoria ſic, an aliter eueniſſo ſcriptas. quod omnia eſſent ambigua, niſi quæ ſacris literis continentur. Indigna quidem Epiſcopo, eoque Theologo ſententia: nam ruſticus homo ... vanus ſi hæc dicat, non eſt mirum*, &c. Quibus rectè quadrat eiuſdem reſponſio apud Cauellum citato loco: reprehenſus enim à quodam Centurione, quod pugnam cui interfuit ocularis teſtis ipſe Centurio, multis erroribus, & figmentis conſperſerit, *ſi non e vero*, inquit, *e ben trouato* id eſt, ſi non eſt verum (ſupple quod ſcripſi) eſt bene adinuentum; huius inuentionis, ſi bona eſt, plura in hiſtoriis Iouij commenta taxantur, incerto, aut ficto authore feruntur, cuiuſmodi non immeritò quidam ſuſpicantur eſſe illa epitaphia quæ ſub nomine Latomi, & Ioui imaginario Scoti ſepulchro improbè ſcripſit, cùm nuſquam extra hiſtoriam eius non occurrant in vllo antiquiore. Sed vt hoc ſe habet, non eius eſt fidei, vt contra Scotum teſtis idoneus, & incorruptus deponat, vel admittatur. Non deſunt præter communem authorum cenſuram, alia etiam corruptelæ Iouianæ argumenta: nam decentis annis poſterior fabuloſum mortis genus ſcripſit, quem ex nullo authore accepit, neque communi fama, aut peculiari traditione eorum apud quos contigit fundatur: contra monumenta Colonien-

Paulus Iouius ſcriptor ex fide laborãs exploditur.

Aliæ corruptelæ indicia.

ſium,antiquas inſcriptiones & ſuſpenſas tabulas ex quibus contrarium adſtruitur, quòd ſi eiuſmodi licentia transferatur in hiſtoriam,vt fidem & aurem accomodemus iis,quæ nec publica,nec priuata fide fulciuntur,quæ cælum, oculos,ætatemque noſtram fugiunt,à probis,& incorruptis teſtibus qui eas viderunt non probentur, neſcio quid amplius hiſtoria differt à fabula, neſcio quid in fide humana integri, certi, aut probabilis eſſe poſſit, vbi nec coniecturæ ipſius fundamentum conceditur, támque liberum de præteritis incerta opinione iudicandi, quàm de futuris, nullo præeunte oraculo,diuinandi relinquitur arbitrium; ſic nempe quiſque libidinem ſuam impunè pro hiſtoria ſupponet; ſic eodem pretio, eadémque menſura verum & falſum iniqua commutatione pro foribus paſſim exponentur cõmuni ſocietatis humanæ naufragio. Quod ſi quiſpiam mihi eam hiſtoriæ examinandæ tegulam hic obiiciat, qua fides ex probitate ſcribentis conciliatur: adſtrui quidem primò debet,reipſa probitas, & tum locum habet, quando in re viſa, aut ab aliis fide dignis qui eam viderunt accepta,teſtimonium quis deponit, quæ nequaquam in præſenti currunt, aut fauent Iouio homini paruæ fidei, ducentis annis poſteriori, nulliúſque probati authoris ſequenti narrationem. Excipit tandem contra Iouium ipſa contradicentia, non modò rara & quæ euenire non contingit, ſed & repugnantia narrationis accidentia, deprauati affectus manifeſta veſtigia, rerum etiam impoſſibilium frequens exaggeratio. nunc enim Scoto acrimonij,& ſubtilitatis in grauiſſimis ſtudiis primas concedit,admirabiles offerens eius commentationes, mox hominem captioſum, in rebus fidei dubitabundum, peruerſorum ingeniorum contrario depingit colore,eundem viuum ad ſepulchrum raptum, mugientem in ſepulchro, elidentem caput ad ſepulchri lapidem fingit, qui effoſſa humo,eadémque ingeſta ſepultus eſt.hæc manifeſtè,ni fallor,declarant Iouium dum hiſce ſcribendis inſtaret, affectu actum eſſe magis, quàm ſenſu, neque ad veriſimilitudinem ipſam vllatenus reſpexiſſe; meritò proinde, & multis capitibus excludendus.

Contradictio contra eundem excipit.

Quod illi demum Poetæ apud Iouium canunt minoris eſt momenti, iis ſcilicet fidem faciant, quibus ignotum eſt poëſim in hoc vno cultum apponere, vt adſcitis pigmentis delectet, totúmque in apparentia, nihil in facto verſari: hiſtoria autem rectè factis contenta eſt. iiſdem etiam obiici poſſet, quod nihil certius Iouio (vt qui eiuſdem cum illo ætatis,) de Scoti funere potuerunt referre;non deſunt, qui alterum ſuſpectæ dicant religionis. his teſtibus, his authoribus ſtropham contexit Bzouius, reliquis prætermiſſis, qui ex fide ſcripſerunt,eoſdémque ipſos in hoc reprobarunt, quod non obſcurum calumniæ genus eſt; in hiſtorico verò ademptæ libertatis, & integritatis indicium. Pergamus deinceps res ipſas,& crimina diluere.

Fides non eſt ex poëtis petenda.

BZOV. *Hoc anno volens, nolens ex humanis abiit Ioannes Dunſius natione Scotus ex Minor. familia, Alexandri Alenſis Britanni quondam in Gymnaſio Lutetiæ auditor.*

Singu

Singularis ea Bzouij ſententia, quæ Scotum ad mortem rapit anno 1294. tamque ſingularis, vt eius ille primus fuerit inuentor: nam & reliqui authores, vt Poſſeuinus, Toſſignianenſis, Gonzaga, Sixtus Senenſis, Trith. Genebrardus, Chronicō Colonienſe, Eyſengrenius, Gerardus Mercator, Bellarminus, & quotquot annum mortis attigerunt, eum ſtatuunt 1308. & id confirmat Epitaphium æri inciſum, quod hoc diſticho clauditur.

Anno milleno ter CCC. cumque addoret octo,
Poſtremum clauſit letho agitante diem.

Deinde verſus Altare in gradu quodam lapidi hoc inſcriptum legitur attritis characteribus.

Obijt Fr. Ioannes Scotus ſacræ Theologiæ Doctor ſubtilis nominatus anno 1308.

In Altari item Sacrarij cōcordat vetus manuſcriptū continens nomina tam ſæcularium, quàm religioſorum, pro quibus ſacrificium offerri conſueuit. inter alia ſub die octaua Nouembris ita habet.

Obijt Fr. Ioannes Scotus S. Theologiæ Doctor eximius Lector Colonienſis, &c. qui obiit anno Domini 1308. *ſexto Idus Nouembris.*

His concordat antiquiſſima tabula nomina defunctorum fratrum continens in Clauſtro appenſa.

Reuerendus, inquit, *P. Fr. Ioannes Scotus ſacræ Theologiæ profeſſor, Doctor ſubtilis nominatus quondam Lector Coloniæ, qui obijt anno* 1308. *ſexto Idus Nouembris,*

Annum, diem, locum, mortis Scotiæ certum iſta deſignant. hallucinari amplius non licet; chronologiam verò Bzouij reprobat manifeſtè ipſe Scotus in 4. ſent. d. 6. q. 8. *Bonifacius octauus*, inquit, *in proœmio ſexti libri mandat quod de conſtitutionibus editis à tempore Gregorij noni vſque ad tempus ſuum illæ ſolæ habeant robur quæ ibi inſertæ ſunt.* hæc decretalis data eſt ſexto Nonas Martij pontificatus anno quarto, electus eſt Bonifacius hoc anno 1299. (quem morti Scoti præfixit Bzouius) 24. Decembris. Decretalis ergo data incidit in annum 1298. quo ſuperuixit Scotus, niſi ex ſepulchro ſimul cum illo mugitu, quem fingit hæc verba feciſſe adſtruat. Idem in 4. diſt. 25. q. 1. *Vnde*, inquit, *Benedictus vndecimus cum quodam tali ſine diſpenſatione ordinato*, &c. *diſpenſauit*. hic ſuffectus eſt Bonifacio anno 1303. 1. die Nouembris. nouem ergo annis ſuperuixiſſe ſe teſtatur Scotus, vt nec annum mortis, nec Pontificem, nec Imperatorem aſſecutus ſit Bzouius, in hoc laudandus, quod vel in ipſa fronte noti erroris impreſſum habeat characterem, quo lector moneatur, vt ſubſiſtat, vel certè cautiùs progrediatur.

B z o v. *Volens, nolens ex humanis abijt*, &c.

Quis hæc luſit? ſolus Bzouius: non fingat amplius alios, ea quæ ſcripſit, in Scotum luſiſſe. Sed vnde noſti *volentem, nolentem* mortem obiiſſe Scotum? *quem teipſum facis*? interfuiſti tribus ſæculis poſterior? ex iis qui tum adfuerunt ſcripſeris? adſtrue. nec Dei, nec Scoti conſilia-

rius es, vt huius animum penetres, aut illius conſilium : ſcribas tamen arcana cordis Dunſiani, velut omnia calamo tuo patula fierent, etiam quæ non ſunt, aut fuerunt. Dices, conijcio. ſi coniectura tantùm eſt, eam pro certa ſcientia ſubſtituere, & abſque dubitatione omni vendere impoſturam probat. ſed quæ radix coniecturæ ? nempe mortis genus, quod ſcribit Iouius, finxit, dixiſſet. approbas ergo, quæ Iouius finxit ? ecce hic te prehendo ; vnde enim tibi eiuſmodi inſomnium, niſi quia illius mendacia iampridem à te concepta, ſimilis impoſturæ authorem conſtituerunt, eundémque in te fructum habuerunt, quem is in ſuo lectore, & diſcipulo deſiderauit ? confirmaſti vtrique calculo tuo illius impoſturam ; & quod peius eſt, quam talem, niſi fallor, noueras, pro vero promulgaſti. idem mihi deinceps erit Iouius,& Bzouius. Sed hic parum acutus ; non video namque ex præſcripto mortis genere colligi poſſe Scotum volentem obiiſſe ; nam apoplecticus ſepultus, qui velle in eo ſtatu potuit, aut nolle ? decuſſa autem vi morbi deſcribit Iouius nolentem potiùs occubuiſſe.

Sed quomodo ſimul *nolens* & *volens* mortem ? Dialecticis exprobrandi cauſam non adimit,quibus id liberum permittit, vt pro arbitrio ſimul ad vtrumque contrarietatis limitem impingant narrationem, quibus in eo ſenſu impugnandam relinquo. Alium ex Grammaticorum vſu ſenſum ſuggerit hemiſtichium Homericum Iliados lib. 4. ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ, id eſt, *volens inuito ſanè animo*, quod vel tum maximè teſte Manutio dicitur, quando quis ſe fingit nolle, quod impensè cupit ; vnde Terentius in Andria. *In voluntate coactus es tua.* Sic autem velle mortem, ſeu cupere diſſolui, & eſſe cum Chriſto, velle liberari à corpore mortis huius, iuſtorum deſideria ſunt, quos in hoc præiuit Paulus;ſic etiam Dunſium voluiſſe mortem,anteacta ſine querimonia vita, & aſſumpti ſtatus Euangelici perfecta obſeruantia confirmant. quomodo autem eam ficte noluerit, haud reperio. [illegible] cum reliquis Bzouio relinquo [illegible] proprietatem [illegible] parte locutionis velit illæſam. Alio etiam [illegible] apud Euripidem incertus animi, *volens,nolens*, aſſeritur.

Οὐ δ' ἐθέλων τε κοὐ θέλων.

At is volensque & non volens.

Huius inconſtantiæ ſuſpicionem longè facit à noſtro Ioanne eius doctrina : qua nempe ratione, & quo modo quis mortem appetere debeat, & fugere, is ipſe [illegible], & [illegible] in 4.d. 50 q[illegible].2 §. *Reſpondeo ergo* cuius verba tran[illegible] placet, quærit [illegible] an liceat appetere non eſſe prop[illegible] ſugiendam, [illegible] in huc [illegible] reſoluit.

Præclara doctrina.

Reſpondeo ergo ad quæſitionem, quod propter [illegible]ram mali pœnæ, nullus ſecundum rectam rationem poteſt vel debet appetere non eſſe. Probo, nullus recta ratione poteſt appetere non eſſe ad fugiendum iuſtum, & bonum ſed malum pœnæ eſt iuſtum, & bonum. ergo propter fugam ipſius nullus debet appetere non eſſe ; maior patet, quia nihil poteſt appeti ſimpliciter, niſi eſſe : iuſtum autem, & bonum magis habet rationem eſſe, quam

quàm non eſſe; quia non eſſe opponitur ipſi eſſe; minorem probo quia pœna eſt quid iuſtum, & bonum, quia poſitiuum & punitiuum peccati, & culpæ.

2. *Præterea nullus ſecundùm rectam rationem poteſt aliquid appetere contra inclinationem naturalem, quando illa conſonat voluntati diuinæ: ſed ad eſſe eſt appetitus naturalis, vt patet 2. de generat. & 2. de anima, & eſt voluntati diuinæ conſonans.* &c. *Pœna autem non eſt diſſona voluntati diuinæ, quia infligit eam: ergo propter ipſam non eſt appetendum non eſſe.*

De 2 dico, quod ad fugiendum malum culpæ, poteſt aliquo modo appeti non eſſe, & aliquo modo non. Vnde ſciendum quod dupliciter poteſt comparari voluntas ad non eſſe, & ad miſeriam culpæ, ſcilicet vniformiter, & difformiter, vt ſit cauſa ipſius non eſſe, ſicut eſt cauſa ipſius culpæ, & hoc modo quæſtio nulla eſſet, quia nullo modo poteſt eſſe cauſa ipſius non eſſe, nec etiam, ſi poſſet deberet velle, & facere non eſſe propter fugiendam culpam, quia in hoc peccaret mortaliter. Probo, ſicut poſt eſſe diuinum, maximè teneor diligere eſſe meum, ſic poſt odium eſſe diuini, maxime teneor vitare, & fugere odium eſſe proprij: ergo odiendo eſſe proprium, & volendo ipſum facere non eſſe pecco mortaliter. Ergo oportet vt intelligatur quæſtio ſecundum quod ad ea comparatur voluntas difformiter, videlicet ſecundùm quod voluntas poteſt appetere non eſſe, non vt ſit cauſa ſicut eſt cauſa peccati, ſed vt voluntas ſuſtineret ipſum non eſſe ſi infligeretur ſibi; & ſic non eſt quaſi velle ſimpliciter, ſed quaſi non nolle, & talis voluntas eſt ſemper quando duo mala ponuntur, maius, & minus malum, quia quando ſunt duo mala in eligendo minus malum, & fugere maius malum. quia ibi vnum habet rationem boni reſpectu alterius, vt patet 5. Eth. cap. 6.

Sic ergo intelligendo quæſtionem dico quod voluntas creata tenetur non vitare non eſſe a Deo annihilante, aliter enim mortaliter peccaret. Ratio ad hoc, quia quilibet ſecundum rectam rationem tenetur ſeruare præceptum diuinum, quamdiu non eſt reuocatum, & per conſequens non facere peccatum, in quocumque caſu: quia quodcumque peccatum eſt peccatum, quia eſt contra præceptum diuinum, ſed non nolendo ſe à Deo annihilari non tranſgreditur quis præceptum diuinum, ſed inclinationem naturalem: vitare autem peccatum includit præceptum quod non eſt reuocatum: nunc autem ſemper ſic eſt, ergo tenetur ad iſtud, vt fugiat & vitet illud.

Præterea quando aliqua duo concurrunt ſecundùm diuerſas regulas, ſemper iſtud quod eſt ſecundum regulam ſuperiorem, eſt eligendum & faciendum, ſic eſt in propoſito, quia præceptum diuinum eſt ſecundùm regulam ſuperiorem, quia ſecundum voluntatem diuinam, quod eſt de non committendo culpam ſed nolle non eſſe, ſecundùm inclinationem naturalem, quæ eſt inferior; ergo potius debet non nolle ſe annihilari a Deo, quam culpam ſuam, vel peccatum.

Præterea velle illo modo non eſſe, ne ſcilicet peccet quis mortaliter, eſt velle non eſſe in honorem Dei, ſed hoc procedit ex maxima charitate, & dilectione Dei, quia in tantum vult ſeruare præceptum Dei, quod potiùs vult non eſſe, quam tranſgredi.

Hactenus

Hactenus Scotus, & licèt diſcurſus eius quoad materiam ſubiectam loquatur de non eſſe ſimpliciter, ſeu per annihilationem, perinde tamen eſt. habes ergo Bzoui, ex Scoto, qua ratione quis velle, & nolle mortem debeat ſine peccato, nec eſt præſumendum aliter eum ſcripſiſſe quàm vixit; docuit Scotus ita Dei honorem vitæ præferre, vt hæc ſecundas teneat, & vitam diligendam quando honoris diuini diſpendium non occurrit, Quomodo ergo nunc volentem, nunc nolentem fingemus? eam animi otioſi, atque in deſideriis viuentis conſtat eſſe vacillationem. *Vult enim & non vult piger*, Prou.c.13. quod ita quidam interpretantur, vt quia totam vitam deliberando tranſigit, modò *volens*, modò *nolens*; nunquam autem certam rationem curſúmve tenet, aut decernit; vel ſicut Caietano, Ianſenio, & Rodulpho placet, vult fructum, non vult laborem aut induſtriam, & ita *nolens, volens* à Spiritu Sancto deſcribitur. A vita, & opinione deſidis longè abfuiſſe Scotum monſtrat ſtatus, quem aſſumpſit, conuerſatio integra & ex præſcripto inſtituti ſemper irreprehenſibilis, doctrina & ſapientia omnium ſtupore celebrata, quæ *in maleuolam animam non ingreditur, nec habitat in corpore ſubdito peccatis*. Horum fidem infrà exige lector; vnum pro nunc teſtem produco Gonſaluum generalem Miniſtrum Epiſtola ad Guardianum Pariſienſem. *Dilectum*, inquit, *in Chriſto patrem Ioannem Scotum de cuius vita laudabili, ſcientia excellenti, ingenióque ſubtiliſſimo, aliiſque conditionibus ſuis partim experientia longa, partim fama, quæ vbique diuulgata eſt, informatus ſum ad plenum*, &c. Vita ergo Ioannis laudabilis, ſcientia excellens, ingenium ſubtile, omnem inertiæ, incertique animi excuriunt notam.

Tertiò, vt participium ad verbi figuram reducamus; *volens, nolens* etiam dicitur intuitu eius quod abſolutè, & citra omne cuiuſque arbitrium certò contingit. hinc Plinius in Panegyri: *futuri principes velint, nolint ſciant*. hoc modò abſolutam & independentem à nobis euentus neceſſitatem ſonat. Sic conceſſerim Scotum *volentem, nolentem* mortuum, reliquoſque omnes, qui naturæ curſum expectant, lege enim poſita, *ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori*. Quid ergo Scoto præter communem naturæ ſtatum contigit? pœna eſt ex traduce, non inſtituræ, ſed corruptæ per vitium naturæ hæreditaria.

Hebr.9.

Quartò & vltimò tandem hæ particulæ diuiſiuè ſumuntur, vt eſt apud Ciceronem ad Quintum fratrem: *Craſſum Iouianum hominem mibi debitum per me deterruit: velit, nolit ſcire difficile eſt*; id eſt, an velit, an nolit.,

Sic voluiſſe Scotum mortem, ſic noluiſſe, vtrumque Bzouio æquè incertum, vtrumque penitus ignotum; velle tamen mortem, ac nolle ſine peccato nonnunquam contingit, imò & cum merito, quando ex iuſtitiæ affectu quis *volens* eſt, aut *nolens*. Sanctus Martinus voluit mortem, quia maturiùs diſſolui & eſſe cum Chriſto; noluit mortem, *Domine ſi adhuc*, inquit, *populo ſum neceſſarius non recuſo laborem*. Voluit autem & noluit ex perfecta charitate. Quid dicam de Paulo, Andrea, Ignatio Martyre? quàm ardenter voluerunt mortem, geſta & ſcripta

eorum

teorum declarant. Chriſtus ſaluator noſter oblatus eſt, quia ipſe voluit eſſe Propheta, voluit ergo mortem? vtique atque etiam *noluit: triſtis,* inquit, *eſt anima mea vſque ad mortem*, &c. *Pater ſi poſſibile eſt; tranſeat a me calix iſte.*&c. quomodo autem ea volitio & nolitio penſanda eſt, ex regulis iuſtitiæ, & commodi portionis, vt aiunt, ſuperioris & inferioris abſolutè, & conditionatè, efficaciter, inefficaciter; ſecundùm quid, & ſimpliciter; appetitu elicito & innato, omnia egregiè ponderauit noſter Cauellus ad Theologiæ & Philoſophiæ præſcriptum, integram reuocans controuerſiam. Videatur Apolog. cap. 2. vbi in hoc de Bzouio plusquam triumphat ex Auguſtini, Thomæ, & Scoti placito; id nobis ſat eſt Scotum *volendo* & *nolendo* mortem, à Chriſto, & ſanctorum exemplo diſcordem non eſſe; ac proinde hoc genus calumniæ in eo ſolùm præiudicium inferre, in quo authoris imperitiam palam redarguit, aut certè fallaciam; ſi quid amplius inde concepit, quam nobis ſermo parturit communi vocis notione.

BZOV. *Alexandri Alenſis Britanni quondam in Gymnaſio Lutetiæ auditor.*

Senenſis eiuſdem eſt erroris, quem ex Trithemio mutuaſſe putem libro de ſcript. Eccleſ. mortuus eſt Alenſis anno 1245. vt conſtat ex Henrico Villot, Bellarmino, Poſſeuino, Gonſaga & reliquis inſtituti noſtri antiquariis: Scotus verò 1308. mortuus eſt iuuenis vtpote triginta trium vel circiter annorum iuxta fidem Epitaphij relati à Toſſignianenſi quod Scotum annos tantum Chriſti vixiſſe affirmat.

Tempora poſt Chriſti propria dulcedine lethum
Venit atrox raptim carcere compoſito.

Aliud verò Leonino carmine editum, etſi annos non recenſeat iuuenem eum obiiſſe commemorat.

Clauditur hic tumus, &c.
In teneris annis fuit ergo memento Ioannis, &c.

Gondiſaluus ſubinde Generalis, ætatis ſuffragio Albertum Metenſem Scoto præponendum cenſet in promotione ad Doctoratum; Contigit autem ea promotio anno 1305. ſexaginta annis à morte Alexandri. his adde ætatem, qua abſolutis philoſophicis Alexandrum Theologum audire potuerit; faciamus eam quindecim aut ſedecim annorum, tandem ſeptuaginta ſex annos natus lauream doctoratus aſſumpſit, ſi vera eſt ſententia aduerſariorum; adde & vnum aut alterum annum, quo diſcipulum egit in ſchola Alenſis, amplius erit; mirú, vt ſocio iunior cenſeatur, támque felix ingenium in ea primum ætate emeritam lauream ſit conſecutum. ex quibus aliiſque argumentis conſtat, cum haudquaquam audire potuiſſe Alenſem triginta ſcilicet poſt eius mortem annis in lucem primùm editum; quin & tres doctorum generationes inter noſtrum Dunenſem & Alexandrum interueniſſe conſtat, D. Bon. & S. Thomam; horum diſcipulos Egidium Romanum & Richardum de Media Villa; Scotus tertia poſt Alexandrum claſſe ſuccedit. hinc in

primo d. 16. quæſt. 1. D. Bonauenturam ſub antiqui Doctoris appellatione citat.

BZOV. *Ob profundiſſimam dicendi ſcribendique obſcuritatem* Σκοτει-νὸς, id eſt, *tenebricoſus, quod olim obſcuriſſimi Anaxagoræ cognomen fuit, cognominatus*, &c.

Hic Senenſis manum præbet, verba ſimul, & iniurias admin[illegible]at, & licèt in reliquis penè collector eſt, in Scotum ex genuino a[illegible]ctu, neſcio, ſi Zoilum, ſi cenſorem agat; vtinam in Claſſicum, & Orthodoxum authorem tam benignus, quam vel in Euſebium Cæſarienſem Arrianum, quem velis remiſque defenſum accurrit; cum Orthodoxorum Patrum choro infert contra fidem Athanaſij lib. de decret. Nicæn. Synodi, Hieronymi in vtroque libro aduerſus Rufinum, quem vocat Arrianorum ſigniferum & principem, Septimæ Synod. act. 5. in qua, primùm legati Apoſtolici, mox totum Concilium reucit authoritatem Euſebij Pamphili velut hæretici Arriani, cuius impietatem, vel in hoc ſatis detegunt fragm[illegible]a literarum eiuſdem ad Alexandrum Alexandrinum præſulem ibidem lecta, aliaque ad Euphroſinum; quin & Arrianæ hæreſi conuinxiſſe Theopa[illegible]hitarum, & Iconoclaſtarum veſaniam conuincitur ex eius ad relictam Licinij Conſtantiam Auguſt. m epiſtola, per Epiphanium Diaconum producta. Accedit, quòd de Arrianiſmo non obſcurè traducatur ab ipſo Senenſi in Euſebium Vercellenſem cui verſionem adſcribit commentariorum Cæſarienſis in pſal. *prætermiſſis*, inquit, *multis quæ ad Arrianam hæreſim inclinare videbantur.* Conqueritur etiam, & rectè, Cæſar Baronius tom. 2. ad an. 256. minùs tempeſtiuè ſuſceptum ab eodem Senenſi patrocinium Origenis contra Anaſtaſij Papæ, & Sextæ Synodi ſententiam: *Sed miratus ſum*, inquit, *vehementer poſt damnationem eius* (ſupple Origenis) *ab Anaſtaſio Papa pontificia authoritate inflictam, poſt eiuſdem reprobationem in ſexta Synodo pronunciatam, poſt tot antiquorum Patrum in idipſum conſpirantes ſententias, adhuc recentiores quoſdam auſos eſſe pro eodem nouas edere apologias, & authoritate totius Catholicæ Eccleſiæ iudicatas ſæpius controuerſias, denuo temere excitare, quod viſus eſt feciſſe haud pridem Sixtus Senenſis*, &c. De quo etiam multi conqueruntur quòd cum plures pro Origene apologias recenſuiſſet, nullam eccleſiaſticæ in [illegible]um ſententiæ mentionem fecerit, quin & multos deſultorio, & le[illegible] pede tranſcurrit, eos communi cum reliquis encomio laudans, qui vel in claſſem expurgandorum reiecti ſunt, vel penitus in toto abo[illegible]ti, & è conſpectu ablegati ob manifeſtos errores, & pericula legentium. Omitto non adeò cautè vulgatæ editionis, quoad aliquos in Canonem receptos libros, authoritatem tractaſſe, vt rectè notauit Poſſeuinus, vel ſaltim ea dixiſſe, quæ offenſionem generant. His omnibus aliiſque prætermiſſis tam in Scotum oculatus eſt, quàm non videns reliquos, & ne nihil dicere putaretur, tenebras neſcio quas nomini eius offundit, vel nouum potiùs comminiſcitur, quod antè eum nemo excogitauit elogium.

[illegible]gi[illegible]. Vt breui ergo comprehendam, Scoto cognomen Σκοτεινὸς, [illegible]rum fuiſſe commentum eſt Senenſis, Anaxagoram ita etiam appellatum eiuſdem eſt error. ſubſtituendus nempe eſt Anaxagoræ Heraclytus ex Laërtio in Socratem lib. 2. de vitis philoſophorum, & lib.9. in H[illegible]a[illegible]lytum, Seneca Epiſtola 12. Hieronymo lib.1. in Iouinianum, Tertulliano de anima in principio. non obſcurè id ſubindicat Eryximachus apud Platonem in conuiuio de amore. Ariſtoteles 3. Rhetoricorum c.[illegible].5. aſſignat cauſam obſcuritatis, cuius verba ſunt. *Vniuerſaliter autem oportet*, inquit, *legibile eſſe, quod ſcriptum eſt, & dictu facile: quòd idem eſt. id autem multæ coniunctiones, longæque redditiones non habent, nec ea [illegible]uæ non facile diſtinguuntur, veluti quæ Heraclytus ſcripſit, quæ, quo[illegible]am non patet, priori ne, an poſteriori quicquam accommodetur, diſting[illegible]ere arduum eſt*. Idem de mundo in principio: *atque hoc idem eſt, quòd etiam apud Heraclytum reperitur, qui obſcuri cognomen meruit*, &c. Cicero [illegible]b.2. de diuinat. idem ſtatuit. *Quid*, inquit, *poeta nemo, nemo phyſicus obſcurus, ille vero nimis etiam obſcurus Euphorion, & non Homerus. [illegible]i[illegible]ur melior? valde Heraclytus obſcurus, minimè Democritus; num [illegible]tur conferendi?*

Heraclyt. σκοτεινὸς. Laërtius. Seneca. Hieron. Tertull. Plato. Ariſtoteles.

I[illegible]em de fine bono, & malo: lib.2. in principio. *Heraclytus cognomen[illegible] [illegible] σκοτεινὸς perhibetur, quia de natura nimis obſcurè memorauit.*

Ad Scotum tranſeamus. in Bibliotheca primùm Senenſis inſcribitur [illegible] velut vſu, & aliorum iudicio id appellationis ſortitus; quòd f[illegible]dul[illegible]ſt, & [illegible]ctionis velamen, cùm primus ipſe Senenſis fraudulent[illegible] [illegible]enebricoſæ a[illegible]nominationis velut in tenebris exagitauit conſilia, [illegible]o[illegible] nè Σ[illegible], [illegible] Σκο[illegible] [illegible]. aliam eámque communi ſenſu [illegible]m Ioannis S[illegible]oti appellationem *ſubtilis Doctoris*, ex anterioribus [illegible]s, & ſynceriùs ſcripſiſſet; omiſit, nos omiſſam reſtituamus ex [illegible] tit. 24. cap.[illegible]. §.11. *Ioannes Scotus*, inquit, *qui ſcripſit ſuper [illegible] m[illegible]lta [illegible] [illegible]nde [illegible] dicitur Doctor ſubtilis*. Hinc Caietanus in [illegible] 1. partis eius ſubtilitatem & copiam laudat. ſed ad anteriores [illegible]mus. Gulielmus à Rubione Scoti diſcipulus in 1. d. 2. quæſt.5. [illegible].4. *Hoc modo*, inquit, *intendit Doctor ſubtilis ponere diuinam eſſen[illegible] [illegible]n eandem formaliter cum relationibus originis*, &c. Gulielmus [illegible]m [illegible]l. quæſt.6. *Iſta opinio*, inquit, *eſt, vt credo, opinio ſubtilis [illegible] qui alios in ſubtilitate iudic[illegible] excellebat*. Antonius Andreas in [illegible]. [illegible]mum *& excelle[illegible]mum Doctorem* appellat. Barth. [illegible]s c[illegible]rt. fruct.11. par.2. fruct. 8. *ſubtilem*. Aſtenſis in 1. pag. [illegible] *[illegible]men & ſubtili[illegible]mum*. Vniuerſalis hiſtoria, *famoſiſſimum, ſ[illegible]mum*. Iacobus Bergomenſis in ſupplemento, *Theologorum ſub[illegible]mum*. Chronicon Noremhergenſe, Theologum *ſubtiliſſimum*. Gu[illegible]lmus Worilon in 4. d. vltima. *Quem*, inquit, *mater vniuerſitatum Pariſius ſuo in flore & pretio tot inter Doctorum turmas ſubtilis nomine in[illegible]nium* &c. Chronicon Colonienſe Doctorem *ſubtilem*. Bernardi[illegible]us à Buſtis officij Concept. lect. 4. ob diſputationem pro Virginis immaculata conceptione tuenda Pariſiis ita cognominatum adſtruit: *Scotus verò*, inquit, *propter hoc Doctor ſubtilis appellatus*. Cui concordat

Scotus cognominatus ſubtilis. Rubione. Ocham. Ant.Andr. Piſan. Aſtenſis. Bergomen. Schedel. Chron.Noremberg. Worilon. Chron.Colonien. Buſtis.

Pelbartus Stell. 1. p. art. 3. Cucarus in elucidario Virginis p. 2. Confirmat hoc ipſum Epitaphium relatum à Toſſignianenſi lib. 3. Seraph. hiſt.

Pelbart. Cucarus.

Doctor ſubtilis ſoluens ſua luſtra Ioannes
Scotus in obiectis vltima verba dedit.

Infrà diſt. 4.

Concepta eſt Virgo primi ſine labe parentis,
Hoc tulit, hoc dicto pralia dura dedit.

Vel, vt noſter Ferquius, ex oculari fide etſi vitiato carmine,

Hoc tulit hic hereſi prelia dura dedit
Inde genus meriti tantum ſibi Papa refundens
Doctor ſubtilis dicitur inde dedit.

Sed ne in immenſum habeat tot, tantorúmque conglobatio teſtium quot veritati noſtræ ſubſcripſerunt, duos tantum adſciſci placet, quorum primus erit inſignis Theologus Ioannes de Raguſio ordinis Dominicani in ea oratione, quam habuit de communione ſub vtraque ſpecie in Concilio Baſilienſi; habetur ad calcem eiuſdem Concilij in editione Seuerini Binij 4. tom. par. 1. *Item Scotus*, inquit, *qui præ altitudine & ſubtilitate doctrinæ antonomaſtice nomen Doctoris ſubtilis in ſcholis obtinuit*, &c.

Ioannes de Raguſio.

Echius.

Alter eſt Ioannes Echius in Chriſtopaſſo pluribus in locis ſed potiſſimum centuria ſecunda in appendice, citans Herueum *Is*, inquit, *eſt Herueus ex familia S. Dominici Doctor illuminatus, vt Lazarus Soardus cognomen ſubtilis ei tribuit qui cum Ioanne Duns Scoto vero cognomine doctore ſubtili, apud Agrippinam Coloniam nobiliſſimam Germaniæ Academiā publicè ins de ſummis Theologiæ apicibus magna cum gloria diſputaſſe fertur: Verum palmam Scotum tuliſſe aiunt in eo articulo qui de immaculata Virginis conceptione fortaſsè tunc in controuerſiam venit. E regione vero Herueum inſigniter contra formalitates Scoti dimicaſſe vti hodie Colonienſes ſubmurmurant · ſubtilitates Herueæ deſtruxerunt formalitates Scoti: ſtatim poſt hoc debitum naturæ perſoluit Scotus Coloniæ apud Cordigeros ſepultus anno gratiæ 1308. 6. Idus Nouembris quo anno inita Alpeſtrium Heluetiorum in ſuperiori Germania multis nobilibus & principibus excuſſa confœderatio, & liga initium ſumpſit. Sed vtcumque ſit, exploratum eſt naſuto, & docto lectori Herueum fuiſſe virum doctum, acri ingenio, & ſubtili. attamen Ioannem Scotum multis ſubſellijs ei præferendum*, &c. hi ergo noſtri, veſtri, externi, domeſtici, appellationem *ſubtilis* Dunſio vna omnium acclamatione concedunt. hi, inquam, omnes quos adduximus, & plures quos breuitatis cauſa omiſimus, omnes Senenſe antiquiores, quos certius amplecteretur: non enim recens inuentum ſed fundatum, atque ab ipſo principio partum encomium, celebratur à coæuis authoribus, confirmatur in hanc vſque ætatem à ſuccedentibus, & iam paſſim eas in ſapientum, ſcholæque æſtimatione poſuit radices, vt ſi *ſubtilem* appelles, ſoli applaudant Scoto, *qui* (inquit Ioannes de Raguſio) *præaltitudine, & ſubtilitate doctrinæ antonomaſtice nomen Doctoris ſubtilis in ſcholis obtinuit, &c.* Cæterum reiecta appellatione, crimen ipſum obſcuritatis propellamus. Sed quænam illa obſcuritas? *profundiſſima,*

Crimen obſcuritatis reiicitur.

ſima, inquis, *dicendi & ſcribendi*. hoc mihi obſcurum eſt; quomodo Senenſis tertio,& Bzouius quarto poſt Scotum ſæculo potuerint audire dicentem ſiue obſcurè, ſiue clarè? ſcripta quædam legere, notam inurere dicenti per ſe non potuerunt; nec ex aliis confirmant eum obſcurè diſſeruiſſe, aut ex fide dignis conſtat. argumentum fortè profunditatis in dicendo obſcuritatis fuit, ſcholam Pariſienſem in ſuam ſententiã traxiſſe diſſerendo, vt dedignata non ſit Vniuerſitatũ mater, aliis facem præferre ſolita, Scotum immaculatæ conceptionis defenſorem præcunte ſequi, & reiecta antiquorũ ſententia eius ſtatuto confirmare.

Lege grauiſſimos Theologos Cucarũ, Pelbartũ, Ægidium, de conceptione, Iacobũ à Granado, Ferdinandũ Salaçar, Ioannem de Pineda, Petrum de Ojeda, Bernardinum de Buſtis, lege inquam hos ſiue in fonte, ſiue tranſcriptos à Patre Cauello cap. 5. vitæ Scoti, indicabunt ſi obſcurus diſſertator Scotus. Signum nempe obſcuri, & intricati diſſertatoris eſt, quod præ reliquis ſtudij Pariſienſis Theologis eundem Coloniam deſtinarit Generalis ordinis præfectus, vt huius myſterij veritatem ibidem contra Alberti Magni diſcipulos propugnaret, atque vt aliis placet, inſurgentes tum, ſeu Lolardos, ſeu Beguinos, impugnaret. Obſcurus nempe in dicendo Scotus qui in concertatione illa Pariſienſi ex tempore ducenta aduerſariorum argumenta felici memoria reſumere, feliciori ingenio reſoluere potuit, feliciſſimo tandem, denuo cum omnium ſtupore & applauſu confirmare.

Verum ad ſcripta me refero, in quæ hæc magis ex aduerſariorum inſtituto torquentur. obſcurus ergo in ſcriptis Scotus. Ita Senenſis, ita Bzouius. Sed quibus id rationibus? rectè ex vſu mihi venit illud Bionis in Grammaticos, de errore Vlyſſis quærentes, ſuum non inquirere, nec animaduertere, quod in hoc ipſo errarent in vanis & inutilibus laborantes. Obſcuritatem, tenebráſque Scoto offundunt aduerſarij, ſuas non inquirentes, qui enim de alio quidpiam deponit, vel ratione, vel teſtimonio deponat, lex eſt, fidémque in ſpecie, & ex particularibus faciat. Si obſcurus in quo & vbi obſcurus? hæc obſcuritas ſi erroris, ſi inſcitiæ, ſi fallaciæ? hæc obſcuritas vel ſtyli, vel materiæ? rerum an verborum? nihil definiunt aduerſarij, totum ſub ea, quam improperant, relinquentes obſcuritate. inſcitiam quidem ſubtilis nomen haudquaquam patitur, fallaciam ſyncera profeſſio excludit; errorem verò de facili non admittit Scotus tercentum & amplius annos ſine nota per omnia currens tribunalia. Si obſcuritatis ſermonem damnare iuuat, planus eſt, ſimplex, ſine fuco, ſine ambiguitate, ſine æquiuocatione, omnem excludens tropum, figuratámque locutionem, quæ obſcurum reddunt ſenſum; verùm quia ſermonem obſcurum defectus intelligentiæ, reique ſubiectæ magnitudo cauſat, humilem ingenij captum ſuperans; primum nobis imputetur, quibus & ſenſus hebetudo ad veritatem cum Scoto acceſſum negat; reliquum Scoticæ ſubtilitatis continet laudem quæ altius volans præſtantiores in hoc genere ſuperauit, ſeu, (abſit inuidia) certè æquauit. Vnde Pauli Scriptoris in prologo 1. ſententiarum ea ſententia eſt, dum ageret de iis

 qui

Paulus ſcriptor. qui Theologiam monu[...]entis el[...]arunt. *Inter quos*, inquit, *ſalua pace omnium, vnum alijs pluribus praſtantiorem Ioannem Duns natione Scotum intueor. qui prædicta omnia tam clarè, tam luculenter, tam ſubtiliter enodauit, vt merito omnibus admirandus omnibus venerandus, & omnibus ſit ſtudio & charitate amplectendus: cuius ſententiæ ſunt profundæ, & vt pateb[...], propoſitiones fœcundæ in tantum. vt vnius propoſitionis fœcunditas frequenter decem vel viginti alias ſubtiles, veras, & vtiles propoſitiones virtualiter includat.*

Tanto fuit (teſtatur Leſleſius) *ingenij acumine, iudicij vi, doctrinæ cognitione. vt Theologiam i[...]am reconditiorem, quam ſcholaſticam vocant, multis ſubtilitatibus exquiſitis feliciſſimè auxerit. in quibus quod multa, quæ in obſcuro poſita late[...]ant [...] a tenebris acerrima ingenij perſpicientia eruerit, qui eius viam & doctrinam auidius conſectamur. imo qui quæſtionis alicuius intimam [...]ationem ad viuum reſecant, ac ſubtilius perſ[...]utantur, Scotiſtæ ſummæ tanti ingenij laude vocantur, quaſi nihil, aut tanta difficultate interceptum, aut tam denſa caligine inuolutum, quod Scoti ingenium non potuerit penitus inſpicere, ac clarè aperire.*

Worilon in epilog. ad 4. ſent. *Eius dicta communem tranſcendunt facultatem, inquiſitor maximus veritatis, redarguitor falſitatis, veri arca, legum ſumma, rerum compet[...] ſanctio.*

Multa Scotus in Metaph. & naturalibus, multa in Theologicis & ſupernaturalibus profunda ſpecul[...]us, terreni ſen[...]us ob[...]tum, velut inter nubes aquila, ſuperuolauit, humi repentibus obſcurus, quibus id dumtaxat verum eſt, & clarum, quod manibus palpant, aut ſenſum rudi contactu exercet. communis cum Auguſtino, cum Ariſtotel[...], [...]
1. Pet. 3. Platone, cum ipſo Paulo ob[...]curitas hæc fuit. Nam & Petri teſtimonium eſt de epiſtolis Pauli: *In quibus*, inquit, *ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles deprauant.* quod potiſſimum de ea quam ad Romanos ſcripſit, fatentur authores, in qua vocatio gentium, reprobatio Iudæorum, altiſſima di[...]næ præ[...]tionis, & electionis myſteria non ex humano ſenſu tractauit Apoſtolus Dei ſpiritu inflatus, ad myſterij & quæſtionis obſcuritatem ſuſpenſus, atque exclamans altitudinem diuitiarum ſcienti[...], & ſapientiæ Dei, incomprehenſibilia iudicia, atque inueſtigabiles vias eius. Cæterùm obſcuritatem Scoto obi[...]it Senenſis, quod commentarij eius in dictam epiſtolam obſcuri ſint, licèt docti, & profundi, quaſi hæc myſteria manibus contrectari, aut circumducto leuiuſculè circino comprehendi poſſe, velut in plano quodam conſideret. Vel ipſius iudicio, Scotus in dicto commentario *valdè eruditus ac ſenſu profundus eſt*; quid ergo mirum ſi obſcurus? ea enim rerum obſcuritas eſt, non authoris vitium; alioquin excuſa Pau-
Hom. 31. lum. Auguſtinus ob quæſtionis obſcuritatem alibi ſe excuſat. *Sufficiat*, inquit, *fratres, nos id me dixiſſe, quod cogitatum fortè aperiatur, multis ſæpe verbis dictum obſcuretur.* Quin & Scotus agens de myſteriis præ-
1. d. 41. deſtinationis Paulum ſequutus. *O Altitudo*, inquit, *diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: & quis eius Conſiliarius fuit; ideò, ne ſcrutando de profundo eatur in profundum, eligatur quæ magis placet* (*ſupple ſententia*) *dum*

m tamen ſaluetur libertas diuina, & alia, quæ ſaluanda ſunt. quomodo ergo, vel quid in hoc argumento ſcripſerit in Apoſtolum neſcio, non vidi: hic certè præter ingenium humilitas laudatur & ſynceritas. Dicamus ergo Scotum, cum Apoſtolo, cum Auguſtino, cum Platone, obſcurum eſſe. hanc tamen obſcuritatem excuſat Tullius de fine bon. & mal. lib. 2 *At tamen vide*, inquit, *ne ſi ego non intelligam, quid Epicurus loquatur cum Græcè, vt videor, luculenter ſciam, ſit aliqua culpa eius, qui ita loquatur, vt non intelligatur, quod duobus modis ſine reprehenſione fit: ſi aut de induſtria facias, vt Heraclitus cognomento qui σκοτεινὸς perhibet, quia de natura nimis obſcure memorauit: aut cum rerum obſcuritas, non verborum facit, vt non intelligatur oratio; qualis eſt in Timæo Platonis. Epicurus autem vt opinor, necnon vult, ſi poſſit, planè & apertè loqui; nec de re obſcura, vt Phyſici, aut artificioſa, vt Mathematici; ſed de illuſtri & facili, etiam in vulgus peruulgata loquitur.* Cicero.

B[illegible] o v. *Scripſit præter logicas difficultates commentarios in euangelium, in Apoſtolum, & in Magiſtrum ſententiarum. quibus aliquis illud, quod ex tractatu Ezechielis Prophetæ viſioni cuidam D. Hieronymus præponit, ſubſcripſit.*

Hic labor illa domus & inextricabilis error.
Vt quondam Creta fertur labyrinthus in alta
Parietibus textum cæcis iter ancipitémque
Mille vijs habuiſſe dolum, quo ſigna ſequentum
Falleret indeprehenſus & irremeabilis error.

[illegible] a ſe ipſiſſe Scotum legiſſet ex Villot, Poſſeuino, Gonzaga, Bellarmino. Sed ea ſuppreſſiſſe magis expedit, quàm expreſſiſſe eâ notâ, qua reliqua Bzouius conſpurcauit? Vnus eâ impoſturâ notus eſt Bzouius. [illegible] is Senenſem ſubſtituit. audiuimus Bzouium, audiamus & Senenſem, licèt in quibuſdam editionibus carmen eiuſmodi non habeatur; [illegible] Veneta anni 1576. tranſcribamus ex aliis quæ Bzouio famulari [illegible] in maleficium. *Fertur*, inquit, *Scotus, ſcripſiſſe commentarios in euangelium & in Apoſtolum, ex quibus ipſe legi fragmentum in Epiſtolam ad Romanos valdè eruditum, ac ſenſu profundum, ſed iuxta authoris normam tenebricoſum, obſcurum, & vix in eius ſchola detritis peruium, cuius [illegible] eſt circa epiſtolam Pauli ad Romanos. id cum proximis annis typographus Lugdunenſis excudere moliretur, & a me epigramma efflagitaret [illegible] initio præfigendum, venit illico in mentem nullum aptius [illegible] labori obſcuritati conuenire, quam illud, quod Hieronymus ex [illegible] Ezechielis viſioni cuidam proponit his verſibus. Hic labor illa domus.*

Senenſis illud carmen commentario dumtaxat in epiſtolam ad Romanos ſcripſit; Bzouius omnibus operibus eius ſubſcripſiſſe imponit. Senenſis non alio ſenſu, quam Hieronymus idem carmen adhibuit, propter obſcuritatem, laudat ipſum opus à magna eruditione, & ſenſus profunditate. *Venit*, inquit, *ilicò in mentem nullum aptius carmen laboris*

laboris obſcuritati conuenire. Alius Bzouio animus fuit, quem ex Paulo Iouio infra confirmat; ſufficit nobis pro nunc hominem detexiſſe, nec enim cenſura tanti facienda eſt, quæ fide laborat. Senenſis eam eſſe voluit Bzouius, eam Senenſis non eſſe oſtendimus. Quid ergo amplius in ea agitandum eſt niſi quod authore careat, impoſtorem, cuius eſt conſtat, inueniat. Alij iam Scotum vindicarunt ab errore, & dolis huius labyrinthi ac meabilem ſine offenſa, ſuis lucubrationibus demonſtrarunt. Adi Antonium Andream, Mayronem, Mauritium, Trombetam, Ioannem Canonicum, Lychetum, Radum, Paulum Scriptorem, Bargium, alioſque infinitos, qui accenſam facem non tam ipſi præferunt, quam iam à Scoto accenſam ſine periculo ſequuntur. Id Scoto ſingulare affirmauerim, diſcipulos illuſtraſſe, ab iis nequaquam illuſtrari: nullum enim argumentum nullamve ſolutionem pro eius doctrina excogitatum adhuc penè video quod is ipſe mira ſubtilitate, & magis quàm lynceis oculis non præuiderit. Quid ergo? tantis viris, qui orbem vniuerſum ſuis monumentis illuſtrarunt, defuit ingenium vel induſtria? nihil minus: Sed Scoto abundauit, vt aliis meritò præluxerit, lucem non acceperit: ad hunc ſplendidiſſimum ſolem, noctuæ lipiunt, ſeu in toto cœcutiunt; nihil enim magis obſcurum infirmis oculis, quam nimius fulgor, qui viſum perſtringat, non concedat: nam & papiliones circumuolant facem, donec incautius velut excœcati impingant. Sed demus in Scoto altiſſimarum rerum tenebras ſeu obſcuritatem, ad quæ obtuſior intellectus noſter de facili non aſſurgat. Talis in Metaphyſicis eſt Ariſtoteles, talis Pythagoras in ſymbolis, Zoroaſter & Zamolxides in magia, talis in myſteriis & parabolis fuêre Salomon, Prophetæ, ac ipſe Chriſtus: nunquid idcirco dolus? nunquid labyrinthus? nunquid deceptio? nunquid irremeabilis error, qui ſequentum veſtigia falleret? Inter ſapientes ſapientiam loquitur Paulus, pueris verò lac præbet; vulgans animus legis ſpiritum & intelligentiam non ſapit, in nudo cortice hæret, errat, decipitur, offendit, non Scripturæ ſacræ dolo, ſed ingenij præſumptione, quod innata audacia intrare contendit vbi non datur acceſſus, nec humiliter ad oſtium pulſare, ſed foribus euulſis violentius peruadere, pedem in præcipitium porrigere, non cautè ambulare ſtudeat. eiuſmodi errores propria temeritas ſeducit non ſpiritus veritatis, qui abſcondita à ſapientibus & prudentibus reuelat paruulis, qui filo intelligentiæ ad interiora velut per manus ducuntur. Hoſce dolos, hæc pericula viſioni Ezechielis eſſe ab extrinſeco legentis infirmitate & imprudĕtia docuit Hieronymus, niſi ductorem habeat ſpiritum. Sequere Hieronymi ſenſum, non repugno ita Scotum lectoris tarditate, & imperitia perplexum eſſe. ſolidioris autem ingenij profundæ ſpeculationis, & ſcientiæ laus eſt non vulgans eo peruenire, quo tardioris intellectus non attingat curſus.

BZOV. *Iure merito emblematis loco iſtud epigramma eius operibus præfixum: nam omnia, quæ ſcripſit, dixitque, adeo ſunt denſis tenebris damnata, vt vix in eius ſchola detritis appareant,* &c.

Si tam denſis tenebris occuluit ſua Scotus, vt quid tantus in ſchola veſtra D. Thomæ aduerſarius inclamatur? non certè quia argumenta denſis tenebris damnata profert, quibus contrariæ partes in varias factiones torqueantur, atque adeo torqueantur, vt non cum laruis, & tenebris bellum, nec de nihilo eſſe conquerantur, conqueſtus eſt præ cæteris Caietanus, quod nequaquam ex inſidiis & latebris, ſed palam magna ſubtilitate & copia in Doctorem Angelicum mouerit, & maximè omnium primam eius partem impugnauerit. *Theologi*, inquit, *complures, neque adeo contemnendi magnum ſibi nomen ingenij ac doctrinæ facturos hinc ſe eſſe putarunt, ſi veluti munitiſſimas arces fortiſſimi duces ſolent, ita illi partem hanc primam ſuis machinationibus oppugnarent. Ioannes verò Scotus egregia præter ceteros in hac re laborauit ſubtilitate & copia, quippe qui ſingula prope eius partis verba labefactare contendat.* Hoc iudicium Caietani viri ſuorum opinione inter diſcipulos D. Thomæ ſummi, hic eius ſcopus, vt verum ſui magiſtri non modò ſenſum erueret, ſed contra impugnatores Scotúmque præcipuè tueretur. non indignetur ergo Bzouius, ſi Caietanum ei in hoc præferamus, vt cui familiarior Scotus fuit, & hiſce diſcernendis tantum antecellat, quantum doctæ lucubrationes incompoſitæ farragini præferendæ ſunt; neque enim aliter mihi videre videor Caietanum & Bzouium de Scotica doctrina inter ſe differentes audire, quàm hominem à natiuitate cœcum, & videntem de coloribus; ille de nominibus tantùm diſceptat, nullum de colore verũ conceptum formare poteſt; hic verò rem clarè comprehendit: illi omne, quod lucet obſcurum quoddam chaos, & ipſiſſima eſt tenebra, hic verò lucem apprehendit, & noctem à die, diem à nocte oculis clarè diſcernit, quia videns eſt. Caietanus Scotum vidit, legit, vidit magnam in doctrina copiam & ſubtilitatem; ſyncerè virtutem in aduerſario non tam admiratus eſt, quàm laudauit, Bzouius autem Scotum non vidit (ſi ſyncerus eſt ſcriptor, aut liber ab affectu) legit quaſdam labyrinthi deſcriptiones, vidit obſcura illa cœcorum ſomnia, imaginarium chaos, in his velut in remotiſſimo aditu Scotum apprehendit, non tam docentem quàm oracula quædam tenebroſa, & ænigmata ſphingis inſtar meditantem. appello ad Caietanum, appello ad videntes qui noctem à tenebris diſcernunt, veritatem amant, loquuntur, ſcribunt; horum plures ſuperiùs adduximus, inferius autem alios ſubiungemus.

Cai. præf. ad 1. p.

2. phyſ. c. 1. t. 7.

B Z O V. *Paulus Iouius elogio adiuncto virum ornauit.* Ironia iniurioſa.

Cuius ornamenti genus? quod elogium? tibi ornatus eſt Chriſtianis dogmatibus illudere, fidem confundere, lites ſerere, captioſè differere, atque proteruè, publici aut occulti cuiuſpiam piaculi vltionem manifeſtam ſubiiſſe, ſeipſum interemiſſe, ingenia corrupiſſe? Iſtud Iouij celebre in Scotum elogium? ita hominem ornauit? minus quidpiam Witclefus, & Caluinus in totam ſcholam: at certè non tam imprudenter. prohibuit Pythagoras diſcipulis ſuis fabarum eſum non inurbano

ſymbolo ; conqueſtus tamen alibi Nazianzenus de quodam ſui temporis collectore hiſtoriarum , quod Pythagoræ fabas vertit in oua , quod inſit animantis initium : *quem audiendum*, inquit, *putaremus, ſi vel vnum authorculum veterem , vel argumentum aliquod grauius adlegaſſet.* Fabas edit qui iudicium corrumpit ; antiquitùs nempe fabis ſententia ferebatur. Sed quid Nazianzenus ſi modernum ſartorem hiſtoriarum legiſſet, qui dedecus in ornatum,contumeliam ſeu detractionem in elogium vertit ? vereor ne mimum redargueret , magis quàm laudaret hiſtoricum , qui dignum Iouianæ dicacitati attexuit exordium. *Sed abominatio Domini eſt omnis illuſor. ipſe deludet illuſorem, & manſuetis dabit gratiam.* Prou. 3. commodè aduocaſſet in conſilium D. Thomam 2. 2. quæſt.7. art.2. ex cuius doctrina expendiſſet, quàm graue delictum ſit aliorum mala & iniurias graues in luſum trahere. grauiùs certè peccauit Bzouius , quàm Iouius ex Thomæ ſententia. *Cùm autem* , inquit, *accipitur paruum ratione perſonæ ſicut defectus puerorum, & ſtultorum parum ponderare ſolemus. ſic aliquem illudere vel irridere eſt eum omnino parui pendere , & eum tam vilem æſtimare , vt de eius malo non ſit curandum , ſed & quaſi pro ludo habendum. & ſic deriſio eſt peccatum mortale , & grauius quàm contumelia, quæ ſimiliter eſt in manifeſto , quia contumelioſus videtur accipere malum ſeriosè , illuſor autem in ludum , & ita videtur eſſe maior contemptus & inhonoratio.* Hactenus D.Thomas.nonne parum Bzouius ponderauit detractiones, & iniurias quas in Scotum euomuit Iouius ? in elogium & ornatum vertit, lectorem ad eas irriſoriè inuitat, velut ad laudes percurrendas : *Mors*, inquit, *& laudes Ioannis Scoti.* in his libenter paſcit, viderit an tutò, an ſine offenſa Dei.

Irriſionis grauitas.

B z o v. *Nemo inquit* (ſupple Iouius) *qui non inſano pietatis amore flagrantes , vltrà ſeſe cœnobijs in ſeruitutem addixerunt , Ioanne Scoto in grauiſſimis ſtudijs , aut acrior , aut ſubtilior fuit , quum admirandis commentationum voluminibus editis nouam de nomine ſuo ſectam conderet.*

Hæc præclara quidem encomia ſunt,& ex fide laudatur Scotus à pietate, ab actimonia in grauiſſimis ſtudiis , ac ſubtilitate , ab admirandis lucubrationibus, ſeu commentationibus , quod nouam etiam de nomine ſuo condiderit ſcholam. non vulgaris commendatio , ſed vt eſt varium & inſtabile hominis ingenium in extremam mox tranſiliuit detractionem, vt eundem ſub eadem pagina, & ſummè laudauerit,& ſummè vituperauerit , & quod deterius eſt , idem eſt caput laudis & vituperij, ingenium, & doctrina, nunc ſumma, nunc infima pro laudantis & detrahentis arbitrio, non pro iuſta veritatis, aut æquitatis lance. Torneri nempe vulgatæ ſententiæ , vel ipſe hic in contraria diſtractus ſubſcripſit. *Iouius maleſanus ſcriptor , laudat,vituperat, non ad normam veritatis, ſed pro ratione præmij.*

Inſtabilitas Iouij.

B z o v. *Et in Aquinatis ſcripta non diſſimulanter inuehebatur.*

Hic

Hic primùm Scotus amarum ſapit.hactenus ſubtilis, & acris ingenij in ſtudiis grauiſſimis:nunc deinceps captioſus,dubitabundus in fide,peruerſor ingeniorum audiet. quoniam igitur totum inuidiæ,& detractionis huc pondus inclinat, illud perpendendum erit, ſi licuit Scoto à D.Thoma recedere; eiuſque ſcripta, quando minùs ſtare viderentur ex præfinita veritatis indagatione impugnare.inquirere autem primùm lubet, quænam illa authoritas D.Thomæ, quæ reliquas omnes, ſi diſcrepent, poſtulet ad ſubſellia? eam ſic quidam offert.

Porrò licuiſſe S.Thomæ vt à Magiſtrorum ſententijs, velut ad veritatis ſemitam declinaret, nulli videbitur mirum, qui expenderit hunc virum ſanctiſſimum electum eſſe, cui tribueret cœlum theſauros ſapientiæ Dei, cui Spiritus Sanctus ad aurem inſideret, cuius ſcholam ingrederetur Paulus, quem ipſe Chriſtus ſecurum eſſe doctrinæ ſuæ iuberet, &c. *Cùm ergo non lateret Scotum quanti in Eccleſia Doctor angelicus haberetur, & omnes exiſtimarent veritati probè conſultum cuius fax clariſſima Thomas, in tam varias opiniones iuit*, &c. infrà. *Cæterùm deſinente viuere Angelico Thoma omnes ſibi habebant perſuaſum nihil vltra deſiderari in Theologicis quod non abſolutiſſimè & veriſſimè retractaſſet. quæ opinio cùm animos imbuiſſet ferè ſingulorum, qui Theologiæ operam dabant, excipio paucos quos ſemper in tranſuerſum agit malignitas, neque enim quidquam ita pulchrum, vt nemini videatur turpe, factum eſt, vt acrius quidam exiſtimauerint de Scoto. Sic quippe ratiocinabantur, ſi S.Thomas dictus ſit Eccleſiæ ſol tenebris errorum diſſipandis, ſtabiliendiſque ſententijs, quæ cum veritate ſint coniunctiſſimæ,ac deinde pronunciauerit Innocentius VI. vir inſigni ſanctitate eos, qui ab angelici Doctoris mente diſceſſerunt, fuiſſe ſemper de veritate ſuſpectos, non eſt Scotus, quamuis ingenij acutiſſimi, ea laude dignus, qui cumulatus fuiſſet aſſertor doctrinæ Thomiſticæ.* Ianſenius in apologia pro Bzouio.

Audiui ego virum ſanè grauem inſtituti Dominicani, & alioqui doctum qui ita viſionem Ezechielis explicarit in laudem D. Thomæ, vt quatuor animalia quatuor eſſe Eccleſiæ Doctores Ambroſ. Auguſt. Hieron. Gregor. intellexerit, in ſimilitudine verò hominis quod firmamento extaret D.Thomam intelligi debere tanquam altius in veritate inueſtiganda progreſſum, maioriſque authoritatis. vidi & currum quendam typis efformatum in quo primum eum poſt canonicos authores locarunt inuentores ſingulis prælatum Patribus. non defuerunt qui Auguſtino præferendum ſuis Theſibus proponerent.

Quàm ridiculum,varium & erroneum hoc elogij genus: *Tolle Thomam, & diſſipabo Eccleſiam:* ſicut & illud, *Thomam eſſe regulam fidei, Theologiæque qua ſi quis magiſtra non fuiſſet vſus toto aberrare cœlo intelligebam.* Inſolens illud quod alij apud Alphonſum de Caſtro iactabant ex pulpito, ipſo audiente, & vidente. *Non ſum, inquit, veriti ad populum in publica concione hoc effundere: Quiſquis à B. Thoma ſententia diſceſſeris ſuſpectus de hæreſi eſt cenſendus*, &c. Multa ſi non talia non longè tamen abhorrentia conglobauit Spina. Incidi in alium eius farinæ encomiaſtem, qui vt Sancti laudes venetur, aliorum omnium iniuriæ ſtudet, omnes de errore notans, vt ſingulare quoddam doctri-

næ Thomæ effingeret (tanquam is ſolus ſine errore fuerit) priuilegium; verùm ſicut iniuſtus laudator,ita temerarius cenſor,in vno aut altero id notabo. Alenſem damnat in hoc quod ſenſerit vberiorem Euchariſtiæ gratiam dari ſumptione duarum, quàm vnius tantùm ſpeciei, quæ aſſertio nulla authoritate aut ratione probatur erronea, eámque grauiſſimi authores tenent probabiliorem, vt Vaſquez in 3. p. tom. 3. d. 215. cap. 2. Ruardus art. 15. Caſalius Arboreus, probabilem docent Suarez tom. 3. in 3. p. d. 63. Sotus & alij, quos citat Enriquez lib. 8. c. 44.

Aliud eſt, quod Bargium imprudentiæ & leuitatis condemnet, quia Scotum noſtrum irreprehenſibilem (vt is imponit) doctinámque eius ſanctam, atque infallibilem appellarit. *Imprudens*, inquit, *quod ſolius verbi Dei proprium eſt doctrina hominis tribuere.* iuſtè quidem hanc ſubit ille reprehenſionem ſi infallibilem eo ſenſu aſſerit aut Scoti, aut alterius Theologi doctrinam. Cæterùm non veritas ſed ſtimulus quidam reprehenſorem excitauit: paucis enim interiectis, quod reprehendit in Bargio ipſe incurrit, & quod de Scoto cum iniuria Scripturæ dictum accuſauit, in Thoma contigiſſe vanè eſt gloriatus; ita porrò ſuum de cæterorum Scholaſticorum errore luſum concluſit. *Non negamus ergo*, inquit, *Scholaſticos tanquam homines alicubi eſſe, & ſæpe meliora poſſe ab eis deſiderari. Sed nunc Aquinati tanquam gratiam ſpiritum impartiſſe contendimus, vt nullibi, aut contra fidem, aut contra bonos mores erraſſe videatur.*

Hinc alij quidam ſubmurmurant ad hoc authoritatis culmen D. Thomæ ſubiectam eſſe doctrinam, vt non modò contra eam nihil hactenus deciſum ſit, ſed nec decidi aut determinari poſſe ab Eccleſia conſtanter affirment; codices omnes ad eius normam reducendos, & caſtigandos; quidquid fidem aut mores concernit ex eius tantùm ſententiâ differendum, & determinandum; qui ab eadem diſcedunt errones & velut hæreticos iudicandos. Si autem quæratur vnde huic Euangelio tanta authoritas, nihil ſolidi præter ea, quæ congeſta ſunt reſpondere poſſunt. Non mirum igitur, ſi ij ex eiuſmodi diſciplina prodeuntes, Scoto minùs æqui ſint, minúſque laude dignum cenſeant, ex præmiſſa ſua ratiocinatione quod D. Thomæ non in omnibus ſit concors.

Cæterùm hæc libenter pertranſirem niſi cum Pontificum, Sanctorum Patrum, totius Eccleſiæ, & ipſius ſanctiſſimi Doctoris iniuria proclamari ab imperitioribus, ſeu vltrà rationis debitam menſuram effectis paſſim viderem: neque enim ſua tradidit Angelicus Doctor, vt præiudicium inferret aliter, ſi ratio poſtulat, ſentienti; docuit quidem, quæ veritati magis conſentanea iudicauit: non præſumpſit in omnibus veritatem ita obuiam habuiſſe, vt humani ſenſus infirmitate, quantumlibet Sanctus, errare non potuerit, aut non errarit. id Eccleſiæ, & Petri poſt ſcripturam, & canonicos authores priuilegium eſſe confeſſus; ſuccedunt Patres, vltima ſubſellia tenent Scholaſtici, inter quos ſanctiſſimus Thomas commoditate, & comprehenſione ſtyli eminet; laudatur copia Alexandri, pietas & ardor Seraphici Bonauenturæ, ingenium, & vigor Scoti, vt diſtributis inter omnes gratiarum donis, & prærogatiuis, ſinguli haberent,

berent, in quo præ cæteris ſtudioſus ſapientiæ proficeret, nulli tamen in quo præferri ſanctis Patribus, ne dicam Eccleſiæ, aut Canonicis ſcriptoribus poſſint conferri.

Nullâ credo ſuâ iniuriâ Angelicus Thomas Athanaſio, Cypriano, Nazianzeno, Hilario, Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino comparatur, ſeu morum probitas, ſeu vitæ ſanctitas, ſeu doctrinæ fructus, ſeu in Eccleſia recepta authoritas, ſeu labores fidei cauſa aditi, ſeu fidei ipſius conſtantia, & confeſſio, ſeu hæreſum, & errorum confutatio ſpectari debet; in horum tamen ſcriptis verſandum eſſe docet Auguſt. non tanquam in oraculis diuinarum ſcripturarum à quibus recedere non liceret. Imò verò ſalua honorificentia, quæ illis debetur, ea improbanda, ea reſpuenda docet, quæ minus veritati aut rationi conſentanea videbuntur, hoc item genus literarum refert ab authoritate canonis diſtinguendum eſſe, nec ſic legi, vt conſentire non liceret, aut errare non poſſint; verùm quantalibet ſanctitate, & doctrina præpolleant, non ideo verum putarim, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia authoritate Scripturæ canonicæ aut probabili ratione à vero non abhorrente perſuadere potuerunt. quod ſi huius fides exigatur profero Auguſtinum quem inter Patrês maximè audit Eccleſia, ſequitúrque chorus Scholaſticorum ducem. ita ergo epiſtola 18. ad Hieronymum magnum item Eccleſiæ lumen ſcribit. *Ego enim fateor*, inquit, *charitati tuæ, ſolis eis ſcripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem honorémque deferre, vt nullum eorum authorem ſcribendo aliquid, erraſſe firmiſſimè credam. Alios autem ita lego, vt quantalibet ſanctitate, doctrináque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi vel per alios authores canonicos, vel probabili ratione quod à vero non abhorreat, perſuadere potuerunt. Nec te mi frater ſentire aliud exiſtimo, prorſus, inquam, non te arbitror ſic legi tuos velle, tanquam Prophetarum, vel Apoſtolorum, de quorum ſcriptis quod omni errore careant dubitare nefarium eſt*, &c. Aug. ep. 18. ad Hieron.

Non aliter diſſerit idem ſanctus cum Vincentio ex hæreſi Rogatiana, de authoritate Hilarij, Cypriani, Agrippini, & aliorum, imò & ſua habetur d. 9. cap. noli. *Noli ergo, mi frater, contra diuina tam multa, tam indubitata teſtimonia colligere velle calumnias ex Epiſcoporum ſcriptis ſiue noſtrorũ, ſiue Hilarij, ſiue antequam pars Donati ſepararetur ipſius vnitatis, ſicut Cypriani, & Agrippini: primò quia hoc genus literarum ab authoritate Canonis diſtinguendum eſt. Non enim ſic leguntur tanquam ita ex ijs teſtimonium proferatur, vt contra ſentire non liceat, ſic vbi fortè aliter ſapuerint, quàm veritas poſtulat. In eo quippe numero ſumus, vt non dedignemur etiam nobis dictum ab Apoſtolo accipere: & ſi quid aliter ſapitis, id quoque Deus reuelauit, &c.*

Idem eſt iudicium eius vniuerſim de ſingulis tam Græcis, quàm Latinis Patribus ſpeciatim Athanaſ. Nazian. Ambroſ. Hieronym. epiſt. 111. *Neque enim quorumlibet diſputationes*, inquit, *quantumuis Catholicorum & laudatorum hominum, velut ſcripturas Canonicas habere debemus, vt nobis non liceat ſalua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in*

eorum ſcriptis improbare, aut reſpuere ſi fortè inuenerimus quod aliter ſenſerint, quam veritas habet, diuino adiutorio, vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego ſum in ſcriptis aliorum, tales volo eſſe intellectores meorum. Hæc de aliis Auguſtini, hæc de ſeipſo ſententia fuit, ita alios legit, ita ritè ab aliis ſua legi optauit.

Legendi ratio.

Qui porrò eiuſmodi in verba iurantes, ſenſuíque aliorum affixos nos eſſe volunt, non video quid aliud præſtent, quid intentent, quàm omnem veritatis inquirendæ viam præcludere, omnes humani ingenij vires tollere, & quodcúmq; inueſtigandæ veritatis lumen à Deo homini conceſſum extinguere. nolo hominem planè ſuo ſenſui, ſibíque deditum, præcipitem, nolo etiam facilem, mollem, incautum, non ſuum, in aliorum placitis ſine delectu pendulum, cuius ſubiectum, ſine experimento credulum; *qui enim citò credit leui eſt corde.* quod certum eſt, teneat; quod incertum, inueſtiget ſine contentione, ſine aliorum contemptu, & cùm inuenerit credat, & ſine vanitate, & ſupercilio doceat. Auguſtinum ſequor qui contentiones animíque pugnas, non ſyncerum refutauit correctorem. *Sanè*, inquit, *cùm in omnibus literis meis, non ſolum pium lectorem, ſed etiam liberum correctorem deſiderem, multo maximè in his vbi ipſa magnitudo quæſtionis, vtinam tam multos inuentores habere poſſit, quàm multos contradictores habet. verumtamen ſicut lectorem meum nolo mihi eſſe deditū, ita correctorem nolo ſibi: ille me non amet amplius quàm Catholicam fidem, ille ſe non amet amplius quàm Catholicam veritatem. Sicut illi dico: nolo meis literis quaſi ſcripturis canonicis inſeruire, ſed in illis, & quod non credebas quam inueneris incunctanter crede: in iſtis autem quod certum non habeas niſi certum intellexeris noli firmiter retinere: ita illi dico, noli meas literas ex tua opinione, vel contentione, ſed ex diuina lectione, vel inconcuſſa ratione corrigere.*

Auguſt. 3. de Trinit. c. 1.

Is etiam fuit animus & ſenſus Angelici Thomæ, ea ſanctitas, ea humilitas, nec de eo aliud præſumere, minus licet ſine præſumptione & iniuria dicere: quanto enim magis veræ, & ſolidæ doctrinæ fuit, tanto ab elatione alienior. *Vera doctrina*, inquit Gregorius, *tanto vehementius hoc elationis vitium fugit per cogitationem, quanto ardentiùs verborum ſuorum iaculis ipſum Magiſtrum elationis inſequitur.* Quid ergo ſi à ſanctis Patribus omnium Conciliorum, & Pontificum, totius Scholæ, & Eccleſiæ conſenſu approbatis, recedere licet, ſi quando humano ſenſu loquuti minus certè veritatis curſum tenuerunt, quanto magis à Thoma? Si illi aliquando lapſi, quidni & Thomas? Thomas enim quantumuis probatus author, nequaquam in eodem gradu, & loco eſt cum Auguſtino, Hieronymo, & aliis antiquis Patribus; alia porrò eſt claritas lunæ, alia ſtellarum, alia ſolis: alia Thomæ, alia Auguſtini, alia Athanaſij, alia Hieronymi. tametſi enim ſolis nomen ſoli Aquinati conuenire velint vani quidam præcones, id ego contemplatione anteriorum, & præcipuè Patrum nequaquam intellexerim; inter quos velut luna tantum ſtetit, ab eis lumen recipiens, nihil communicans, quod ſi excellentiam eius ſuper reliquos hoc titulo prætexant impudentiæ erit Auguſtinum, aut alios inferiores facere, aut illum his parem in Scholis, aut

Maior authoritas Patrum quàm D. Thomæ.

aut Eccleſia authoritate receptum aſſerere. Adeant decreta fidei, adeant Concilia œcumenica, adeant vniuerſorum Doctorum, ſiue cum hæreticis, ſiue inter ſe concertationes, in his ſine Patribus deciſum nihil inuenient; ſiue enim traditionem ſpectant, ſiue interpretationem Scripturæ, ex Patrum archiuio depromitur: cuius rei vt breuitati ſtudeam ſufficiens habemus teſtimoniũ epiſtolam Synodicam Sophronij act. 13. 6. Synodi approbatam, quæ damnat Origeniſtas quod contra paternam eruditionem multa docuerint. Clementem in Concilio Viennen. qui ad Patrum & Doctorum communem ſententiam *Apoſtolicæ conſiderationis aciem conuertit*. Tandem Trident. ſeſſ. 4. mandans, vt nullus contra vnanimem ſententiam Patrum Sacram Scripturam audeat interpretari. quid dicam de quinta Synodo? *Sequimur*, inquit, *per omnia ſanctos Patres, & Doctores Eccleſiæ Athanaſium, Hilarium, Baſilium, Gregorium Theologum & Gregorium Nicenum, Ambroſium, Auguſtinũ, & ſuſcipimus omnia quæ de recta fide, & condemnatione hæreticorum expoſuerunt.*

Hic idem Canon reſumptus eſt, & confirmatus eſt in Concilio Lateranen. ſub Martino I. conſultatio. 5. anno 649. lecto namque ipſo ſubiicit Martinus Pontifex; *Manifeſtatur nobis ex his*, inquit, *quæ relecta ſunt, ſiue definita à S. V. condemnatum eſſe, & alienum Sanctæ Dei Eccleſiæ, vnumquemque, qui non ſuſceperit verbo, & mente omnes Sanctas Synodos, & venerabiles Patres, cunctáque quæ ab eis pro orthodoxa fide expoſita ſunt in deſtructionem omnium hæreſum*, &c. Hæc Martinus Papa mox cum ſacra Synodo ex teſtimoniis Patrum conuincit, & damnat Monothelitas. Item Concilium Valentinum ſub Leo. I V. cap. 1. contra Prædeſtinatianos: *Indubitanter autem Doctoribus piè, & rectè tractantibus verbum veritatis, ipſíſque Sacræ Scripturæ lucidiſſimis expoſitoribus*, id eſt, *Cypriano, Hilario, Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino*, &c. *reuerenter auditum, & obtemperanter intellectum ſubmittimus, & pro viribus quæ ad ſalutem noſtram ſcripſerunt amplectimur.*

Concilium etiam Romanum I I. ſub Zachar. Papa I. damnat Clementem hæreticum quod inter cætera *Sacros canones ſpreuerit, atque expoſitiones ſanctorum Patrum Ambroſij, Auguſtini & cæterorum reſpuit dicta ſanctorum.* Sed & Florentinum totum in ſenſu Patrum interpretando fuit, & ſine illis ne latum quidem vnguem proceſſit. Taceo quod ſeſſio 5. & 6. Tridentini verbis, ſenſu, & doctrina Auguſtini ferè concepta ſit, ſicut & reliqua, ſiue in Oriente, ſiue in Occidente aduerſus Pelagium, aut ſempelagianos determinata. Qui hæc & ſimilia de D. Thoma, eiúſque operibus proferre cum veritate poſſunt, eum Patribus conferre etiam poſſunt: præferre verò iactantia eſt.

Cæterùm vt ad inſtitutum redeamus, ſi à quouis Patre aliquando ſine nota recedere licuit, & etiamnum liceat ex ſententia Auguſtini, iniquus erit qui à Doctore Scholaſtico diſſentire in quibuſdam placitis, vertet errori. Nec magis hæc Auguſtini quàm ipſius D. Thomæ doctrinæ eſſe comprobatur 1. par. quæſt. 1. art. 8. ad 2. loquens de modo, quo ſacra doctrina argumentatur ab authoritate: *Authoritatibus autem*, inquit, *Canonicæ Scripturæ vtitur propriè ex neceſſitate argumentando,*

autho

authoritatibus autem aliorum Doctorum Eccleſiæ, quaſi arguendo ex proprijs, ſed probabiliter. ſubdit rationem : *Innititur enim fides noſtra reuelationi Apoſtolis, & Prophetis factæ, qui Canonicos libros ſcripſerunt, non autem reuelationi, ſi qua fuit, alijs Doctoribus factæ, vnde dicit Auguſtinus in epiſtola ad Hieronymum: ſolis enim Scripturarum libris, qui Canonici appellantur*, &c.

Quid ad hanc D. Thomæ authoritatem, quid ad rationem poſſunt obtrudere aduerſarij? fides noſtra diuinæ reuelationi factæ Apoſtolis, Prophetis, & authoribus Canonicis, non humanæ authoritati cuiuſquam innititur: ex ea Doctoris authoritate tantum fit probabile argumentum. Doctrina D. Thomæ eſt. ſi ita ille de aliis omnibus, quid de ſeipſo potuit ſentire? certè idem, neque aliud cum veritate, aut ratione confiteretur: potius enim hæc de Scholaſticis, quàm de Patribus dicuntur, illorum porrò authoritas, ſicut & Philoſophorum, non poteſt maiorem ex ſe certitudinem, quàm opinionis generare, niſi quando communis ſenſus Scholaſticorum talis eſt vt in dogmate fidei: tunc autem maior certitudo non ex ipſorum authoritate prout ipſorum eſt, ſed ex principio, in quo conueniunt, generatur. ita Vaſquez 1.p. d.12.cap.3. conſonat Canus de locis lib.8.cap.4.verba eius ſunt: *Theologorum Scholaſticorum etiam multorum teſtimonium, ſi alij contra pugnant viri docti, non plus valet ad faciendam fidem, quàm vel ratio ipſorum, vel grauior etiam authoritas cõprobarit.* & paulo inferius; *Quo loco ſanè arguendi ſunt Scholaſtici nonnulli, qui ex opinionum, quas in Schola acceperunt, præiudicijs, viros alios Catholicos notis grauioribus inurunt, idque tantâ facilitate, vt meritò rideantur.* & infrà. *Nec enim ſi quid aut Scoticis, aut Thomiſticis pronunciatis contrarum eſt, error illicò eſt.* Idem docet noſter Caſtro aduerſus hæreſ. lib.1. cap.7. *illos miſerrimos cenſens qui in verba hominum iurant.* Quid moror? eſt ipſa veritas ratione & vſu tam manifeſtè comprobata, vt nemo ſanæ mentis eam neget. Sacra namque Theologia ex ſex potiſſimũ ſedibus velut locis ſeu principiis diſcurrit; videlicet ex ſcriptura, ex traditione Apoſtolica, ex definitione Concilij Oecumenici approbati, ex definitione Pontificis Romani, ex conſenſu Eccleſiæ, ex vnanimi conſenſu Patrum, addamus etiam & Theologorum: tunc ligat, quando certa, & euidente illatione deducit concluſionem: quando verò probabilis eſt illatio, ſalua fide, Doctorum inquiſitionibus, controuerſiis, & opinationibus ſine vllo diſcrimine patet.

Vaſquez. Canus.

Dicant mihi modò hyperbolici laudatores, an omnia Thomæ placita ita inhærent illis principiis fidei, vt euidenti ſequela ea comitentur. Si ita eſt, Scotus, ſalua fide, diſſentire non potuit: ſed ita eſſe quis probabit, vel quis probare velit, niſi qui tam durè in ipſum Thomam, quàm in Scotum decernere intendat, cùm & multa, quæ alibi ille docuit, alibi retractarit, nec enim quæ fidei ſunt retractari queunt. Si tamen probabilia ſunt aliqua, quis tam craſſi eſt cerebri, vt neget illa liberæ opinioni ſubeſſe, atque contrarium ſimili, aut ſufficienti certitudine ſine nota erroris aſſerere ei licere, qui in verba ſuperſtitioſus non iurauit.

Prouo

Prouocemus amplius homines ad communem Scholæ ſtylum. Vbinam inuenient inter ſuos etiam grauiores authores diſcipulos D.Thomæ aliquid durius ſtatui contra quemuis Doctorem Scholaſticum in hoc præcisè, quod D.Thomæ non conſentiat? vel dicant, quando hæc vel illa opinio ſuis alioquin principiis fundata, ex eo quod Bonauenturæ, Scoti, &c. non autem D.Thomæ, ſit exploſa? quot ex domeſticis ſuis, & D.Thomæ diſcipulis ab eo recedunt, & in pluribus eius authoritati non deferunt, in aliis eam durius, ſuóque ſenſui commoda explicant interpretatione.

Tranſeamus ſi placet, & ad Concilia Oecumenica,in quibus nullum damnatum inuenies,quia ſe Thomæ oppoſuit, nihil definitum de fide, quia præcisè id ille aſſeruit. Sed & fidei ſacra tribunalia conſulamus, & perpendamus quibus ex capitibus propoſitionum qualitates inueſtigant. hæreticam dicunt quæ veritatibus fidei implicitè vel explicitè repugnat; erroneam,quæ veritatibus Catholicis; temerariam, quæ certa ratione aut authoritate non aſſeritur;& ſic de reliquis. nullam verò notant, aut damnant in eo præcisè, quod D.Thomæ non ſit, aut eius doctrinæ contraria cenſeatur. Adeas Canum lib.12. de locis, noſtrum Caſtro,Directorium inquiſitorum,Simancas, Bannem, Cordubam, & alios. quid refert commemorare decretum Sacræ Inquiſitionis Romæ factum in fauorem doctrinæ Scoticæ quo cautum perhibetur Magiſtro ſacri Palatij, ne in vllum eius placitum animaduertat, verùm ſine vlteriori examine, modò Scoti eſſe conſtat, pertranſeat.

Hæc etiam communi omnium veterum, qui ante 1515. annum floruerunt venerationi ſtatutæ eſt lex titulo de emendatione lib. §.4.

In libris autem Catholicorum veterum nihil mutare fas ſit, niſi vbi aut fraude hereticorum, aut typographi incuria manifeſtus error irrepſerit, &c. Inter hos autem non modò Scotum, verùm alios pleróſque fuiſſe, qui doctrinam D.Thomæ impugnarunt, res admodum nota eſt. quid ergo? has eorum hæreſes fouet Eccleſia? ita planè, non tamen pro hæreſi. vanum itáque eſt adſtruere ſiue Scotum, ſiue alium ab Eccleſia, aut à quoquam graui in hoc notari,quod à D.Thomæ placitis, in quæſtionibus tantùm probabilibus receſſerit, rationéſque eiuſdem Doctoris, inueſtigandæ veritatis ergo impugnauerit. Imò quàntum hæ Scholaſticorum ſine contentione, aut æmulatione diſſertariones conducant, non modò iudicio Eccleſiæ (quæ in antiquis vetat quidquam mutare) & Academiarum, in quibus publico ſtipendio diuerſorum placitis docendis conducuntur viri docti, clarum eſt; ſed etiam ipſa ratio,experientia, & profectus ingeniorùm monſtrat,vel in eo ſolo, ne doloſa commutatione incertum pro probabili,opinio pro fide,pro vero falſum in Scholis diſtrahatur. Quid enim facturi eſſent aduerſarij, quali, quámque fallaci pondere doctrinam Thomæ penderent, niſi ex oppoſito Scotus aliíque Doctores Scholaſtici ſuſpenſam iuſta, æqualique libra ſtateram retinerent. Si enim Thomas eorum iudicio reliquis non modò præponderat, ſed eò authoritatis peruenit vt ab ipſo cuiquam recedere ſine

Vtilitas concertationis inter Scholaſticos.

nota non liceat; quid dicturi tandem eſſent ſi ſolus ille in ſtadio curreret? id facilè coniecturæ decidendum relinquo.

Cæterùm operæpretium facturus ſum, ſi expendero parumper rationes, quibus illi tantam D. Thomæ authoritatem conciliare nituntur. id ſine ipſius ſancti vlla iniuria fiet, vt qui vanas laudes non acceptat, nec aliorum confratrum meritis derogare velit. Maximè cùm nequaquam ſine detrimento veritatis non modò alij omnes Doctores in crimen vocantur, ſed quæ Petri cathedræ, Scripturæ ſacræ, Conciliorum, & Eccleſiæ priuilegia ſunt in priuatum hominem quantumlibet ſanctum, & doctum iniqua vſurpatione, & mendaciter refundantur. Potiſſimum fundamentum eſt illud Innocentij teſtimonium ſuperius expreſſum; alij referunt Pium V. in ſuo breui vocare doctrinam D. Thomæ, regulam Chriſtianæ doctrinæ, alij alium Pontificem dixiſſe iactant, tot miracula edidiſſe D. Thomam, quot articulos ſcripſerit; alij referunt illa Chriſti ad Sanctum, *Benè ſcripſiſti de me Thoma.* alij verba producunt Vrbani V. in epiſtola ad Epiſcopum Toloſatem, quibus aſſerit veridicam doctrinam. huius doctrinæ certiores ab Eccleſia approbationes non reperio præterquam quod in Doctorum numerum ſit aſcriptus, & quod viros habeat grauiſſimos ſectatores.

Fundamenta aduerſariorum pro D. Thoma.

Reſponſio.

Hæc quidem præclara ſunt ſancti Doctoris encomia, non licèt tamen ex iis aliorum Doctorum laudibus inſidiari, aut nomini crimen, & notam inferre. nihil enim deciſiuè Pontifices in hoc ſtatuerùnt, nihil firmiter tenendum ordinarunt, ſed pro ſua quiſque propenſione, & deuotione in ſanctum virum magis benignus laudator fuit, quàm ex cathedra quidquam ordinare intendit. quod ex Innocentio profertur non ſat fundatum reperio, imprimis ex quodam ſermone parenætico, non ex epiſtola vlla decretali citatur à Ioanne Flaminio; ac proinde non habet vim approbationis, aut ſtatuti. Deinde inter aſſertores nihil de perſona conſtat; alij enim fuiſſe eum dicunt Innocentium IV. alij V. alij VI. alij VII. accedit quod incertum ſit an in minoribus conſtitutus, ſeu ante Pontificium hæc dixerit. Sextus fertur ſermones ſcripſiſſe, qui tamen non comparent; Cæterùm antè pontificatum veroſimilius hiſce lucubrationibus vacauit, quamtumuis hoc nihil referat, verba enim Pontificis ſanè intelligenda ſunt, nam qui in probabilibus receſſit à D. Thoma, rationes eius impugnans, non impugnator dicendus eſt, cùm ſua ipſe Thomas, pro certis, & indubitatis non tenuerit: quid verò ſit propriè impugnare in hoc caſu rectè declarat Ambroſius Catharinus ordinis prædicatorij: certò enim ſe ſcire ait multos ignorare quid ſit impugnare doctrinam D. Thomæ: *Ille enim*, inquit, *verè Thomæ doctrinam impugnat, qui in vniuerſum aut bona ex parte quaſi non valdè vtilem improbat, & contemnit, aut (quod eſt horrendius) quaſi minus Catholicam, imò hæreticam & tanquam vnam ex phialis iræ Dei fuiſſe blaſpemant, id quod Lutherus non timuit pronunciare. Ille impugnat doctrinam D. Thomæ, qui non cum reuerentia & formidine, ſed parum ſobriè, & vt ſectarum zelus fert, aut propriæ arrogantiæ trahunt impetus, de illa in vniuerſum iudicat & obloquitur. At verò in altero, aut altero, & vbi*

Quid ſit impugnare D. Thom.

vbi ratio poſtulat, aut aliorum præſertímque Eccleſiæ authoritas monet, ſaluis modeſtiæ finibus ab eo diſſentire, quod magni & glorioſi viri fecerant, etiam, qui de huius ſancti fontibus hauſerunt, tantum abeſt, vt hic impugnet doctrinam D.Thomæ, vt etiam magis ſaluam illam velit, quando ea demum ſit vera doctrina, & ille verus Doctor, qui malit præhonorari veritatem, &c. Hæc ille: quàm autem verè quis non videat? verba igitur Pontificis quantumuis deciſiua non ſint, in eos torquenda qui vel Witclefi aſſeclæ ſunt quidam inanes, garruli, triuiales magiſtelli qui malè in vniuerſum de Theologia loquuntur, vel in eos, qui minus ſobrij grauium Doctorum & maximè angelici doctrinam non ex ratione modeſtiæ aut veritatis indagandæ ſtudio, ſed pro libidine, & infirmitate, tanti Doctoris laboribus ingrati perſtringunt, in ipſum petulantius inſurgunt; quod ego planè damnabile ſentio. Longè ab hoc periculo abeſt Scotus, qui in neminem maledicus fuit, imò præ reuerentia tacito nomine aliorum, quando viſum eſt, placita impugnauit, ex affectu non contentionis, ſed veritatis. qui verò aliter illa verba in prætenſo ab aduerſariis ſenſu declarauerit, iniurius erit vel Eccleſiæ, vel ipſi Pontifici, cùm illa aliter quàm Thomas in aliquibus ſapiat, vt inferius videbitur.

Quæ Pio V. imponuntur non aſſeruit; nullibi enim appellat D.Thomam, Chriſtianæ doctinæ regulam: ſed dicit ex certiſſima Chriſtianæ doctrinæ regula adductum fuiſſe Ioannem XXII. vt eum ſanctorum numero adſcriberet, ex qua regula dicit Thomam confutaſſe hæreticos; de reliquo in bulla præfata doctrinam non aliter approbat quàm commemoratione fructus eius, & inſtitutione feſti, mandans, vt, tanquam reliquorum Eccleſiæ quatuor Doctorum celebretur ſub duplici. eius autem doctrinam Eccleſiæ ſequendam nec proponit, nec præcipit: quod de miraculis fertur; nempe tot eſſe quot articulos ſcripſit, quidam Ioan. XXII. hæc verba adſcribunt: Bulla tamen canonizationis id non exprimit, nec aliunde indubitabili fide adſtruitur talia dixiſſe. dixerit, non dogmatica, ſed hyperbolica loquutio eſt. Quod de verbis crucifixi, & de epiſtola Vrbani Papæ profertur, libentiſſimè admitto, & malignus eſt, qui negat diuum Thomam benè de Chriſto ſcripſiſſe, aut doctrinam eius non eſſe ſanam, & veridicam; hoc tamen nihil prohibet, quin & alij in Eccleſia fuerunt ſani, & veridici.

Alias ego approbationes non inuenio quibus Eccleſia, aut Pontifices doctrinam D.Thomæ confirmant. imo nullam in qua Patribus æqualem faciant, aut vniuerſim ſequendam, aliíſque præferendam præcipiant, aut ſtatuant; vt quorundam libertatem admirer, qui id nobis velut fidei dogmata propinant, alióſque doctores omnes, & ſanctos propterea debita circumſcribant authoritate. Ita autem quidam vt ſibi videtur præclarè ratiocinatur. *Quamobrem & Apoſtolica ſedes ſolius Thomæ doctrinam publico edicto probauit, Eccleſiaque ſectandam tradit, eiuſque nomen & authoritatem poſteriora Concilia Oecumenica perpetuò veneratæ ſunt, & parem cuiuſuis veterum Patrum authoritati fecerunt.* Hæc in Concilio Tridentino ſcripſit. Vtinam illa edicta nobis proponeret quibus. Hieron. Wielmius pro ſcript. D. Thom.

quibus publicatis Eccleſia ſolius Thomæ doctrinam ſequendam tradit, ſed *abſentes Deos teſtes vocat.* Si publicum edictum, quomodo ſuppreſſum? quorſum nunquam comparuit? Vrbanus V. in dicta epiſtola Tholoſanæ vniuerſitati ſequendam doctrinam Thomæ, & amplificandam commendauit, quod ipſius S. corpus ad eos tranſlatum ſit, nihil præcepit. hoc tamen non eſt eam toti Eccleſiæ publico edicto præſcribere, aut tradere. aliam approbationem quæ inſtitutione feſti per Pium V. facta eſt, ille tum non vidit. Pius enim Concilium ſubſequutus eſt. Sed quod parem eum fecerint poſteriora Concilia Oecumenica cuiuis Sanctorum Patrum, non inuenio, quantumuis enim eo honore dignus fuerit ſanctus, non conſtat id ei cultus exhibitum. Vnum ego commemoro Florentinum quod ex poſterioribus fuit, in eo teſtatum reperio D. Bonauenturæ doctrinam ad res difficiles explicandas adhibitam fuiſſe, de qua ita Sixtus V. in bulla qua eum Doctorum cœtui inſcripſit. *Hac*, inquit, *noſtra perpetuò valitura conſtitutione doctrinam S. Bonauenturæ à ſupradictis prædeceſſoribus noſtris Clemente IV. Gregorio X. & Sixto IV. laudatam, in Concilio Lugdunenſi maximè ſpectatam, in Florentino etiam ad res difficiles explicandas adhibitam, grauiſſimorum virorum authoritate teſtificatam, & commendatam, & eximio Eccleſiæ Doctore dignam, nos quoque plurimum in Domino laudamus, & commendamus*, &c. Si ergo ab approbatione doctrinæ à ſede Apoſtolica data, diſcurrendum ſit, eam oſtendo obtigiſſe D. Bonauenturæ, qui in pluribus à Thoma diſcrepauit, nec proinde id ſolius Thomæ priuilegium eſſe, aut ſuſpectos de veritate dici debere, qui ab eodem in aliquibus diſcrepant.

[Margin: Authoritas doctrinæ S. Bonauent. Seſſ. 10.]

Quod ſi ex ſpeciali approbatione doctrinæ pondus æſtimare libet: ſolus mea opinione noſter Alexander Alenſis, ſolus inquam, omnes ſuperauit. Qui (verbis Poſſeui. narro) *Innocentij IV. iuſſu totius Theologiæ ſummam conſcripſit ea methodo quam antea nemo vnquam attigerat, eam autem ſummam Alexander IV. Pont. diplomate ac ſeptuaginta virorum Eccleſiaſticorum ſyngraphis comprobauit.* Vt meritò irrefragabilis inde ſalutaretur, confirmant hoc monumenta Franciſcana, Marianus (qui eos ſeptuaginta duos fuiſſe commemorat Doctores vniuerſitatis Pariſienſis) Willot & alij. Admonitos tamen volo ſiue aduerſarios, ſiue alios quoſcumque, eiuſmodi approbationes, non debere ad omnia, & ſingula placita referri doctrinæ approbatæ: ſed ad ea quæ potiſſima ſunt contra hæreticos, & pro defenſione articulorum fidei; vt ex illis verbis ſextæ Synodi colligitur: *& ſuſcipimus omnia quæ de recta fide, & condemnatione hæreticorum expoſuerunt*, ſupple Patres.

[Margin: Poſſeuinus. Quomodo doctrinæ approbatio intelligenda eſt.]

Intelligitur etiam per talem approbationem opera approbata, probabilia, fructuoſa eſſe, & pernicioſum errorem contra fidem pertinaciter, ex mente authoris adſertum, non continere, huius autem approbationis, & veritatis ſunt opera D. Thomæ, vt latius probat facultas Pariſienſis in excerptis articulorum contra errores fratris Ioannis de Monteſono ordinis prædicatorij cap. 3. is porrò appellauit tam à facultatis, quàm ab Epiſcopi Pariſienſis ſententia, allegans D. Thomam ſui

erroris

erroris patronum. ita deponitur cap. 1. excerptorum. *Sed huic articulo,* inquit facultas, *opponuntur tria, quæ ponit dictus frater in ſupplicatione, ſeu querela Domino Papæ expoſita. Primum eſt quod aliquæ concluſionum ſuarum trahuntur ex doctrina S. Thomæ, quam facultas Theologiæ aliàs expreſsè commendauit, & Dominus Stephanus Epiſcopus Pariſienſis per ſuas literas approbauit. Secundum eſt, quod Dominus Vrbanus Papa V. per eius bullam vniuerſitati ſtudij Tholoſani ſcripſit, & voluit eiuſdem Sancti doctrinam tanquam benedictam & Catholicam ſequi.* Hæc pro ſe allegauit Monteſonus; nec certior vlla tum habebatur doctrinæ D. Thomæ approbatio. Obiecta Monteſoni pro doctrina D. Thomæ.

Facultas verò infra cap. 3. reſpondet tribus concluſionibus, præmiſſis variis modis doctrinam aliquam approbandi. Prima concluſio: *Doctrina ſancti Thomæ in opuſculis ſuis Theologicis contenta primo modo eſt per Eccleſiam approbata & tanquam vtilis, & probabilis diuulgata.* Secunda concluſio; *Doctrina S. Thomæ non eſt ſecundo modo per Eccleſiam approbata ſic ſcilicet quod oporteat credere, quòd ipſa in omni ſui parte ſit vera.* Concluſio tertia; *Præfata S. Thomæ doctrina non eſt tertio modo per Eccleſiam approbata ſic ſcilicet quòd oporteat credere quod ipſa in nulla ſui parte ſit in fide erronea, vel hæretica, hanc concluſionem varijs rationibus probant, quarum tertia eſt: quòd ſi oporteat dicere quòd huius doctrina in nulla ſui parte ſit in fide erronea, vel hæretica, hoc maximè eſſet, quia ipſa eſt per Eccleſiam approbata, ſed aliqua eſt doctrina multo magis approbata, quàm doctrina S. Thomæ, quæ tamen in aliqua ſui parte eſt hæretica, vel erronea: in fide igitur etiam ſine vlla temeritate dici poteſt de doctrina S. Thomæ,* &c. Subſumptum probant variis exemplis, vt Cypriani, Hieronymi, Magiſtri ſententiarum (cuius doctrinam magis authenticam ferunt, quàm D. Thomæ, vtpote quæ aliquando in ſtudiis generalibus ex mandato Apoſtolico legebatur) Gratiani, Gloſſæ ordinariæ Bibliorum, quæ authoritatiuè ab ipſo Thoma, & aliis paſſim in Schola citatur. Sed nos ſubiiciemus tantùm ſextum exemplum. Reſponſio vniuerſitatis Pariſienſis.

Sextum, inquit, *exemplum poteſt poni de quibuſdam Doctoribus qui non ſunt Sancti canonizati: ſicut venerabilis Anſelmus Cantuarienſis Epiſcopus, Hugo de ſancto Victore, & quidam alij, quorum dicta vel ſcripta in aliquibus reperiuntur erronea, & tamen doctrina non minus videtur eſſe authentica quàm doctrina S. Thomæ, cùm ipſi communiter in actibus Scholaſticis ſcientificis allegantur authoritatiuè, nec ſolent negari, ſed eorum dicta reuerenter gloſſari, & exponi: quod tamen Scholaſtici nondum conſueuerunt facere de dictis S. Thomæ, & ideò præſumptuoſum videtur eius doctrinam ſuper ipſos, & alios Doctores ſic extollere, quòd non liceat credere, aut aſſerere ipſum in fide erraſſe, ſicut & alij errauerunt. Nec obſtat eius canonizatio, quam aliqui pro magno colore prætendunt. Ex quibus videtur quod dicere Sanctum Thomam in aliqua parte doctrinæ ſuæ erraſſe in fide nec obuiat, ſeu derogat canonizationi ſuæ, nec approbationi doctrinæ ſuæ Theologicæ: ſicut hoc idem dicere de alijs Sanctis, & præcipuis Doctoribus non derogat canonizationi, nec approbationi eorum: Nam Eccleſia ſicut canonizando aliquem ſanctum non per hoc approbat eius facta, ita*

approbando eius doctrinam, non per hoc approbat omnia eius dicta vel ſcripta: ſed ſolùm illa quæ per authorem ipſum non ſunt retractata nec per alium ſunt correcta, aut meritò tanquam veritati contraria corrigenda iuxta ſuperiùs allegatam Apoſtoli ſententiam: omnia probate, quod bonum eſt tenete. Sic igitur per Eccleſiam approbatur aliqua doctrina non tam quoad omnia, ſed quoad illa quæ ſunt veritati conſona. Hæc cenſura facultatis Pariſienſis de approbatione doctrinæ D. Thomæ, cuius iudicio non verendum erit ſtare ſi authoritas, ſi doctrina, ſi rectitudo, & integritas, ſi denique in ipſum ſanctum cultus ſpectetur, cui tantum defert, quantum ſine aliorum Sanctorum, Eccleſiæ aut veritatis concedi debet, iniuria.

Sed quoniam aliquos ex tam gradi, & publico conſeſſu iniuſtè, & proteruè ſubducentes ſe video, nec ad rationem, ſed ad affectum, reſpicientes, cauſam denuo in ipſorum, aut cuiuſuis benè ſentientis arbitrio pono. Scholæ tamen commune placitum conſulant, quidque illa in eiuſmodi quæſtionibus ſentiat, perquirant.

Variæ opiniones in quibus cõmuniter non tenetur S. Thomæ ſententia.

Si perueniens ad vſum rationis niſi conuertatur ad Deum peccet mortaliter, nec primum eius peccatum poſſit eſſe veniale.

Si peccatum veniale ſit in ſenſualitate.

Si vltima diſpoſitio ad iuſtificationem fiat elicitiuè ab habitu charitatis.

Si habitus charitatis per actus æquales, aut remiſſiores non intendatur.

Si augeatur non per adiectionem nouæ entitatis, ſed maiorem in ſubiecto radicationem.

Si Angelus in primo inſtanti non potuerit peccare.

Si in æternitate res coëxiſtant Deo.

Si natura aſſumpta exiſtat exiſtentia increata ſeu Verbi.

Si in eadem ſpecie Deus poſſit creare plures Angelos.

Si Deus de abſoluta potentia non poſſit creare albedinem, extra omne ſubiectum, aut à ſubiecto ſeparare, & conſeruare in eodem ſubiecto, aut extra ſubiectum multiplicare numero.

Si prædeterminet Deus phyſicè ad actus liberos noſtram volūtatem.

Si exiſtens in peccato mortali (etiam occulto) peccet mortaliter faciens ex officio correctionem fraternam.

Si aliud fuit corpus Chriſti viuum, & mortuum, etſi reliquiæ illæ Sanctorum quas veneratur Eccleſia, vt oſſa, corpora, &c. non ſint illa quæ in viuis fuerunt: ſed alia nouæ planè ſubſtantiæ quæ nunquam ſanctorum fuerunt. qui articuli ſequuntur ex vnitate formæ ſubſtantialis in homine, & teſte Ochamo ſcandaloſi fuerunt olim in Anglia: imò, vt quidam, apud facultatem Pariſienſem in ſupra allegato proceſſu, ille articulus de vnitate formæ ſubſtantialis in homine erat. Decimus quartus quintæ partis erronei libelli de euangelio æterno damnatus per Alexandrum IV.

Si Angelus ſit in loco per operationem tantùm.

Si omnia verba in forma calicis recitata in Eccleſia Latina ſint eſſentialia.

Si character idem in diuerſis ordinibus extendatur, nouus non imprimatur.

Si Beata Virgo concepta ſit in peccato originali.

Si in canonizatione ſanctorum piè tantùm credatur Eccleſiam, aut Pontificem errare non poſſe.

Si virtus moralis tantùm ſit in appetitu ſenſitiuo, excepta iuſtitia, & prudentia.

Si ſunt in rebus creatis quædam quæ ſimpliciter neceſſe eſt eſſe, vt quid de aſſertione in rigore ſermonis dicendum ſit, erroneam cenſet facultas Pariſienſis.

Si ſine ſolemni profeſſione non poſſit eſſe quis verus religioſus. Vide o nſtitutionem Eccleſiæ.

Si Papa non poſſit diſpenſare in voto ſolemni. Vide praxim Eccleſiæ.

Si ſit irregularis qui occidit alium cum moderamine inculpatæ tutelæ.. Vide ſenſum Eccleſiæ.

Si non poſſit commiſceri aliquid calici conſecrato. Conſule praxim Eccleſiæ Græcæ.

Si Papa non poſſit diſpenſare in matrimonio rato extra caſum profeſſionis monaſticæ. Vide praxim Eccleſiæ.

Harum quæſtionum in Scholis deciſionem quærant aduerſarij quid Thomas in eis ſenſerit, quidve Scotus, & in quam partem magis Doctores inclinant, nec mirum eſſe inuenient, nec rarum ſi à doctrina D.Thomæ, non modò Scotus, ſed alij pariter in quibuſdam recedant; nec eum vnquam illud authoritatis habuiſſe in Scholis, vt ab eo recedere ſine vlla nora (modò ratio aut authoritas id poſtularet) non liceret, aut de eiuſdem doctrina in aliquibus dubitare.

Quid ſi ipſe Thomas ſecum non conſentiat in omnibus, alios fortè ita conſtrictos tenebit, vt dicant, eſt, & non eſt? Si Sanctus, inquam, Doctor rectius inſpecta veritate ſententiam abſque ignominia mutarit, ſi ita interdum docuit, vt quod mutaret naturæ ſenſúſque infirmitate circumdatus dictarit, exemplum proculdubio veritatis ſtudioſius inquirendæ aliis præbuit, vt quod ſibi defuit, reliquorum ſtudio, & labore ſuppleatur.

Docuit autem idem ſanctus quæ poſtea mutauit, cuius rei exempla plurima afferre liceret: ſed breuitatis cauſa, lectorē remitto ad ipſos eius diſcipulos, qui in omnibus eiuſmodi differentiis & litibus ad ſummam appellant tanquam in fine vitæ ſcriptam, & vltimum ſuprema voluntate ſignatum teſtamentum; remitto etiam ad ſpecialem quendam tractatum de concordantia dictorum & concluſionum S.Thomæ inſcriptum. habetur in tabula quam vocant aurea.

Eiuſdem ſtyli opuſculum concinnauit ipſe Doctor angelicus de concordia ſuorum dictorum, cuius initium fuit: *Pertranſibunt plurimi, & multiplex erit ſcientia:* in fine autem prologi ſupplicat librorum ſuorum lectoribus ita dicens: *ſi quis aliquid inuenerit non cordanter, ſi non ſit manifeſta cauſa dicendi, ex qua ſecundùm Hilarium accipienda eſt intelligentia dictorum, diſcretiorem, & magis exercitatum conſulat. Si verò non*

fuerit

fuerit inuentum, quomodo vtrumque ſtare poſſit id illorum eligat quod magis conſonum veritati iudicauerit : alterum verò nos ipſi reuocaremus, ſi talis diſcordia nobis occurreret, &c. Hactenus S. Thomas. Licuit ergo Scoto ex ipſius Sancti conſilio, eligere quod magis veritati conſonum iudicaret. Hæc S.Thomæ, hæc Auguſtini, ac omnium rectè ſentientium inſtructio eſt; quia veritatem, non ſeipſos dilexerunt. idipſum improperare æmulationis præ ſe ſtudium fert,non veritatis.

B z o v. *Natus eſt in vltima Britannia ad Caledoniam ſyluam,vt minus mirum ſit, Anacharſim ſummæ ſapientiæ philoſophum apud vecordiſſimos Scythas craſſo, atque ingenijs excolendis importuno cælo patriam habuiſſe.*

De Scoti patria iam diſceptauit poſt noſtrates Cauellus, & quidem fuſius, ex traditione, ex authoritate, & circumſtantiis eum Hiberniæ noſtræ aſſeruit. tantum patriæ meæ decus haudquaquam inuideo, ſed nec aliis tamen prohibeo,vt quid à re melius videbitur,quiſque ſiue pro veritatis, ſiue etiam pro ſuæ gentis ſtudio in medium adferre conetur. ad communem omnium cauſam tranſeo : ſed nec huic tantopere immorandum; quotidiana namque experientia eſt pluribus iam exempliſ comprobata, nullum ſiue in Britannia, ſiue in Hibernia aërem ingeniis importunum haberi, cùm ex omni parte talia prodierint, quæ cum Græcis, aut Latinis facile certarent. Idem de Hibernia probauit Cauellus, Fitzimon Mayneſius,author Brigidæ Thaumaturgæ, aliique complures. Ingenia verò Britannica omnium encomio celebrata, nihil humile, aut vulgare præ ſe ferunt. Conſulantur Pitzeus,Lesleius, Boëtius, & reliqui gentis eius hiſtorici, item Poſſeuinus, Bellarm.de ſcript. Trith. Eyſingrenius, Geſnerus. quinimo ipſa monumenta, quæ omnium frequentiſſima, & excellentiſſima facile ſapientum iudicio primas ferunt. Ex inſulis Britannicis primarij Scholaſticæ diſciplinæ fundatores exière, Alenſis, Scotus, Warro, Mayrones, Mediauilla. ex familia noſtra Franciſcana attexuit Pitzeus Catalogum centum, & decem ſcriptorum. Ex familia Dominicana circiter octoginta, Carmelitana circiter centum quadraginta, Benedictinorum ducentos quinquaginta, ſolos recenſui monaſticæ vitæ profeſſores. quot & quanti? in aliis prouinciis non facilè reperies æquales numero, & ſcientia; nullos omnino ſuperiores; quod ſi ad naſcentis fidei primordia reſpicere lubet, eam à S. Petro eiúſque ſede potiſſimum propagatam inter Inſulanos tanto magis gloriamur, quanto glorioſius eſt à matris, quàm nutricis vbere pendere, Semen tamen cecidit in terram bonam, & ſecundo cœlo, & ſydere, non importunam ingeniis, & animabus excolendis Scythiam, moderni ſcriptoris,& ſi alterius profeſſionis,ea eſt confeſſio,noſtratibus tum monachis nihil ſanctius, nihil eruditius extitiſſe, vt reliqua huius argumenti monumenta prætercam; non longè à Caledonia ſub eodem climate in Hebridibus célebre literarum, & ſanctitatis emporium ſtatuit ſanctus Columbus Pictorum Apoſtolus, monaſterium Hienſe, eo quidem

Inſulanorum Britanniæ magna ingenia.

Camd. deſcript. Hiberniæ.

quidem progreſſu, vt ſi quis eum legerit, impudens ſit, ſi clima ingeniis, aut literis excolendis velut importunum damnabit. Hæc breuiter inſinuaſſe ſufficit diluendis quæ à patria opponuntur, congrua, fuſius iam citati in hoc genere verſantur, vt ſuperuacaneum ſit, vel eadem replicare, vel iam nota, & probata adſtruere. pergamus ad reliqua.

Bzov. *Verùm hic proteruo, captioſóque diſſerendi genere Chriſtianis dogmatibus illuſiſſe videtur, quum paſſim inducta quæſtione dubitabundus Sacrarum rerum fidem nequaquam tenui figmentorum caligine confudiſſet.*

Elogium hoc ſiue Bzouianum, ſiue Iouianum (Bzouianum melius & Iouianum dixerim) ſi amarulentiam, ſi errores, ſi iniuriam, ſpectes, grauiſſimum; ſi doctrinam, ſi veritatem, ſi artificium, leuiſſimum. quid in Doctore claſſico acerbius reprehendi potuit, quàm captioſum, & proteruum diſſerendi genus? quid in homine Chriſtiano magis deteſtabile, quàm Chriſtianis dogmatibus illudere? Quid errori æquè vicinum in Theologo, quàm res fidei in quæſtionem dubitabundè vocare, eorúmque fidem, non tenui figmentorum caligine confundere? non vident homines prolixioris linguæ, quàm iudicij quonam pacto corpori aptè cohæreat caput inſenſatæ Philippiæ; quibus neruis euaneſcentes ſua vanitate laruas retineant; quibus concordantiis ex vna parte acrimonia, & ſubtilitas in grauiſſimis ſtudiis, ex altera captioſum, & proteruum diſſerendi genus; admiranda commentationum volumina, & rerum ſacrarum inductâ figmentorum caligine confuſio, aſſociantur. non vident, inquam, nec mirum ſi non viderunt, quibus hæc artificij ſumma fuit, calumniis, & maledictis agere, non ratione. quibus ſi congruè reſpondendum eſt, non tam Scotum defendere, quàm pro vniuerſo ſcholaſticorum collegio apologiam attexere cogor: hæc nempe ex damnatis Witclefi, Huſſitarum, Hieronymi Pragenſis, Eraſmi, Lutheri, fontibus deprompta ſub vnius Scoti appellatione in vniuerſam redundant ſcholam. In Scoto tota ſchola reprehenditur.

Stylus communis in Scoto reprehenditur, quod inducta quæſtione res fidei examinauerit, & diſputauerit, quod diſpoſitis Philoſophiæ naturalis hinc inde præſidiis (quæ Grammaticis figmentorum eſt origo) ancillam dominæ debito ſubiecit famulatu, gratiam cum natura, Theologiam fidémque cum Metaphyſica aliíſque naturali lumine acquiſitis ſcientiis copulauit, quod Philoſophorum errores ad normam fidei caſtigarit, quod gladium extorſit Goliæ, Arrij, Neſtorij, Sabelli, Eutychetis, Abailardi, & id genus aliorum inſidioſam compeſcuit dialecticam, ex Philoſophorum principiis fallaciter petitam, quod diuinioris ſcientiæ ſparſam, & velut inundatione quadam per antiquorum campos diffuſam vaſtitatem, ad certum reduxerit alueum Doctorum commodo, diſcipulorum fructui, ne dicam, neceſſitati. hæc quidem Scotus, non primus, non vltimus. Ioannes Damaſcenus anno quadrageſimo ſupra ſeptengenteſimum confuſa Theologiæ elementa primus

Primi qui Theologiã ſcholaſticã collegerūt.

diſtinxit, collegit, atque in vnum corpus quatuor libris comprehendit, quorum primus eſt de Deo trino,& vno; Secundus, de rerum opificio. Tertius, de incarnatione Verbi, vita, mortéque Chriſti vſque ad deſcenſum ad inferos. Quartus, de reſurrectione Chriſti vſque ad Aſcenſionem, de fide, baptiſmo, Euchariſtia, Antichriſto, reſurrectione extrema carnis. hunc excipit Petrus Abailardus, qui variis tamen erroribus Theologiam humani ſenſus proteruiâ admiſcuit,& Magiſter Bandinus conciſo tamen, & humili ſtylo; ſed omnium feliciſſimus Petrus Lombardus, quem ideo Magiſtri titulo communis ſchola indigetauit: mox Gulielmus vterque Altiſiodorenſis,& Pariſienſis, Alexander Alenſis, Albertus Magnus, S.Thomas perfectiori, vt quibuſdam placet, ſtylo, ſummis Theologiam comprehenderunt. Sed D.Bonauentura, Scotus, aliique quamplurimi Magiſtri ordinem ſequuti, eundem commentariis illuſtrarunt, eo ordine, eo ſtylo, vt quidquid, ſiue ex principiis fidei, ſiue ex conſectaneis concluſionibus, in medium diſcutitur, paſſim inducta quæſtione reſoluatur, impugnetur, defendatur, confirmetur. an dubitabundè? Ignarus hoc dixerit, vel certè malignus: nempe quæſtio ex dubietate interrogantis, aut ignorantia ſemper oritur? ignari ergo Doctores, & dubij, qui diſcipulos inducta quæſtione docent, interrogant? ignarus Chriſtus interrogans: *quem dicunt homines eſſe filium hominis? cuius imago eſt hæc? Petre amas me? Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Quæſtionem quæ ſupra fundamentum fidei ſuperædificat ſplendidam ac magnificam veritatis cognitionem optimam eſſe ſcimus.*

Interrogatio citra errorem & ignorantiã contingit.

Clemens lib. 1. Stromat.

Proferant ſi aliter de quaquam in vniuerſum re, ſine quæſtione diſſeri liceat, aut poſſit! quis porrò vſus earum quæſtionum quas λογικὰς vocat Hermagoras, quas Auguſtinus rationales, quas Philoſophus in tria diſtribuit capita. *An ſit? quid ſit? propter quid ſit?* An de rebus fidei licitè, ſeruata moderatione, diſſeritur? impius tantùm id negabit: diſſeruerunt Patres, diſſeruerunt Concilia, diſſeruerunt Pontifices. Diſſeruit Chriſtus in medio Doctorum, diſſeruerunt Apoſtoli in Synagogis contra Iudæos, diſſeruerunt martyres contra idololatras, diſſeruerunt confeſſores contra hæreticos. Diſſertatio ſine quæſtione fit? nequaquam, tolle quæſtionem, tolles diſſertationem. Dubitare in fide licet? *Dubius in fide infidelis eſt.* cuiuſnam ergo dialecticæ præſidio Scotus in rebus fidei dubitabundus adſtruitur; quod communi omnium, receptóque ſtylo inducta quæſtione velut ſubiecto ratiocinationis neceſſario argumento diſſerat? Sed quid dialecticam, aut rationem inter conuitia & calumnias expoſco? infirmitas eſt mentis, non vigor rationis vel intellectus, quibus vlcerato, & in vindictam properante animo, non permittitur liberum vſquam ſuffragium. Hiſce igitur contemptis, ſententiam olim pro Scoto tulit Iſidorus. *Cùm ſit vtilis*, inquit, *ad inſtruendum lectio, adhibita tamen collatione maiorem intelligentiam præbet, melius eſt enim conferre, quam legere. collatio autem docibilitatem facit; nam propoſitis interrogationibus latens veritas approbatur. quod enim obſcurum, aut dubium eſt, conferendo citò perſpicitur. Multum proſunt in collatione figuræ,*

Sine quæſtione & diſſertatione veritas non diſcutitur.

Iſidorus lib.3. c.14. Vtilitas cōferendi, & diſſerendi.

figura, res enim quæ minùs per ſe aduertuntur, per comparationem rerum facile capiuntur. Nam ſæpè ſub ſpecie alia ſpiritales cauſas ſcriptura diuina inſinuant, & niſi per aliquam euidentem oſtenſionem vix apparent occulta legis myſteria. Eam oſtenſionem differendo, conferendóque elicuit noſter Scotus; vbi autem de rebus fidei vnquam dubitauit?

Sed pergamus ad *caliginem figmentorum* quibus conqueruntur Ariſtarchi fidem confundi, non illuſtrari: eis nempe figmentum eſt quidquid extrinſecus ratione naturali ex philoſophorum fontibus adſciſcitur pro confirmatione, ſeu declaratione fidei. hic lapis offenſionis grammaticorum, hæ querelæ ſectariorum, quibus durum & permoleſtum eſt neruoſum hoc diſſertationis genus familiare Theologis, in quo velut collato pede aduerſarius carpitur, ſiſtitur, ne captioſus eludat, aut lubricus diffugiat. Iſti ſat ſuperque prouiſum ſibi putant, ſi vocabulariis puerorum linguarum aliqualem adiungant notitiam, vt ſcripturam fideique myſteria, velut clauem aperto tenentes limine, ingrediantur. Omnis autem ſeuerioris diſciplinæ norma velut delicatulis inſipit, nec ſecus ac febricitanti mel, amara eſt, horrida, & deteſtabilis, ipſis ignota & peregrina, quos redarguit proinde Apoſtolus Iudas: *Quæcumque quidem*, inquit, *ignorant, blaſphemant; quæcumque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur. Hi ſunt murmuratores queruloſi ſecundùm deſideria ſua ambulantes, & os eorum loquitur ſuperba mirantes perſonas quæſtus gratia.* De iiſdem Cyrillus in Ioan. lib. cap. 21. *Fatuis ſanè conſuetudo hæc eſt; ſemper enim ſublimiori doctrinæ, quam ipſi non intelligunt, detrahere ſolent, cúmque attendere magis deberent, & ſubtilitate rerum eleuari, contra deiiciuntur, & durum appellant ſermonem quem admirari deberent, non aliter igitur quàm edentuli ſoleant, molliora enim eligunt elementa, etiamſi pecora ſint; ſolidiora verò ac meliora edulia magnopere vituperant, ægrotationem ſuam celare ſtudentes, mentis quoque acumine priuati ſcientiam abhorrere ſolent quæ magno ſtudio magnáque opera eſſet conquirenda.* Quid ergo? ſi Deus, & natura quidpiam in Philoſophis communi ſucceſſorum beneficio, & inſtructioni depoſuit, contemnemus, quæ noſtra ſunt? depoſitum remittemus? & his velut pernicioſis mercibus, & negociationi erit ſuperſedendum? nihil inſipientius, nihil importunius obtrudi poteſt. *Philoſophi autem*, inquit Auguſtinus, *qui vocantur, ſi qua fortè vera, & fidei noſtræ accommoda dixerunt, maximè Platonici, non ſolùm formidanda non ſunt, ſed ab eis etiam tanquam iniuſtis poſſeſſoribus in vſum noſtrum vindicanda*, &c. id congrua ſimilitudine ſeu exemplo Iſraëlitarum confirmat, qui aurum, & argentum Ægyptiorum, contemptis idolis, abſtulerunt, in meliorem vſum diuini tabernaculi expendenda, & quamuis ſuadeat à noxiis, & ſuperuacaneis gentilium abſtinendum eſſe, addit tamen: *Sed etiam liberales diſciplinas vſui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta vtiliſſima continent, deque ipſo Deo colendo nonnulla vera inueniuntur apud eos: quod eorum tanquam aurum & argentum, quod non ipſi inſtituerunt, ſed quibuſdam quaſi metallis diuinæ prouidentiæ, quæ vbique infuſa eſt, eruerunt, debet ab eis auferre Chriſtianus ad vſum iuſtum prædicandi Euangelij.* Sed nunquid

Auguſt. 2. de doctr. Chriſtian. c. 40.

aliorum præter ſcholaſticos exempla ſuppetant quæ huic Auguſtini documento ſuffragentur? ita planè; eáque in medium ipſe Sanctus Doctor incunctanter exhibuit. *Nam quid*, inquit, *aliud fecerunt multi boni fideles noſtri? Nónne aſpicimus quanto auro, & argento, & veſte ſuffarcinatus exierint de Ægypto Cyprianus Doctor ſuauiſſimus, & martyr beatiſſimus? quanto Lactantius, quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? vt de viuis taceam, quanto innumerabiles Græci? quod prior ipſe fideliſſimus Dei famulus Moyſes fecerat, de quo ſcriptum eſt, quod eruditus fuerit in omni ſapientia Ægyptiorum.*

Patres ſæculi ſcientiis inſtructi.

Quantum autem conferant diſciplinæ liberales potiſſimúmque Philoſophia ad obſcuriſſimas quæſtiones in diuina Theologia diſcutiendas audiamus eundem lib. de ordine cap. 17. ita admonet matrem. *Hoc etiam de cæteris huiuſmodi actibus dixerim; quæ ſi penitus fortè contemnis, admoneo te quantum filius audeo, quantumque permittis, vt fidem iſtam tuam, quam venerandis myſterijs percepiſti firmè, cautéque cuſtodias: deinde vt in hac vita. atque moribus conſtanter, vigilantérque permaneas. De rebus autem obſcuriſſimis, & diuinis quomodo Deus, & nihil mali faciat, & ſit omnipotens, & tanta mala fiant, & cui bono mundano fecerit, qui non erat indigus: & vtrum ſemper fuerit malum, an tempore cæperit, & ſi ſemper fuit, vtrum ſub conditione Dei fuerit: & ſi fuit, vtrum etiam iſte mundus ſemper fuerit, in quo illud malum diuino ordine dominaretur; ſi autem hic mundus aliquando eſſe cæpit, quomodo antequam eſſet poteſtate Dei malum tenebatur, & quid opus mundum fabricari? ergo de his atque huiuſmodi rebus, aut ordine illo eruditionis, aut nullo modo quicquam requirendum eſt. Et ne quiſquam aliquid nos complexos eſſe arbitretur, hoc dico planius atque breuius. Ad iſtarum rerum cognitionem neminem aſpirare debere ſine illa quaſi duplici ſcientia bonæ diſputationis potentiæque numerorum: excipit enim hanc iam ipſa Philoſophiæ diſciplina, & in ea nihil plus inuenit, quàm quid ſit vnum, ſed longè altius, longéque diuinius, cuius duplex quæſtio eſt, vna de anima, altera de Deo. Prima efficit, vt nos ipſos nouerimus, altera vt originem noſtram. Hic eſt ordo ſtudiorum ſapientiæ, per quem fit quiſque idoneus ad intelligendum ordinem rerum.*

Auguſt. lib. de ord. c. 17.

Sine Philoſophia non eſſe diſſerendum de quæſtionibus obſcuris.

Sententia ergo Auguſtini eſt, perſiſtendum firmè, & cautè in ſimplicitate fidei perceptæ, nec attentandas eſſe quæſtiones altas, & obſcuras, niſi quis ante plurimum exercitatus ſit in ſcientia bonæ diſputationis, potentiæque numerorum, quæ in rerum vnitate, aut diſcordia perficitur, quatenus hæc ad menſuram perfectæ vnitatis reducitur; prædicta autem exercitatio comparatur luminis naturalis, ac ſapientiæ ductu, præeunte ſemper in rebus diuinis fide, propriæque infirmitatis humili ac vera recognitione, ne quod gratiæ eſt vſurpet ingenium; vel præſumptio fidem in rebus arduis, elata in magnis & mirabilibus præcurrat, ita porrò ſtudioſum Theologiæ inſtruit Auguſtinus. *Sed hoc modo inſtructus* (ſupple ſcientiis naturalibus) *diuinarum ſcripturarum ſtudioſus, cùm ad eas perſcrutandas accedere cæperit illud Apoſtolicum cogitare non ceſſet, ſcientia inflat, charitas ædificat, ita enim ſentiet, quamuis de Ægypto diues exeat, tamen niſi Paſcha egerit, ſaluum ſe eſſe non poſſe.*

De doct. Chriſtiana lib. 3. c. 40.

Obiiciet

Obiiciet quiſpiam eundem Auguſt. 1. retract. 3. quaſi retractaſſe quæ de vtilitate ſcientiarum ad quæſtiones Theologicas diſcutiendas docuit. cuius verba ſunt: *Verùm & in his libris diſplicet, quòd multum tribui liberalibus diſciplinis, quas multi ſancti multum neſciunt, quidam autem qui ſciunt eas, ſancti non ſunt.* Sed hæc propoſito noſtro nequaquam obſtant, quia nec via regia contemnenda eſt, licèt alij callem inueniant, quo temporis, & laboris compendio citius perueniant ad terminum. in multis ſuppleuit oratio, quod defuit induſtriæ, & hi dono acceperunt, quod laboris in aliis eſt merces. Licèt autem quidam à Deo illuminentur repente, prius exiſtentes magiſtri, quàm diſcipuli; aliis tamen, vt plurimum, terminus ponitur, vt ſi aſſurgere ad altiora conentur, induſtria, & labore tentanda ſit via à ſenſu ad intellectum, à natura ad fidem: præeat ſemper fides ex præcepto Prophetæ: *niſi credideritis non intelligetis.* ſubſequatur ratio: illa definiat, hæc declaret; illa ingrediatur, hæc ad excubias præ foribus vigilet; illa doceat, hæc autem confirmet; diuiſiſque inter ſe muniis, vna naturæ, altera gratiæ præferat facem. quòd ſi fidei myſteria iis rebus traderentur, quæ ſub ſenſum, aut rationis naturalis ſcopum caderent, aut ſi intellectus humani vigor illuc pertingeret, vt ſenſus miniſterio abſolutus per ſe ad ſpiritualia ſufficeret, rectè tunc fortè ſcientiarum, & naturalis philoſophiæ ſubſidium reſpiceret Theologus; mirum tamen eſt, quàm inæquali Marte nobiſcum congrediantur, qui ſcientiam vocum, & linguarum peritiam neceſſariam ideo eſſe ſcripturæ interpretandæ contendunt, quia in his traditur; rerum autem ipſarum, in quibus præcipuè myſteria latent, excludunt diſciplinam, quaſi ſpiritus, & tota fidei anima in nuda litera, & cortice, non in ſubiecto potiſſimum corpore inhabitaret: quod ſi ergo in verbis, locutionibuſque ignotis neceſſariò hæremus; quid fiet dum vim, naturámque earum rerum ignoramus, in quibus ſpiritus veritatis recondidit myſteria, vt ex ſimilitudine, & analogia, ipſarum perſpecta natura, ad interiora, & quæ ſubtus latent, velut per manus tranſmittamur? *Nec enim*, inquit Dionyſius, *aliter fas erat infirmitati noſtræ lucere diuinum radium niſi ſacrorum varietate velaminum, quibus ad ſuperiora feremur opertum, & his quæ nobis familiaria ſunt, prouidentia paterna naturæ mortalium ſeſe accommodante, veſtitum.* Hæc potiſſima ratio cur ſacramenta in rebus ſenſibilibus pro inſtructione noſtra inſtituta ſunt, quæ ſimilitudine quadam myſteria referrent, *quaſi carerent Sacramenta non eſſent*, inquit Auguſt. epiſt. 23. & ſuper epiſt. ad Galat. dicit omne Sacramentum referendum eſſe ad contemplationem veritatis, & bonos mores. quid allegorias, & ſcripturarum parabolas feram, quibus planè interpretandis Grammaticalis conſtructio minus confert? vt omittam ſapientiales libros in quibus, teſte Origene, & Baſilio cæteríſque Patribus, naturalis diſciplina traditur, inutilia, & inania ab vtilibus, & neceſſariis etiam ſecernuntur. Hoc ergo munus Theologiæ ſanè neceſſarium (vt ex Auguſtino Magiſter) docere quibus viis fides contra aduerſarios defendatur, & piis opituletur, docere doctrinam ſanam, & errores redarguere, concluſiones principiis fidei inſitas, & abditas

Iſa. 6.

Fides quibus rebus traditur.

Scientia rerum magis cōducit ad fidei myſteria quàm vocum.

Dionyſ. de cæleſti hierarch. c. 1.

Auguſt. epiſt. 23.

Origenes. Baſilius. In prolog. ſent.

Munus Theologiæ.

conſentaneo naturæ diſcurſu elicere: quin imò quantum fieri poteſt humanis diſciplinis illuſtrare, & confirmare. Quid moror? pro Scholaſticis cauſam, imò & pro ſeipſo egit olim Hieronymus epiſtola ad Magnum; *Quod autem quaris in calce epiſtolæ tuæ cur in opuſculis noſtris ſecularum litterarum interdum ponimus exempla, & candorem Eccleſiæ Ethnicorum ſordibus polluamus, reſponſum habeto: nunquam hoc quæreres, niſi te totum Tullius poſſideret; ſi ſcripturas ſanctas legeres; ſi interpretes earum omiſſo Volcatio euolueres. Quis enim neſciat & in Moyſe, & in Prophetarum voluminibus quadam aſſumpta de Gentilium libris, & Salomonem philoſophis Tyri nonnulla propoſuiſſe, etiam aliqua reſpondiſſe? vnde in exordio Prouerbiorum commonet, vt intelligamus ſermones prudentiæ, verſutiáſque verborum, parabolas, & obſcurum ſermonem, dicta ſapientum, & ænigmata quæ propria dialecticorum, & philoſophorum ſunt.* Hactenus Hieronymus: nec eſſet abs re totam epiſtolam tranſcribere qua variis Pauli, aliorúmque primorum Eccleſiæ Patrum exemplis id clarè confirmat. Cyprianum reprehenſum aſſerit, quòd aduerſus Demetrianum ſcripturarum non philoſophorum, & poëtarum teſtimoniis reſponderit. Origenem Porphyrio, Methodium, Euſebium, Apollinarium Celſo; Ioſephum Appioni grammatico Alexandrino ex philoſophiæ, & ſcientiæ naturalis fontibus defenſionem fidei oppoſuiſſe ait. Quadratum memorat Apoſtolorum diſcipulum & Ariſtidem philoſophum apologiam eius argumenti pro Chriſtianis porrexiſſe Adriano principi. Militonem, Apollinarium, Dionyſium, Tacianum, Bardeſanem, Hirenæum Origenis hæreſeon ſingularum venena, ex quibus philoſophorum fontibus emanarint; multis voluminibus explicaſſe. Clementem Alexandrinum nihil non doctum reliquiſſe, nihil non è media philoſophia. *Hunc*, inquit, *imitatus Origenes decem ſcripſit ſtromateas, Chriſtianorum, & Philoſophorum inter ſe ſententias comparans, & omnia religionis noſtræ dogmata de Platone & Ariſtotele, Numenio, Cornutóque confirmans*: & alios plures adiiciens, ſubiungit: *Qui omnes in tantum philoſophorum doctrinis, atque ſententijs ſuos referciunt libros; vt neſcias quid in illis primum admirari debeas, eruditionem ſæculi, an ſcientiam ſcripturarum.*

Hieron. epiſt. ad Magnum.

Non immeritò igitur poſt Hieronymum, tantorúmque Patrum innumera exempla, Theologi communiter cum D. Thoma 2. 2. quæſt. 2. art. 10. rei ſeriæ, & meritoriæ non figmentis incumbere eos putant, qui rationes fidei confirmandæ, declarandæ, amplificandæ & defendendæ excogitant, ex præcepto Apoſtoli, *parati ſemper ad ſatiſfactionem omni poſcenti vos reddere rationem de ea quæ in vobis eſt fide. Plerumque enim miles ignauus regia caſtra ſomnolento corpore depreſſus oppugnantibus tradit: dum competentibus excubijs non defendit. Propterea nos etiam Beatus Petrus ad reſpondendum paratos eſſe debère paternè iubet dilectionis inſtinctu*: parati, *&c.*

Meritum eorum qui rationes pro fideli defenſione laborant.

Fulgent. lib. 1. ad Traſimund. cap. 1.

Nullam ſanè præſumptionis, vel delicti noxam veritus eſt Auguſtinus quod duas ſibi apertas ſenſerit vias, per quas ad inquirendam Dei ſubſtantiam ſecurus progrederetur, *ſiue per ſcripturam, ſiue per creaturam: quæ vtraque nobis ad hoc proponitur intuenda, vt ipſe quæratur, ipſe diligatur,*

Procœmiũ 3. Trin.

diligatur, qui & illam inſpirauit, & iſtam creauit. Theologus ergo Auguſtinus an artifex figmentorum cum diſcurſu naturali ex creaturis ad ſempiterna aſſurgebat? id ipſe negaret, ſicut & ſuo merito & fructu carere ſcientiam, ſi modus ſeruetur. *Habet enim, & ſcientia modum ſuum bonum, ſi quod in ea inflat, vel inflare aſſolet, æternorum charitate vincatur, quæ non inflat, ſed vt ſcimus, ædificat: ſine ſcientia quippe nec virtutes ipſæ, quibus rectè viuitur, poſſunt haberi, per quas hæc vita miſera ſic gubernetur, vt ad illam, quæ verè beata eſt, perueniatur æternam.* 12. Trin. cap. 14. Fructus ſcientiæ.

Satisfactum iri credo aduerſariis, ſi amplius oſtendero quid ſcientiæ nomine comprehendat Auguſtinus, longeque aliam eſſe ab Heliconis inani fuco, & vacuæ dicacitatis ſtrepitu. rerum ſcientia eſt, non vocum, Theologia non Grammatica: eam indagare ſapientibus, & philoſophis tantum concedit: tametſi enim meritum, & ſimplicitas fidei in multis fidelibus emineat, non omnibus tamen datur hæc margarita; nam *alij datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ*, iuxta Apoſtolum: 1. Cor. 2. Vtriuſque autem doni virtutem, & naturam ſub vnius ſapientiæ notione apprehenderunt veteres; ſapientiam aſſerentes eſſe *rerum humanarum diuinarúmque ſcientiam. Iſta*, inquit Auguſt. *definitio diuidenda eſt, vt rerum diuinarum ſcientia propriè ſapientia nuncupetur; humanarum autem propriè ſcientiæ nomen obtineat*, de quo volumine 13. diſputaui, *non vtique quidquid ſciri ab homine poteſt in rebus humanis, vbi plurimum ſuperuacuæ vanitatis, & noxiæ curioſitatis eſt, huic ſcientiæ tribuens, ſed illud tantummodo, quo fides ſaluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur: qua ſcientia non pollent fideles plurimi, quamuis polleant ipſa fide plurimum. Aliud enim eſt ſcire tantummodo, quid homo credere debeat propter adipiſcendam vitam beatam, quæ non niſi æterna eſt: aliud autem ſcire, quemadmodum hoc ipſum, & pijs opituletur, & contra impios defendatur, quam proprio appellare vocabulo ſcientiam videtur Apoſtolus.* Quibus verbis etſi humanæ, & naturalis ſcientiæ fructus, vſus, neceſſitas, ad res fidei defendendas, ac roborandas, vel ex vnica Auguſtini authoritate conſtet; ad petulantium tamen linguarum cohibendam aduerſum nos licentiam, nihil notius communi & noto experimento adferre poſſum. Stabilis enim, & perpetuus eſt de fidei hoſtibus ſcholaſticorum triumphus. quod non obſcurè faſſi ſunt Græci in Concilio Florentino, diſputationem contra pacta ſubterfugientes. Conſtantienſe autem prius hanc in Witclefo, & ſectatoribus caſtigauit arrogantiam, ſeu fraudulentas inuentiones; vtcumque ægris nihil ita exoſum ſicut medicina, quæ ſalutem confert, & morbi vim retundit. poſt Pontificum autem, & Conciliorum & Patrum decreta, hæretici nihil ita inſectantur, ſicut ſcholaſticam Theologiam. cur ita? non quia *Corynthijs nihil debet Ilium*; ſed quia à ſcholaſticis vehementius impugnantur, vt nihil ipſis tutum relinquatur? 14. De Trin. cap. 2. Diſtinctio ſcientiæ & ſapientiæ.

Nunc agant aduerſarij; videant quibus gradibus ad accuſandum Scotum incedant: res fidei inducta quæſtione examinauit; fateor. petitis ex ſcientiis naturalibus rationibus confirmauit, & declarauit; fa-

teor. ergo fuit dubitabundus in rebus fidei: ergo caliginem figmentorum inuexit: nihil minus. rectius inter res id quod ex arte, & ſcientia Theologo eſt ſtylus, & præceptum, verti ab aduerſariis in crimen. non deſunt quidem Eraſmi, Lutheri, Melanchthones, qui in eandem & fidem, & ſcientiam coëant.

Quod ſi, præter ſtyli communis,aliquam deprauatæ doctrinæ notam in Scotum torquere voluerint; perperam id quidem: ſed reſponſionem iam habent pleniſſimam à Scoti defenſoribus, qui calumniam eiuſmodi ſolidè expugnarunt communi ne dicam Doctorum, & ſpeciatim religionis Franciſcanæ, ſed vniuerſitatum, tribunalium, fidei, Pontificum, Conciliorum iudicio, inter quos trecentis iam annis ea doctrina, communi exercitatione trita, perſeuerauit hactenus intacta. mihi verò non infirmo argumento eius in hoc præſtantia ſuadetur, quod eidem obtrectent aduerſarij, nihil tamen ſpeciatim obiicientes, niſi quod laudi vertitur. Summum porrò detrahendi, & calumniandi in accuſatore ſtudium, criminationis inopiæ coniunctum non vulgare perhibet reo teſtimonium, ſed omiſſis obtrectatoribus, adeo grauiſſimos viros, & potiſſimos Sancti Thomæ diſcipulos, quibus inquirendæ veritatis ſtudium fuit, & à Scoto aliter ſentientes, nihil omiſerunt, quod vel ad impugnationem eius, vel ad D. Thomæ defenſionem conferre videretur. Mirum ſanè, vt tanta ingenia, tam vehemens ſtudium, tot annorum concertatio, eo nunquam deduxerit cauſam, vt vel minimam Scoticæ doctrinæ concluſionem, alicuius publica Eccleſiæ, aut particularis iudicis ſententia, notatam euicerint.

Antonius Poſſeinus. His ſubſcripſit Antonius Poſſeuinus, cuius hoc illuſtre eſt teſtimonium in apparatu: *In ſcripturis diuinis ac philoſophia Ariſtotelis adeo præſtitit, vt in diſputationibus palmam cæteris praeriperet, atque ob id Doctor ſubtilis fuerit appellatus. Hic primum in Anglia, Oxonij ſententias interpretatus, deinde in ſchola Pariſienſi primum locum aſſecutus, Academiam illam multum illuſtrauit, Theologia Scholaſtica multis ſubtilitatibus aucta, in quibus, quod multa, quæ non ita patebant, eruerit, factum eſt, vt qui eius doctrinam ſectantur, Scotiſtæ vocentur; cuius doctrina graue illud teſtimonium extat, quod eius libri, abſque vllo erroris næuo, vſque in hanc diem trecentos circiter annos in œcumenicis Concilijs inuiolati permanſerint.*

Worilon. Senogallien. Bargius. Scotiſtæ. Non immeritò ergo Gulielmus Worilon Scotum ſic compellat, *mirum tot ſubtilia ſcribens in errore non eſt comprehenſus aliquo.* eadem Epiſcopus Senogallienſis: amplius quidem progreſſus eſt Bargius; ſed communis ea diſcipulorum eſt vox, qui omnia, & ſingula eius placita, vbique terrarum ſine nota propugnant, cuius confirmationi ſacræ inquiſitionis generalis Romæ tribunal præcepit cenſoribus, vt Scoti doctrinam intactam,& inuiolatam pertranſirent.

Hæc tamen extrinſecus petita teſtimonia facilè contemnet, qui ad ipſa eius ſcripta oculos conuertet, in quibus non modò pietas Chriſtiano Doctore digna, verùm etiam doctrina, & humilitas pari greſſu incedunt: diſſeruit ille quidem quod magis ex veritate eſt viſum; ea tamen animi moderatione,vt ſine cuiuſquã præiudicio veritas ſuas ferret

partes; & illi quorum ſententia impugnatur debitam reuerentiam: nec enim ſua ita lectori inculcare ſtuduit, velut ſine omni hæſitatione ſequenda, vel vt eundem ab aliorum frequentatione abſterreret; propria interdum placita non ſecus,ac aliorum æquâ lance diſcutit; vt vel inde non ſolùm animi ſyncerus candor, ſed veritatis, non gloriæ, ſtudium in eo fuiſſe conſtet; ſed quia nec breuem eſſe in copioſo argumento liceat, nec ex futili occaſione prætenſæ calumniæ rem ſeriam adire conueniat, lectorem remitto ad totius Scholæ iudicium:plus enim in hoc me extendi quàm animus fuit: aliàs fortè meliori occaſione de Scoti doctrina erit diſſerendum.

B Z O V. *Seuit enim lites immortales quando eius placita, vel grauiter ab aduerſæ ſectæ profeſſoribus oppugnata, ex aduerſo ab eius diſcipulis acerrimè defendantur.*

Quis litem ſerit? reus an actor? defenſionem Scotiſtæ, impugnationem alij adoriuntur; ceſſet impugnatio, ceſſabit defenſio, dirimetur lis. Plato Academiam, Ariſtoteles Lycæum fundauit, non defuerunt hinc inde diſcrepantiæ ſententiarum; quid ergo; illi dicendi litigioſi? non lites in Italiam aduexiſſe dictus eſt Pythagoras dum apud Crotoniatas ſedem delegit philoſophandi, caput ſectæ Italicæ. Idem teſtarentur de ſuo Thalete Iones (ſi verus Ariſtoteles) primo inuentore naturalis philoſophiæ, ſed quid de Zenone Stoici? hi inter philoſophos principes multa tradidêre falſa, multa dubia, quæ ſequentium diſquiſitioni,& diſputationi ſubiecta plures impugnatores,plures etiam habuêre ſinguli defenſores: ſoli inter omnes notati Pythagorici cuiuſdam ſocordiæ, & vanæ ſuperſtitionis, quod veritatis inquiſitioni ſuperſedentes magiſtrum oraculi loco colebant, atque in obſcuris ſymbolis incerta fide conquieſcerent, non proficerent. Ab aliis docendo diſcrepare opinionis eſt non contentionis, ſi ratio ſuader. diſputauit Scotus,non litigauit; quamquam hoc imperitiæ aduerſariorum ſine præſumptione conceſſerim, ira eos ſentire, vt qui ab alio diſputando opinione diſſentiat, & veritatem diſcutiendo aliorum placita inquirat, æſtimetur litigioſus; huc enim tota collimat accuſatio vt ſchiſmata pernicioſa,& ſectas in ſcholam redundaſſe cum nouatoribus improperent: neſciunt tamen litigioſos ſolum dictos eſſe Sophiſtas, quos Plato caupones appellat diſciplinarum, diuitum mercenarios venatores, concordiæ hoſtes, contentioſos, clamoſos, litigatores,habentes ſcientiam in opinione conſtitutam, vel vt Ariſtoteles,qui videri, non eſſe, ſapientes deſiderant, queſtum ſectantur ex fucata, & eâ quam non habent, ſapientiâ: iſti ergo ab omnibus antiquis ſatores litium appellati ſunt, reliqui verò, qui veritatis ſtudio diſſerebant, diſcebant, docebant, ſapientes, aut poſt Pythagoram etiam nobis communicato cum Græcis vocabulo, Philoſophi, ſapientiæ amatores. Vnde Auguſtinus de ſapientia diſſerens: *Nónne terrebimur exemplo Pythagoræ,qui cùm auſus non fuiſſet ſapientiam profiteri, Philoſophum potius, id eſt, amatorem ſapientiæ, ſe eſſe reſpondit,*

[Margin notes: 1.Met.c.3. — Ignorantia aduerſariorum. — Qui litigioſi, qui diſſertatores? — 1.Elen.c.1. — 14. de Trin.c.1.]

à quo id nomen exortum, ita deinceps poſteris placuit, vt quantalibet de rebus ad ſapientiam pertinentibus doctrina, vel tibi, vel alijs videretur excellere, nonniſi Philoſophus vocaretur. Et mox ſubdit: *Sed ego nec ſic quidem ſapientem me audeo profiteri, ſatis eſt mihi, quod etiam ipſi negare non poſſunt, eſſe etiam Philoſophi, id eſt, amatoris ſapientiæ, de ſapientia diſputare: non enim hoc illi facere deſtiterunt, qui ſe amatores ſapientiæ, potiùs quàm ſapientes, eſſe profeſſi ſunt.* Quinque ſcopos litigantium, ſeu Sophiſtarum præfixit Philoſophus; ad eorum quempiam diſſertationem Scoti reducant aduerſarij, tunc admittam Sophiſtam eſſe, & ſatorem litium, ſed hactenus in naturalibus:ad diuinioris ſcientiæ tribunal criminationem eiuſmodi referamus, hic ni fallor, Scotus eſt accuſatorum minimè dubius, vt antecedentia, & conſequentia declarant.

1. Elen. c. 3.

Litigioſi in Theologia qui nam.

2. Tim. 2.

Quinam ergo inter Theologos ſatores litium? quos nempe fugiendos docuit Apoſtolus, diſcipulum perfectè inſtruens non *contendere verbis, rectè tractare verbum veritatis: Prophana*, inquit, *& vaniloquia deuita, multum enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum, vt cancer ſerpit, ex quibus eſt Himeneus, & Philetus, qui à veritate exciderunt, dicentes reſurrectionem iam eſſe factam, & ſubuerterunt quorumdam fidem. Stultas autem & ſine diſciplina quæſtiones deuita, ſciens quia generant lites, ſeruum autem Domini non oportet litigare.* Ab eiuſmodi contentionis ſtudio quàm longè abfuit Scotus: modeſtè enim pro veritate diſputare non eſt litigare; aut myſteria inducta quæſtione explicare, non eſt ſtultas mouere. *Neque enim*, teſte Auguſtino Doctoris munus explicante, *hoc ideo dictum eſt, vt aduerſarijs oppugnantibus veritatem, nihil nos pro veritate dicamus, & vbi erit; quod cum oſtenderet qualis eſſe Epiſcopus debeat, ait inter cætera, vt potens ſit in doctrina ſana, & contradicentes poſſit redarguere? verbis enim contendere eſt non curare, quomodo error veritate vincatur, ſed quomodo tua dicta dictioni alterius præferantur: porrò qui non verbis contendit ſiuę ſubmiſsè, ſiue temperatè, ſiue granditer dicat, id agit verbis, vt veritas pateat, veritas placeat, veritas moueat, quoniam nec ipſa, quæ præcepti finis & plenitudo legis eſt charitas, vllo modo recta eſſe poteſt, ſi ea, quæ dicuntur, non vera, ſed falſa ſunt.* Hieronymus interpretatur à *ſtultis quæſtionibus* nos reuocari à Paulo, non à ſapientibus, & quæ ſcripturarum authoritate ſunt fultæ: præceptum enim Saluatoris eſt, *quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis*, &c. non ſecus tamen olim contra Auguſtinum Donatiſtæ, quàm Bzouius & Iouius etiamnum agunt in Scotum, vt alios ab eodem abſterreant. *Sed credo*, inquit, *cùm me videres à multis putari eloquentem, vt à me lectoris, auditoriſve ſtudium deterreres, accuſandam exiſtimaſti eloquentiam, vt iam, quid dicerem, non attenderet quiſquis abs te perterritus tanquam eloquenter me dicentem, eo ipſo iam cauendum, fugiendùmque cenſeret.* Quid aliud aduerſarij, cùm Scotum inſcribunt ſatorem litium, niſi vt hoc ipſo lectorem ab eo deterrerent, differente tanquam litigioſo, quem ab aliis prædicari audierunt ſubtilem veritatis indagatorem? *Qui enim veritati non acquieſcunt, onerosè ac moleſtè ferunt eos, qui ſecum ſedulò agunt, nec ab eorum conuincendo errore diſſimulant, litigioſos & contentioſos vocant.*

Auguſt. 4. de doct. Chriſtian. cap. 28.

Quid ſit verbis contendere?

Hieron. ſup. 2 ad Tim. 2.

Auguſt. lib. 1. contra Creſc. c. 2.

Ibid. c. 6.

Falſitas

Falſitas enim, quæ nudari, & redargui metuit, eorum vitiorum nomine, quæ veritas damnat, diligentiam veritatis accuſat. Sed diſſeruit Scotus, aliósque impugnauit. quid tum? ergo litigioſus? diligentiam veritatis inquirendæ accuſant, dum reſpondere nequeunt: ſic Creſconius Dialecticam Auguſtino improperauit velut alienam à Chriſtiana veritate: *Quid aliud*, inquit, *Dialectica, quàm peritia diſputandi? quod ideo aperiendum putaui: quia etiam ipſam mihi obijcere voluiſti, quaſi Chriſtianæ non congruat veritati, & ideo me Doctores veſtri velut hominem Dialecticum meritò fugiendum potiùs, & cauendum; quàm refellendum, reuincendúmque cenſuerunt.* Sed & hanc calumniam latè diluit Sanctus exemplo Pauli Act. 10. 17. qui cum Iudæis in Synagoga, cum Stoicis in foro diſputabat, quem proinde verum Dialecticum fuiſſe probat, quia non ſolùm acutè, ſed veraciter diſputabat, & mox reducta in aduerſarium oratione. *Habes*, inquit, *& apud Iſaiam Prophetam, venite diſputemus, dicit Dominus, & multis alijs diuinarum ſcripturarum locis. Lege vbi inueneris hoc verbum, & inſpice codices Græcos in eiſdem teſtimonijs Sanctarum Scripturarum, & videbis, vnde ſit appellata Dialectica, ne quod omnes iuſti cum Deo faciunt, quibus dictum eſt, venite diſputemus, dicit Dominus, non imiteris ſapienti pietate; ſed inſulſa temeritate crimineris.* Ibid. c. 13. Cap. 14.

Concludamus igitur ex Auguſtino, quis Dialecticus ſeu diſputator, quis verò Sophiſta & litigioſus. *Qui diſputat*, inquit, *verum diſcernit à falſo, quod qui non poſſunt, & tamen Dialectici videri volunt, per inſidioſas interrogationes captant incautorum aſſenſiones, vt ex eorum reſponſionibus concludant, vnde illos, vel in aperta falſitate deceptos rident, vel occultam falſitatem deceptis perſuadeant, quam plerumque etiam ipſi exiſtimant veritatem. Qui autem verus diſputator eſt, id eſt, veritatis à falſitate diſcretor, primò id apud ſeipſum agit, ne non rectè diſcernens ipſe fallatur*, &c. Hæc Auguſtini ſententia, quæ diſputantem Scotum ex veritatis ſcopo, longè alienum à litibus, & contentione facit: differentes autem præpoſtera intentione non modò falſa, ſed fallendi animo, docet eſſe litigioſos: ſine offenſa dixerim, aduerſarios perſtringit, nec enim lectoris in hoc lædi reuerentiam iudico, ſi imprudentiæ, & leuitatis contra manifeſtum omnium iudicium obtruſæ, in ipſos authores, non tam retorquеamus notam, quàm ipſam ſuo pondere recidentem demonſtremus. Sed quæ ſequuntur eiuſdem ſunt impoſturæ. Quis ſit Dialecticus? Ibid. c. 15.

BZOV. *Sed qui aliquot præclara eius ordinis ingenia ad optimam frugem nata diſtorto ſcilicet ad veritatem itinere, ſuſpendiſſe perdidiſſéque videtur.*

Quænam illa ingenia perdidit Scotus? vel quæ doctrina eius damnata, quæ diſcipulos deprauare, & à veritate ſuſpendere poſſet? dormierunt ergo ſuper tanta ingeniorum pernicie prælati Franciſcani plus amplius trecentis annis; dormierunt Pontifices; dormierunt Concilia; dormierunt Vniuerſitates; tota denique dormiuit Eccleſia? nullúſque tanto tempore natus eſt Phinees, qui haberet ſpiritum, & zelum legis?

grauis iniuria, quæ in vniuerſos redundat Prælatos Eccleſiæ, & tribunalia fidei: *Error enim cui non reſiſtitur, approbatur, & veritas cum minimè defenſatur, opprimitur. negligere quippe, cùm poſſis, deturbare peruerſos, nihil aliud eſt, quàm fouere; nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obuiare. Quid enim prodeſt illi ſuo errore non pollui, qui conſenſum præſtat erranti. conſentire videtur erranti, qui ad reſecanda, quæ corrigi debent, non occurrit.* Vnam dumtaxat ex vniuerſa Scoti doctrina ſententiam in dubium, & iudicium, tanto annorum interuallo vocatam inuenio, de conceptione Virginis; quibus autem progreſſibus? Docent decreta Pauli V. Gregorij XV. antea verò Sixti IV. docent ſtudia generalia, vniuerſitas Prælatorum cum commiſſo ſibi grege, inter quos, quoad hoc, Scotus in pulpitis triumphat, in cathedris vbique docet. nunquid ad peruerſionem ingeniorum? tranſierunt quinque generalia Concilia, plura Prouincialia, plurima in cauſa fidei ac doctrinæ decreta, ac controuerſiæ, ea, inquam, ſola eſt ſententia, quæ Scotum tribunali ſiſtit; teſtes authores nuper relati, teſtis ſchola vniuerſa, teſtis ipſæ Conciliorum hiſtoriæ, teſtis experientia eorum, qui Conciliis interfuere, in quibus etſi aliorum placita in aliquo, emendationis aut abolitionis notam ſubierunt, Scotus, & Scotiſtæ integri immunéſque tranſiere. Occurrit mihi, (differendi neceſſitate dixerim) in Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. & canon. 11. reprobata ſententia Caietani primarij in ſchola D. Thomæ, occurrit & in Conſtantienſi retractatio errorum fratris Matthæi Grabon eiuſdem ſcholæ, & inſtituti: nullus autem Scotus aut Scotiſta mutilatus, damnatus aut caſtigatus. Sed neglectis velitationibus cominùs agamus. Bzouij nomine ſuperius produxi plures articulos, in quibus Scotus nunquam fuit inferior. Vis amplius congredi, in medium alios profero articulos: agnoſce cuius doctrina eſt hæc. Quis negauit Euam formatam ex coſta Adam; atque adeo ſcripturam hoc affirmantem non ex proprietate literæ intelligendam? non Scotiſtæ aut Scotus, qui contrarium affirmant cum Patribus & expoſitoribus in 2. d. 18. quæſt. vnic. ſub finem. Quis ſaluat in vtero matris ſine baptiſmo pereuntes infantes? non Scotus aut Scotiſtæ. conſule in 4. d. 4. Quis ita Paulum interpretatur, vt orationes communes, & cæteras preces, quæ ad ædificationem fiunt populi, vtilius, & congruentius in vulgari, quàm Latino idiomate haberi docet? non Scotus, non Scotiſtæ, qui ritum Eccleſiæ neceſſariò ſequendum prædicant. conſule in 4. diſt. 11. quæſt. 6. Quid de Græcis ſentiat qui ritum Eccleſiæ Romanæ reſpuunt, & q. 7. & aliàs ſæpe ritum Eccleſiæ tenendum probat. Quis precor negat pluralitatem vxorum antiquitùs prohibitam? non Scotus, non Scotiſtæ contrarium docentes cum Innocentio cap. de diuortiis. Quis interpretandam ſcripturam ex propria magis, quàm ſanctorum ſententia refert, contra decretum Lateranenſis & Tridentini? non Scotus, cuius in Sanctos reuerentia facile percipitur ex 1. diſt. 5. quæſt. 2. d. 11. quæſt. 2. 2. diſt. 23. quæſt. 1. 4. diſt. 4. quæſt. 4. Quis in adulto ſuſcipiente baptiſmum, negat intentionem fore neceſſariam? affirmat profectò Scotus cum Auguſtino de conſ. diſt. 4. & Innoc. cap. maiores. de baptiſmo.

Diſt. 83. cap. error.

Articulus 1.

2.

1. Cor. 14.

3.

4.

5.

Quis

Quis docet ſufficientem materiam Euchariſtiæ eſſe quemque panem 6.
vſualem ? negare videntur Florentinum , Tridentinum, negauit etiam
Scotus in 4. d.11. quæſt.6. & iuſſu Pij V. ea ſententia deleta eſt in im-
preſſione quadam Romana. Non defuit, qui negaret neceſſitate Sa- 7.
cramenti confirmationis miſceti oleo balſamum. Affirmare videtur
Trident. Florent. & expreſſius Colonienſe ; affirmat Scotus & Scotiſtæ 8.
in 4. d. 7. quæſt. 1. affirmauit quidam diſpoſitionem ſufficientem ad
ſumptionem Euchariſtiæ eſſe contritionem ſecluſa confeſſione peccati
mortalis, etiamſi adſit copia confeſſarij : reprobat id Trident. ſeſſ.14.
cap.7. can.11. ſicut & Scotus , & Scotiſtæ in 4. d.17. quæſt.1. Quis
negauit Iacobi 5. *Infirmatur quis in vobis*, aut ex verbis, aut ex effectu 9.
ſermonem eſſe de Sacramentali vnctione?contrarium docuit Scotus &
Scotiſtæ in 4. d.23. quæſt. vn. reſponſione ad primum totidem & iiſ-
dem penè verbis quot & quibus poſtea Trident. ſeſſ.14. can.1. de hoc
ſacramento eandem veritatem definiuit. Non defuit inter ſectatores 10.
D. Thomæ , qui affirmauit vxorem dimitti poſſe ob fornicationem &
aliam duci. contrarium Scotus ſupponit in 4. diſt.33. quæſt.3. & de-
finiuit Trident.ſeſſ.24. can.7.Diſcipulus D.Thomæ aſſeruit Ioan.XX. 11.
haberi inſtitutionem confeſſionis, non præceptum, auricularem autem
eſſe ex præcepto Eccleſiæ. Contrarium docuit Scotus & Scotiſtæ in 4.
d. 17. quæſt.1. Definiuit Trident. ſeſſ.14. cap. 5. & 6. Quis negauit 12.
epiſtolam ad Hebræos ſcriptam fuiſſe à Paulo, aut alicuius authoritatis
eſſe, vt ex ea decretum aliquod fidei conficiatur contra Eccleſiæ &
Tridentini decretum ? At certè Scotus & Scotiſtæ non ſecus ac veram
Paulinam, verámque Canonicam ſcripturam eam recipiunt in 2. d.10.
quæſt.1.in 3.d.20. ad 1. principale,in 4. d.1. quæſt.3.d.23. d.25.Quis 13.
denique receptos ab Eccleſia Machabæorum libros , & Eccleſiaſticum
exturbauit à Canone ? Scotus profectò & Scotiſtæ immunes ſunt:
nam in 1. d.9. in 2. d.2. in 3. d.12. in 4. d. 20. Eccleſiaſticum textum
pro vera ſcriptura citat.

Conuertamus nos amplius ad Conciliabulum Baſilienſe, in quo octo articuli ſeu concluſiones contra fidem, & veritatem propoſiti leguntur ſequentes. Articuli Baſilienſium cõtra Pontificem.

Primus, Veritas eſt Catholicæ fidei ſacrum generale Concilium ſupra Papam , & alium quemuis poteſtatem habere.

Secundus, Generale Concilium legitimè congregatum ſine ipſius conſenſu nec diſſoluere , nec transferre , nec prorogare ad tempus ex authoritate ſua poteſt Romanus Pontifex, idque veritatis eiuſdem eſt.

Tertius, Qui pertinaciter ſe opponit, hæreticus eſt cenſendus. Alios breuitatis cauſa prætereo, quorum hæc ſumma eſt , vt Eugenius Pontifex tribus præmiſſis repugnauerit ; fuerit hæreticus, relapſus, pertinax venit in hæc paradoxa aliquis fortè Scotiſta diſtorto à veritate itinere ſuſpenſus, & perditus ? non reperio. non venit. Æneas tamen Syluius extenſa in aduerſum manu quendam alterius ſcholæ aſſeclam deſignat , quem propriis verbis eiuſdem produco, vt qui adfuit, & rem oculis ſubiectam referat. *Octo,* inquit, *inter ipſos Theologos concluſiunculis approbatis, quas*

Æneas Syluius de Conc.Baſil. *veritates appellitarunt, eorum copiam in orbem diuulgantes, quæ res circa medium menſis Aprilis initium ſuſcepit induſtria quidem, ac ſolertia Nicolai cuiuſdam Burgundionis ex ordine Prædicatorum viri acuti, & longè maioris animi, quàm corporis, qui nec diſputationum, nec congregationum aures vnquam perſonare omiſit, donec res cœpta, & conſummata eſt, nec illud aſſerere dubitarem rem hanc intactam remanſiſſe, niſi iſtius homuncionis diligentia, Patres excitaſſet, quem ſi quis videat, nunquam tanti exiſtimet.*

Hactenus Syluius; quænam autem mox ex præfatis concluſionibus enatæ ſunt tragœdiæ, proſequitur; notioréſque ſunt, quàm vt declaratione, aut narratione indigeant, poſſem inſuper & ego oſtendere, quinam fuerunt legati Baſilienſium fouendi ſchiſmatis gratia, ſiue ad Regem Angliæ, ſiue ad Ducem Burgundiæ, ſiue ad alios principes deſtinati; non fuêre Scotiſtæ. Sed quid? dormierunt in tanta animarum pernicie? nequaquam profectò, ſed pro fide, & vero Pontifice ſtrenuè decertantes, conſilia Achitophel contra Dauid, & Eccleſiam diſſiparunt vacillantéſque ſtudio partium Chriſtianos, ad ſui paſtoris obedientiam reduxerunt. hinc ab Oriente Ioannes Capiſtranenſis Franciſcanus Armenos: hinc Beatus Albertus Sartianenſis Franciſcanus Iacobitas Florentiam ad fidei vnitatem & veritatem reducunt, quorum vterque, cum legati munere ad illas partes deſtinati ſunt (magis quadraginta ſuorum ſodalium numero comitante) procurandæ Eccleſiarum vniuerſim concordiæ; cùm pridem Sarthianenſis Græcæ, & Latinæ linguæ à puero peritiſſimus in Concilio Florentino interpretem egerit adiuncto eiuſdem inſtituti ſocio. Contemnenda fortè opera Fr. Bartholomæi de Iano ſacræ Theologiæ Magiſtri, & Prædicatoris inſignis familiæ Obſeruantiæ, qui ablegatus eſt ab Eugenio Pontifice Conſtantinopolim pro reductione Græcorum, operíque tam feliciter incubuit, vt induſtriæ, & laboris optatum ſit conſecutus effectum, Imperatore & Patriarcha ſimul in Italiam ſoluentibus, & ad Matris, quos inueteratum abſtraxit ſchiſma, properantibus gremium? Nunquid ſuſpenſo à veritate itinere Fr. Gulielmus à Caſali Franciſcanæ Religionis Generalis Miniſter Legatus Apoſtolicus miſſus eſt in Galliam ab Eugenio de conſenſu Cardinalium (qui illius prouinciæ detrectabant curam) ad Carolum VII. vt Baſilienſium intruſíque Felicis antipapæ motibus obſtaret, tantúmque apud Regem Chriſtianiſſimum valuit vnus Scotiſta, vt Eugenij non modò fautorem, & ſequacem, ſed vltorem eum ſceleris in Baſilienſes incitauit: Miſſo enim cum equitatu Delphino conciliabulū funditus de iniquo ſumptionis culmine detraxit, diſſipauítque. nec res ea laboris, & periculi expers Regem alioqui confirmare in veri Pontificis obedientia, cùm nec infimi nominis Felix in Gallia habuerit ſectatores, creatis anticardinalibus Lauſanenſi, Gebennenſi, Pariſienſi, Namretenſi, Caſtrēſi, Maurianenſi Epiſcopis Gallis (quorum penultimus confeſſor Regis Galliæ perhibetur, fortè ille frater Ioannes ordinis Prædicatorum apud Antoninum anticardinalis acer Felicis defenſor) Item Aquenſi, Lugdunenſi, Turonenſi, Tarantaſienſi Archiepiſcopis, quibus acceſſit Archidiaconus

Operæ Franciſcanorum pro vnione Eccleſiæ. Marian.l.5.

Reducunt Græcos, Armenos, Iacobitas.

Diſſipant ſchiſma Baſilienſium.

Ciaconius in Regiſto Felicis.

diaconus Metenſis eiuſdem nationis. Has obices in Gallia ſuperauit Caſalenſis. nec minus præſtitit à Pontifice miſſus B.Ioannes Capiſtranenſis ſiue in Italia, ſiue in Belgio, nam & Ducem Mediolanenſem, alioquin Eugenio infenſum, Ducémque Burgundiæ cum aliis pluribus Felicianæ parti detraxit; quantumcumque Lugdunenſis omnia ex parte Burgundionis impenſe conciliabulo ſpopondit. Sed quis ille Scotiſtarum progreſſus fuerit ad noui orbis conuerſionem? an ſuſpenſo ad veritatem itinere? quadraginta annis ſoli inter Brachmanas, & Indos glaciem rumpentes viam reliquis planam fecêre, primi in Occidente viginti annis fundamenta poſuerunt Euangelij, pluréſque ad Chriſtum myriades conuerterunt? an in Europa interim inutiles, & ocioſi pace inter monarchas Hiſpaniæ, & Galliæ conſtitutâ (vt interim cum hæreticis præclara certamina omittam) arbitro fratre Bonauentura Calategerona Miniſtro Generali,cuius beneficio quies totius Europæ fulcitur. quinam excubias ad ſepulchrum Domini, etiamnum ſeruant, atque poſſeſſionem retinent ſacrorum locorum, quæ Saluatorem in carne exceperunt? humilitati Franciſcanæ, ingeniis Scotiſtarum, hoc ipſe conceſſit beneficium, quod totius Europæ, potentiſſimorúmque Regum fruſtra, ſæpiúſque iteratas ſuperauit vires. Vidimus etiam hiſce diebus noſtris Chaldæos ſchiſmaticos ex Oriente, & idololatras ex Iaponiis ſub Paulo V. ad agnitionem veritatis ductoribus Scotiſtis ingreſſos.Sed ne in res noſtras effuſus vltra neceſſariæ reſponſionis limites percurrere videar: accipe Thomæ Boſij teſtimonium de iis Scotiſtis, qui eundem cum Scoto curſum mordicus, & quaſi ad literam tenuêre: *De his noſtris de Orbellio, Nicolao Niſſeno, & Stephano Bruliſero ſi linguarum hiſtoriarúmque cognitio fuiſſet, illos ego non in terra natos, ſed cœlo lapſos dicerem.* Niſſenum ſpeciali nota commendat Poſſeuinus Theologum verè perſpicuum, & inſignem, cuius ſcripta attentius verſare lectorem non pœnitebit; ſed quid iuuat omiſſo flumine conſectari riuulos? alios ergo prætereo ſiue antiquiores, ſiue modernos, de quorum ingenio, & ſcientia propter noſtros, Poſſeuini, Trith. Eyſingren. Bellarm. & vniuerſa ſchola ſatis amplum perhibet teſtimonium Concludo tantum fructum Scotiſtarum in Eccleſia notum eſſe, errores non ita; nec mihi conſtare vllius veri Scotiſtæ ſententiam ab Eccleſia notatam,niſi obieceris illam Franciſci Mayronis de theſauro ſpirituali, quem in dubium vocauit, cum debita tamen ad Eccleſiam, ſi fortè aliter ſentiret, ſubmiſſione, in quam opinionem incidit ex parte Durandus,& contrarium videtur determinatum poſt vtrumque per Clementem VI. extrauagante vnigenit. de pœn. & rem. Scotus in eo non præiuit Mayronem, propriæ opinioni magis obſequentem, quàm Magiſtro: id ſanè affirmauerim eos qui Scotum ſecuti ſunt, pertranſiſſe hactenus ſecurè; Nam qui Ochamum improperant, non diſcipulum, ſed aduerſarium opponunt; qui in omnibus penè Scotum deſeruit, primus autem ad errorem gradus eſt Magiſtri & ſcholæ reiecta ſententia ex proprio ſapere,quod ergo diſcipulus errat magiſtrum ſpernens hunc commendat,ſe damnat, imprudens ergo hæc calumnia; errauit Ocham (demus erraſſe) ergo &

In 4. d. 19. quæſt. 2.

Ex errore Ochami nõ detrahitur Scoto aut eius ſcholæ.

& Scotiſtæ; nam & ſic hæreticorum mater eſſet Eccleſia, & ſuas hæreſes in D. Thomæ ſcholam inferret Caluinus, quas teſte Prateolo à Martino Bucero hauſit quondam angelici Doctoris ſectatore.

Prateolus.

BZOV. *Manifeſti aut certè occulti alicuius criminis apoplexiâ correptus, pœnas perſoluit*, &c.

Nihil difficilius, quàm nigredinem tingere, aut mendacium vero honeſtare: improbus tamen hic labor eorum, quibus minima aut nulla eſt fides; puerorum inſtar glaciem, nec retinere manibus poſſunt, nec volunt amittere: ſupplent veritatem verbis, & quod fidei deeſt ſuperimpendunt coniecturis. Manifeſti criminis Scotum agere, nequeunt aduerſarij, occultum (ne nullum ſit) diuinant, quaſi minus ſit in diuinæ voluntatis ſecreta, quàm in publicam hominum fidem impingere, aut ſanè in occultis, & ſub vmbra licentius ſe dilatet mendacium, quàm in publico ſub ſole, & omnium oculis. Vacillatio tamen index eſt eos ſtudioſâ calumniâ, nihil ex fide, aut propria ſententia, depoſuiſſe; vt quid enim de manifeſto crimine dubitatur, vt quid accuſationem ad diuinæ voluntatis ſecretum arbitrium referre iuuat, ſi talem iudicant Scotum, qualem hactenus deſcripſerunt, illuſorem rerum ſacrarum, dubitabundum in fide, deprauatorem ingeniorum? hæc nempe dicere, non probare, liberum fuit, ideo confugiunt ad tenebras, vt minus deprehendantur, quaſi hactenus ſub incerto inter Chriſtianos fuerit, Bzouium, Iouiúmque Dei conſiliarios fuiſſe, idoneúmve mendacio ſit præſidium, impoſturæ temeritatem & periculum aduocare; vel quæ rerum opifex abſcondit, ſine reuelatione definire: quod occultum eſt, relinquamus ei, qui ſcrutator eſt cordium, neque enim ipſi Eccleſiæ id conceſſum, vt de occultis cognoſcat, quamdiu occulta manent. Scotum in publico nunquam notatum, nunquam traductum de manifeſto crimine oſtendendum eſt primò; ſecundò, nec apoplexiam, & mortem quantumlibet ſubitaneam argumentum eſſe manifeſti aut occulti criminis; tertiò, denique genus mortis, quod imponunt aduerſarij, veram eſſe calumniam.

Aduerſarij deprehenduntur.

Primùm igitur ſufficienter, ni fallor, diluens ea crimina, quæ Scoto improperantur, oſtendi, vel omnino crimina non eſſe, vel certè falſa. hinc facilis eſt ea ratione ad innocentiam probatio. Capita accuſationis in laude, vel in manifeſta ſunt calumnia, nullum autem in vero crimine: Scotus ergo liber. quid ad hoc aduerſarij? placet tamen vlterius ex abundanti ad commune diuini, naturaliſque iuris præſidium recurrere, quod ex vſu teſtium introductum eſt, omnibus ad veritatem tuendam aduerſus malorum mendacia, conceſſum. Sed à quibus de vita & innocentia Scoti teſtimonium peti licet? nempe à notis, & expertis, à coæuis, à commilitonibus, à Prælatis. Primum offero totius religionis caput. is eſt Gondiſaluus minister Generalis, ſub quo Scotus claruit: ita de eo deponit epiſtola ad Guardianum Pariſienſem, cuius hoc ſegmen tranſcribo. *Ad expeditionem*, inquit, *dilecti in Chriſto patris Ægidij de Lignaco*

Scoti integritas defenditur ex teſtimonio.

Lignaco, de quo per literas veſtras certificatus exiſto. cùm de alio (ut moris eſt) eodem valoulo præſentando prouidere oporteat, & cùm ſecundùm ſtatuta ordinis & ſecundùm ſtatuta veſtri conuentus Baccalaureus huiuſmodi præſentandus, ad præſens debeat eſſe de aliqua prouincia aliarum a prouincia Franciæ, dilectum in Chriſto Patrem Ioannem Scotum, de cuius vita laudabili, ſcientia excellenti, ingenióque ſubtiliſſimo, aliiſque inſignibus conditionibus partim experientia longa, partim fama quæ vbique diuulgata eſt, informatus ſum ad plenum, dilectioni veſtræ aſſigno poſt dictum patrem Ægidium principaliter, & ordinariè præſentandum; &c. Epiſtola hæc ad longum habetur lib. 3. Hiſt. Seraph. apud Toſſignianenſem. Toſſignian.

Perpendant mecum aduerſarij quid dicitur, perſonam dicentis, & tempus, prædicatur in Scoto vita laudabilis, ſcientia excellens, ingenium ſubtiliſſimum, aliæque conditiones inſignes. Sed qua fide hæc adſtruuntur? priuata, publica; duobus modis, quibus vniuerſim teſtimonia fulciuntur, experientia & fama: *Partim, inquit, experientia longa, partim fama, quæ vbique diuulgata eſt, informatus ſum:* quis ita deponit? paſtor, & prælatus, ſi officium ſpectes, Generalis & ſupremus totius ordinis rector (ad quem ſubditi vultum noſſe pertinuit) ſi curam & miniſterium, vigilantiſſimus; ſi vitam, obſeruantiſſimus, de quo hæc Aluarus Pelagius in 2. lib. de planctu cap. 68. *Sanctæ memoriæ Gondiſaluus Hiſpanus de prouincia Galiciæ nobilis genere, ſed nobilior vita, & moribus & euangelica paupertate verè Fr. Minor, & zelator ardentiſſimus regulæ, & dominus paupertatis & dominicæ humilitatis. Magiſter in Theologia realiſſimus verbo, & opere; de maioribus mundi literatis in triuio, & quadruuio, qui parum poſt mortem ſuam Pariſijs in viſione quibuſdam fratribus noſtris apparuit glorioſus in throno reſidens cum corona aurea, & ſceptro, qui dixit tunc quod ſedes throni ſibi aſſignata erat in cœlo, quia puriſſimè in ordine iuſtitiam obſeruauerit.* Si hæc minus ſunt conſulatur Antoninus, Toſſignianenſis, Marianus, & reliqua ordinis Franciſcani monumenta. Aluarus. Gonſalui laus.

Sed quando iſta Gondiſaluus de Scoto? nempè quando ad gradum promouendus erat, quando maximè de vita & moribus perſonæ inquiſitio habenda eſt, quando ratio boni communis præualet affectui, vnde ſi ritè verba penſemus, non teſtimonij loco ea penſanda ſunt ſed debitæ & iuſtæ ſententiæ. Fortè ſtudio, vel affectui ea deprompſit? ſed hæc in iuſtitiam & æquitatem tam ſublimi præmiatam throno non cadunt, quæ vel ex præfata epiſtola dignoſcitur, mandauit ſcilicet vt merito antiquitatis eundem Ioannem reliquis non obſtantibus antecedat Albertus Metenſis. Epiſtola data eſt Anconæ 4. Kalend. Decembris 1304. quarto ante mortem Scoti anno. Sed dices, fortè deinceps potuit Scotus ab incepto curſu defeciſſe; potuit quidem fragilis, & mortalis, potuit etiam Dei gratia perſtitiſſe; perſeuerantiæ argumentum eſt quod anno 1307. in Capitulo Toloſano inſtitutus ſit Pariſijs regens, qui honor tum maximè, & religione & ſcientia probatis tantum deferri ſolebat: perſeuerantiæ argumentum fuit, quod florente maximè religione inter tot ſcientia, & vita conſpicuos vnus deſignatus eſt idoneus, qui Coloniæ Scotus regens ſtudij Pariſienſis.

contra inſurgentes tum Beguardos, & alios immaculatæ Conceptionis Virginis impugnatores deſtinaretur eodem ipſo anno: perſeuerantiæ argumentum eſt, quod Coloniam tum aduentanti clerus, & populus officij gratia occurrerit: perſeuerantiæ argumentum eſt ſtatua virginis Pariſiis, quæ ad orationem eius inflexâ ceruice perpetuum ſanctitatis Scoticæ etiamnum proſtat monumentum: perſeuerantiæ argumentum eſt, quod Pariſiis cunas celebranti Saluatoris in nocte natalis ipſius, & profundè contemplanti Ieſus in pueri forma in brachia, & amplexus deuoti ſerui contrectandum ſe dedit, dum illud Cantici ingeminaret. *Quis det mihi te fratrem meum*, &c. diſparente autem viſione, teſte Mariano, ad altiora ſe accingens, deinceps carnibus abſtinuit, inceſſit nudipes, detractis etiam ſandaliis, indumentum ad mortem vſque non mutauit. quin imò, vt monumenta noſtra deponunt; tam rigidus fuit paupertatis obſeruator, vt vna, vilique tunica pannoſa contentus humilem ſe, & abiectum in omnibus geſſerit; præclarum illud obedientiæ exemplum extat apud Worilon in 2. diſt. 44. quæſt. 1. Narratur, inquit, de Doctore ſubtili, quod in prato clericorum viſâ Generalis miniſtri obedientiâ, qua deſtinabatur Coloniam, ſine mora iter arripuiſſe; nec ad conuentum officij quidem gratia digreſſum, cúmque id potiſſimum diſcipuli prohiberent, reſpondit dignam Ioanne ſententiam, *Pater Generalis*, inquit, *iubet ire Coloniam, non redire domum ad ſalutandos fratres.* hæc perſeuerantiæ in bono argumenta ſunt, eáque manifeſta, quæ experientia, & vera perſeuerant fama. Scotum ergo ad annum vſque ſuæ ætatis vltimum immunem faciunt à manifeſto crimine; mortuus enim eſt anno 1308. Sed nec in his ſolùm probitatis, & virtutis impreſſa veſtigia cernas; adeas ſepulchrum, adeas poſthumam famam, adeas monumenta, & lucubrationes, quæ palam intentant actionem de calumnia, & velut ex iure mecum conſertos tenent aduerſarios. audiamus quid primùm de ipſa antiquæ teſtantur inſcriptiones & loquantur epitaphia.

Worilon in fine 4. Toſſignianen. Marianus. Villot.

Eius contemplatio & ſanctitas.

Marc. 2. par. lib. 7. c. 3.

Worilon.

Clauditur hic riuus, fons Eccleſiæ, via, viuus
Doctor iuſtitiæ, ſtudij flos, arca Sophiæ, &c.
Dux fuit hic veri, clauſtri lux & tuba veri.

Aliud.

Hic humilis caſto Franciſci cordula renes
Strinxit, erat ſapiens preſbyter officio.
Feruebat ſtudio nulli virtute ſecundus.
Quod didicit totum mox alios docuit.

Famam celebrauit diſcipulus & coætaneus Antonius Andreas aſſerens famam & memoriam eius eſſe in benedictione. Worilon quempiam parem eſſe eius laudibus negat. Poſſeuinus in eo admiratur eximiam modeſtiam, charitatem, animi integritatem. Iacobus Breullius Benedict. de antiquit. Pariſien. *cuius memoria nunquam eſt peritura, præſertim inter Scholaſticæ ſapientiæ profeſſores & eruditionem qua ſcriptis ſuis inſeruit hæreticorum impietati retundendæ opportunam.* Marcus Vliſſiponenſis, in vtraque Philoſophia tam diuina quàm humana verſatiſſimum,

mum, & quod illuſtrius eſt, vitâ ſanctum prædicat. Ambroſius Catherinus in diſputat. de immaculata Conceptione ad ſanctam Tridentinam Synodum p. 1. ironicè & per improperium aduerſariorum ſubinfert: *Ergo in eorum numerum, qui in hanc hæreſim incurrerunt imprimis Ioannem Scotum includere illos oportet, cuius laus quanta ſit in Eccleſia & meritò, ſoli praue affecti mente non conſpiciunt.* Sed quid Eyſingrenius? laudat fidei Catholicæ profeſſionem & exercitationem in diuina lege. Trithemius cœleſtium ſcripturarum ſtudioſam eruditionem: ne longior autem ſim, aliis ſuperſedens, adiiciam verba Ludouici Manganellis in vita Scoti. *Non deſunt homines quamplurimi, qui eum ſanctum vocent, ex eo, quòd ſacra & ſancta volumina ſcripſit; Angelus etiam ſic teſtatus eſt nobis in Apocalyſi beati Amadei patris eiuſdem ordinis, quando erudiens ipſum Amadeum de Sacramento altaris, monuit vt in eius difficultatibus cum Scoti doctrina conſuleret, dicens: ſentias de ipſo, ſecundum quæ ſcripſit vnus Doctor ordinis tui, qui eſt plenus ſanctitate, quia primus gladium ſuum exemit pro Conceptione immaculata Virginis Mariæ & Reginæ noſtræ, & oſtendebat Angelus Ioannem Scotum nuncupatum. In ipſa etiam Apocalypſi de eiuſdem etiam Sacramenti difficultatibus loquens idem Angelus oſtendit Scotum in diademate beatorum in capite, & aureola Doctorum, ibi etiam idem Angelus loquens de Scoto dicit, Amicus noſter, & infra de ipſomet dicit, quem Regina noſtra multum diligit, qui eam publicè defenſauit.*

En tibi ex aliorum fide & fama Scotum: ſi ex ſcriptis magis inueſtigare lubet, nihil ſanè ab eo relictum inuenies, quod Chriſtiani hominis & Doctoris nomen minuat: conſulatur Antonius Poſſeuinus & alij relati à Cauello, Ferquio, Magneſio, & partim à nobis in præmiſſis, quibus ſat ſuperque à publici criminis nota vindicatum habes.

Quod ſecundum eſt, paululum tractemus, ſi mors ſubitanea & apoplexia manifeſti vel occulti criminis notam conuincant. ita ratiocinari videntur aduerſarij, temerariè tamen, & minus piè, vt optimè demonſtrauit P. Cauellus (ex quo pauca ſubnotare ſufficit) nec enim mortis ſed anteactæ vitæ habenda eſt ratio: *Mala enim mors*, inquit Auguſt. *putanda non eſt, quam bona vita præceſſerit*, &c. *non itaque curandum eſt eis, qui neceſſariò ſunt morituri, quid accidat, vt moriantur, ſed moriendo, quo ire cogantur. Quomodo*, inquit idem, *reſpiciet Dominus mala cogitantes & dicentes, ille malè mortuus eſt? cùm iuſtus eſſet à beſtiis conſumptus, non erat ille iuſtus, ideo malè periit, nam non periret: ſi iuſtus eſſet.* rectè Holchot in Sap. 4. illud cecinit:

Mors ſubitanea non arguit crimen.

1. Ciuit. c. 11.

in pſal. 33.

Mors iuſtis ſubita, quem præceſſit bona vita
Non minuit merita ſi moriatur ita.

Quis filios & filias Iob ruina domus ſubitò oppreſſos damnabit? quis Simeonem Stellitem fulmine percuſſum, cuius animam ab Angelis efferri vidit ſanctus Abbas Iulianus? Quis ſanctum Agatonicum à leonibus diſcerptum, quem aliàs in frigore noctu fouebant. Quis ſanctum Belinum à canibus laceratum? author eſt Holchot Sap. 4. Sanctum quendam inter libros & ſtudia in ſuo muſæo obiiſſe, & dum quidam inde ſuſpicionis

calumniam conciperent, inuentus eſt digito extenſo cœlum verſum deſignaſſe. *Iuſtus quacumque morte preoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Nunquid damnandus Martinus V. Ioannes Albertus Poloniæ Rex ? Paulus II. Carolus VIII. Rex Galliæ, aliique viri pij qui quotidie ſub oculis apoplexiâ intereunt ? ergo manifeſti vel occulti criminis pœnam luunt? temeraria præſumptio & impudens coniectura. Gero Archiepiſcopus Colonienſis Sanctiſſimus à Voltrana cathedram eius ambiente extaſi correptus viuus tumulatus eſt, an manifeſti criminis pœna? quot viri in dies aquâ, terrâ, ruinis domorum, & parietum ſepeliuntur ſeu opprimuntur ? præterita vita, non violenta mors in pœnam imputatur, aut præmium. Mors omnium certa fuit ; cauſam ſibi Deus reſeruauit. quod ſi igitur Doctorem ſubtilem apoplexia, aut alia quapiam ſubitanea morte ſublatum dixerim, nihil in eo ſingulare præter commune multorum factum, quod viris & piis, & ſanctis manifeſtum eſt contigiſſe, adſtruo. Mors enim vitæ curſum abrumpit, non mutat ſtatum, ſic ergo reducendi aduerſarij, vt ſine vitio diſcurrant : vita Scoti ſancta & inculpabilis fuit, ergo & mors ; conſequentiam adſeruit Sapiens cap. 4. *Iuſtus quacumque morte praoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Nunc ad commentitium mortis genus veniamus, præmiſſis primum aduerſariorum verbis.

B Z O V. *Apoplexiâ correptus pœnas perſoluit, ita quidem, vt nimis feſtinato funere, pro mortuo tumulatus, quum redeunte vitâ ſerò morbi impetum natura diſcuteret, fruſtra ad petendam opem miſerabili mugitu edito, pulſatóque diu ſepulchri lapide, eliſo tandem capite perierit.*

Fallacia ex circunſtantiis detegitur fabuloſæ mortis Scoti.

Fabuloſum hoc mortis genus meritò reprehendunt authores, ego ex ipſis circunſtantiis vanitatis conuinco : feſtinato funere Scotum efferri non congruit ceremoniis prouinciæ Colonienſis, qui fratres ſequenti à morte die ſub Miſſam ſolemnem ſolent dare ſepulturæ, antiquus is religionis ritus, & illius prouinciæ continuo vſu retentus. Referunt monumenta Franciſcana non modò Colonienſes, ſed aliarum ciuitatum alumnos frequentes ad eum audiendum conueniſſe, occurrente etiam populo, & clero aduentantem Coloniam receptum, quid referam domeſticos fratres, & diſcipulos quorum patrem affectum & venerationem in Magiſtrum fuiſſe verius eſt. Quomodo ergo vir tam ſolemnis feſtinato funere, eoq; priuatus officio quod in ſingulos fratres exhiberi ſolitum fuit, ſine mora ad ſepulchrum rapi debuit? nunquid contemnenda etiam erant experimenta, quæ in eiuſmodi morbis adhiberi ſolent ? neglecta medicorum iudicia ? atque Franciſcani tam immemores ſui, vt immanis homicidij periculum, quod ſub oculis erat, amplectentes, in Deum, in Magiſtrum, tam enormiter peccarent ? iniurioſus fuerit, qui id ſine probatione, & fundamento aſſerat; Quod adijcitur, non meretur reſponſionem. dicitur vi morbi decuſsâ, fruſtrâ diu pulſato ſepulchro & miſerabili mugitu opem imploraſſe ac demum eliſo capite interiiſſe. imprimis nullus eſt, aut fuit vnquam vſus ſepulchrorum concameratorum in ea Eccleſia Franciſcanorum Coloniæ, fratres enim mortui effoſſa, & iniecta humo terræ commendantur; ſic autem neq; ſpirare, neque mugire,

Ritus ſepeliendi Franciſcanos Coloniæ.

nec pulſare poſſunt ſepulti. Denique ritus communis, & perpetuus ordinis eſt alligatis manibus & pedibus fratres defunctos ſepelire, in prouincia autem Colonienſi vltra hoc ſubſternitur eis aſſer ſeu tabula cui cadauer alligatur,& ſic ſtrati ſepulchro extenſum inferuntur. demus ergo hominem ſanum, robuſtum aſſeri nexis manibus ſimul & pedibus alligatum, & extra ſepulchri anguſtias in plano locatum; nec aſſurgere, nec quod deſuper eſt pulſare capite poterit, quomodo ergo in ſepulchro (demus concameratum fuiſſe) infirmus, & cum infirmitate multis horis luctatus, id præſtare, eáque vehementia potuit, vt caput eliſerit? dicitur tamen Scotus diu pulſaſſe,& miſerabili mugitu. Huius alius teſtis eſſe non potuit præter audientes. Si diu pulſauit, ergo diu fuit auditus, ſed quis tam immanis eſſe potuit, qui opem tali viro in eiuſmodi extremis poſito negaret? Quomodo nullus ante Iouium duobus à Scoto ſæculis poſteriorem, tam miſerabilem, & inſolitum caſum memoriæ commendauit? ſi hoc denique in vulgus, ſeu ad notitiam prælatorum fama diffuſum eſt, quomodo ſacrilegum, ſuíque homicidam loco ſacro non exturbarint, ſeu exturbare non ſint coacti Franciſcani, quinimo honoratiore ſepulchro in chorum tranſtulerint? Lepida hæc commenta ſuis authoribus relinquamus, quæ neque authoritate fulciuntur, aut veritate. Apoplexia ſecundo poſt Scotum ſæculo inuenta eſt, cui mox acceſſit ſimili inuentione tertio ſæculo, quod viuus tumulatus; & ſicut figmenta in augmento ſunt, additus mugitus, pulſatio diuturna lapidis ſepulchralis, eliſio capitis, perditio, & damnatio. poſteriora tempora aliud quodpiam maius Scoticæ improbitatis monſtrum parturient. Monumenta Franciſcana, authores Germani Scotum obiiſſe referunt, non viuum tumulatum, quibus appenſæ tabulæ Colonienſis conuentus, inſcriptiones, epitaphia, concordant; deſignantes annum, diem, menſem, locum, ſepulturam. Vnum tantùm adiiciam teſtimonium ex tabula ſeu Catalogo defunctorum fratrum in qua poſt trigeſimum quintum hæc de Scoto memorat; *Reuerend. P. F. Ioannes Scotus ſacræ Theologiæ profeſſor Doctor ſubtilis nominatus quondam Lector Coloniæ, qui obiit anno 1308. 6. Idus Nouembris.* Progreſſus fabulæ.

Epigrammaticus conſentit.

Tempora poſt Chriſti propria dulcedine lethum
Venit atrox raptim carcere compoſito.

Alius.

Anno milleno ter centum cumque adderet octo
Poſtremum clauſit letho agitante diem.

Quam ergo fidem mereantur externi,qui viuum tumulatū affirmant? nam ſicut loco, & tempore ſemoti,vnde id ſcire potuerunt, niſi ab aliis interioribus? vel forte Colonienſes, ſcriptoréſque Germani & Franciſcani minus norunt; quæ domi fiunt, quàm alij, ad quos id ſcire non

ſpectat ne ex fama quidem, niſi à domeſticis authoribus auditum. Audiendum proinde nequaquam cenſeo Danielem Pergulium collectorem, ſeu authorem ſermonum extraordinariorum, qui tom.4. operum Beati Bernardini ſub nomine eiuſdem circũferuntur, cuius verba placet tranſcribere. *Oportet*, inquit, *ſubleuare mentem ab iſtis ſenſualibus, ad inſenſualia, ſicut accidit Magiſtro ſubtili Scoto, qui ita fuit extractus de ſenſualibus ad inſenſualia, & ita fuit eleuatus, quod fratres, qui ignorabant hunc ſolitum eius morem credentes ipſum fore mortuum ſubterrauerunt eum viuum, & poſtea venientes eius diſcipuli, ſcientes id ſæpe accidere, & quid foret de eius modo interrogantes repererunt eum viuum ſubterratum fore, id eſt, ſuffocatum.* hæc ex dictis apparent parum fundata: mortuus eſt Scotus 6. Idus Nouembris, quo tempore nullæ ſunt à ſtudiis vacantiæ. ergo diſcipuli non abfuerunt. deinde extaſis in Scoto, ſi quæ fuit, non potuit eſſe ignota, vt qui non ſub modio, & latebris ſed ſuper candelabrum luceret frequentia diſcipulorum ſeptus, quibus ea maximè, quæ ſub arbitrio non cadunt, vt extaſis, occultari non potuerunt: Deinde ſi præſentes mortuum facta inueſtigatione iudicarent, quonam ſigno abſentes viuum fuiſſe deprehenderunt, & ſi talis fuit exitus, vt quid ſuſpenſis epithaphiis mortuum proſequuntur aſſerentes obiiſſe?

Tempora poſt Chriſti propria dulcedine lethum
Venit atrox raptim carcere compoſito.

Propria, inquit, *dulcedine lethum venit*, quæ violentiam excludunt, ſi hæc eos finxiſſe dixeris, quid ni & potius de extaſi commentum ea arte introductum referas, quod minus quadrat Germanis, Franciſcanis, & antiquioribus ſcriptoribus, quorum authoritati & locus, & tempus, & experientia ſuffragatur? ex his duos produco Piſanum Scoto ſupparem, parem verò Antonium Andream ipſius diſcipulum, ita ille in Confor. 11. part. 2. *Prouincia*, inquit, *Coloniæ habet ſeptem cuſtodias. Cuſtodia Colonienſis habet locum Coloniæ, in quo iacet Doctor ſubtilis Fr. Ioannes Scotus, qui ibidem lector diſceſſit. Lector diſceſſit*, inquit, id eſt, mortuus eſt. Antonius Andreas ita ad calcem commentatur in met. *Tam*, inquit, *ſententiando, quàm notando ſecutus ſum doctrinam illius ſubtiliſſimi, & excellentiſſimi Doctoris, cuius fama, & memoria in benedictione eſt, qui ſponte ſua ſacra, & profunda doctrina totum orbem adimpleuit, & facit reſonare, ſcilicet Magiſter Ioannes Duns qui fuit natione Scotus, religione Minor.* hoc teſtimonium excludit ſaltim omnem malæ ſuſpicionis aculeum, dum memoriam, & famam in benedictione conſignatam viguiſſe adſtruat. His accedit propter aliorum concordiam, non inane argumentum; eorum ſilentium, qui ante ea tempora Scotum acerrimè oppugnarunt, quales præter domeſticos Ochamum & Aureolum, fuêre adſertores D. Thomæ, Heruæus, qui decimo ſeptimo poſt obitum Scoti anno mortuus eſt. Item Paludanus, qui eodem tempore floruit; Ioannes Capreolus antiquior Bernardino. in his nulla eſt memoria, ſiue de apoplexia, ſiue de extaſi, ſiue quod hac, aut illa affectus, & viuus elatus ſit Scotus. hinc ergo vel excitato tum à quopiam malè affecto huius rei

rumuſculo

cumuſculo deceptus eſt vir ſanctus, vel certè collectoris errore, & fama in ſermonem præallegatum irrepſit, ſicut & alia nonnulla præfatus author de ſuo alibi adiecit, quæ minus rectè Bernardini eſſe aſſerantur. Eadem ratione Sabellicus reducendus eſt, qui hoc ex aliorum fama ſeu ex Bernardino attexuit, quod Breuglius ſub nomine Bernardini propoſuit.

Iacobus Philippus Bergomenſis coæuus Sabellico reprobauit eam fabellam, ſicut & Nurembergenſis: primus tamen omnium ille inuexit apoplexiam, qua Scotum diſceſſiſſe commemorat, eam mox exſcripſit Hartmannus Schedel, qui ſuam ex Bergomenſi aliiſque hiſtoriã conſarcinit teſte Trithem. & Geſnero. hos tertio ſæculo Eyſingrenius ſecutus eſt, & alij quidam deinceps iuniores, eam narrationem velut per manus traditam amplexati, quibus ea tantùm fides debetur, quàm author eius primus meretur. antiquiorem Bergomenſi non inuenio, nec vnde is eam hauſerit comperio, nec ipſe inſinuat, putarem ſanè magis coniecturâ ductum, quam prior fortè incuſſit, ſed eidem & Norimbergenſi ego oppono authorem domeſticum coæuum Ioannem Trithemium. ſcripſit primum Bergomenſis anno 1486. ſupplementum; anno verò 1490. Venetiis prodiit per Bernardum Rizum 15. Maij, mox addidit ſupplementum ſupplementi anno 1502. Trithemius opus de ſcriptoribus eccleſiaſticis ſcribebat anno Domini 1494. cuius hoc teſtimonium eſt de Hartmanno Schedel qui vtrique fuit contemporaneus. *Hartmannus Schedel Nurembergenſis natione Theutonicus artium, & Medicinæ Doctor, diuinarum quoque Scripturarum non ignarus. Scripſit inter alia ingenij ſui opuſcula ex Iacobo Bergomenſi, & alijs hiſtoriographis addens nonnulla maximè de rebus Germanorum opus grande, & inſigne quod continet hiſtorias temporum.*

Viuit vſque hodie apud Nurembergam ſub Maximiliano Rege anno Domini 1494.

Inter coæuos hiſtoricos cuius ſententia præfertur? nempe illius qui loco vicinior & domeſticus eſt: talis in rebus Colonienſibus, vbi Scotus deceſſit, Trithemius: ſcripſit poſt Bergomenſem & Nurembergenſem, vidit vtriuſque de Scoti morte ſententiam. contempſit: De ſcriptoribus ita refert: *Ioannes Duns, natione Scotus, ordinis fratrum Minorum Alexandri Alenſis Anglici quondam Pariſiis auditor, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & in Philoſophia Ariſtotelica doctiſſimus, & adeo profundus, vt eius ſcripta paucis ſint penetrabilia, & ob id quoque minus vſitata.* & infra recenſitis eius operibus ſubdit. *Moritur temporibus Alberti Imperatoris anno* 1308. *Id. 6. Colonia apud Minores ſepultus.* hæc Trithemius: qui ſicut in iis, quæ circa abſentem Scotum geſta ſunt, aſſerens diſcipulum fuiſſe Alenſis poſtponitur aliis, ita quæ domi geſta ſunt, quidue fama & traditio Coloniæ de morte Scoti ferebat, melius & ſecurius ab eo diſcimus quàm ab externis & abſentibus.

Idem etiam in Chronico Hirſaugienſi. *Anno*, inquit, *prænotato* (ſupple 1508.) *ſexto Idus Nouembris, obiit in Colonia Ioannes Scotus Doctor ſubtilis*

ſubtilis ordinis Minorum, ibidem in ſuo conuentu ad introitum ſacriſtiæ ſepultus, qui quanta ſcripſerit, quam ſubtilia, & profunda in Theologia recepta, & omnes Theologi nouerunt, & nos in libro noſtro de eccleſiaſticis ſcriptoribus annotauimus. Omiſiſſet ſcilicet Trithemius, ſi quidpiam rei nouitate circa Scoti mortem notandum occurriſſet, qui tam diſtinctè annum, menſem, diem, locum, ſepulturam & ſepulturæ locum adſcripſit! ad eundem modum Chronicon etiam Colonienſe, eodem æuo ſcilicet 1499. impreſſum mortem Scoti refert; & aliud eius ſepulchrum quo tranſlatus eſt in chorum. De apoplexia, aut extaſi nihil loquitur. Sequamur ergo traditionem, ſcriptoreſque Colonienſes, quibus rerum domeſticarum maior fuit cura, maior debetur fides, prout veritatis, & hiſtoriæ regulæ docent. Vnde autem, vel quibus authoribus eiuſmodi fabellæ ortæ ſunt nihil affirmare poſſum, interpretari licet, non ex ſano, aut æquo animo habuiſſe originem. id etiam aduerto potiſſimum inualuiſſe, quando immaculatæ Conceptionis quæſtio ventilabatur, ſeu vires acquirebat immunitas Virginis à peccato originali, quam Scotus defendit, & cui primas inter Scholaſticos communi conſenſu tribuit. Emanauit decretum Concilij Baſilienſis, quod præter Gallicanam amplexa eſt Eccleſia Germanica, non ſine aliquibus etiam turbis, vt concertatio Trithemij cum Vigando demonſtrat. proximè poſt hoc decretum ſuccreuit ex aduerſo fama illa de extaſi, & morte Scoti, & ſimul apoplexia: perſeuerauit altercatio ſub Sixto IV. maximè in Lombardia; vt propter collationem Ferrarienſem inter noſtros, & Bandellum teſtatur etiam extrauagans eiuſdem Pontificis, *Graue nimis.* & peruenit lis ad Concilium Lateranenſe ſub Leone X. cuius monumentum extat inter Caietani opuſcula, illud quod de hac materia inſcripſit. hinc proximè ſubſecutæ etiam ſunt, adiectæ prioribus figmentis circumſtantiæ mortis Scoticæ, pulſatio lapidis ſepulchralis, mugitus, eliſio capitis, & huiuſmodi. primus eas monumentis conſignauit Paulus Iouius, vt reliqua omittam. In Hiſpania efferbuit eadem controuerſia annis proximè elapſis, vt Romam pro remedio ſcandalorum deſtinarit ſuum legatum Rex Catholicus Philippus III. Patrem Generalem ordinis Sancti Benedicti, hic ſimul Romæ ſua fungebatur legatione, & Abrahamus Bzouius ſcribebat Annales, tam in Scotum diligens ſcriptor, quàm alter officioſus in Virginem: emanauit decretum Pauli V. contra prædicantes contrarium immaculatæ Conceptionis; emanauit & ſcriptum Bzouij in Scotum anticipata per quatuordecim annos eius morte, contra omnium hiſtoricorum fidem, ne cunctatio præiudicium inferret indignæ vindicationi, aut nocumentum peruerteret medela: nam ſi veritas, & fides hiſtoricorum ſequenda foret, tum neceſſariò differenda erat vltio in alterius tomi annum nonum, quem nondum paratum, aut elaboratum habuit; Hoc de Bzouij intentione ſcribo, non modò ex affectu, & opere, verùm etiam ex fide digna relatione eorum, qui id ſcire potuerunt. hiſce acceſſibus creuit ea fabula, ſed non plenè ad votum aduerſariorum, cùm Scoti innocentia præualuerit inuidiæ, nec defuerint ſemper viri graues, qui ex veritatis zelo patrociniũ non denegarent

integritati,

integritati, vt ſuo damno conqueritur etiamnum Bzouius. Quem ſtimulauit decretum Paulinum, vt extra fidei & hiſtoriæ ſinceritatem, & veritatem excurrens, quidquid malè à quopiam de Scoto dictum eſt, in vnam aggereret ſaburram, quibus deſtruendis labor noſter excuſari potuit, ſi ſtylus permitteret, & inſtitutum diluendi in vniuerſum calumnias in Franciſcanos; nam & alij eam primùm molem fortiſſimè ſummouerunt, quorum veſtigiis inhærentes planũ iam iter inceſſimus, non aperuimus, non ſtrauimus. Hic ergo finem concertationi imponamus: nam quæ ex Latomo & Iano Vitali adducuntur, non dignor reſponſione: Poëtæ enim fictionem & applauſum ſeu delectationem quærunt, non hiſtoriam, non veritatem; quorum ſales ſi adducere luberet non defuit Petrus Aretinus qui in Iouium vernaculè luſit, ſed ob reuerentiam lectoris eum luſum prætereo.

Addo ea, quæ dicunt, iam exploſa eſſe, & homines eſſe modernos tertij ſæculi. Excuſationem etiam Bzouij, quaſi hæc alij non ipſe luſerit, iam à principio reſpui, nunc reſpuo; hiſce igitur expeditis quantocius vocat tomus 14. improperiis Franciſcanæ Religionis publicè conſecratus. hîc nos maior labor expectat.

EXPOSTVLATVS BZOVIVS,

DEFENSA RELIGIO FRANCISCANA AB IMPOSITIS INIQVE CALVMNIIS.

TOMVS XIV.

Anno Domini 1317. num. 18.

BZOVIVS.

INTER ea Clementis ſtatuta, extat vnicum pro Regulæ Diui Franciſci declaratione, atque obſeruatione; plerique enim ex ordine eius Diui, cæteris ſe ſanctiores eſſe exiſtimantes, ad modum ingenij ſui contra reliquæ multitudinis ſenſum, verba quædam eius formulæ detorquebant, atque in errorem multis ſodalibus ſeductis ſectam Fratricellorum collegerant. Iſtis dolebat, Clementini decreti in corpus iuris redacti promulgatio; Cumque & paſſim per ciuitates, & præcipuè in curiis Regum ac Principum quererentur, quaſi Summi Pontifices, rigorem illum à Sancto Franciſco præſcriptum, imminutum eſſe vellent, multáque propterea, nimis procaci dicacitate, indigna auribus Catholicis diſpergerent, ideo neceſſe habuit Ioannes, eam quam adiungo ſententiam, in impios ſtatuere. Ita habet.

Eius reſcriptũ aduerſus Fratricellos hæreticos.

Sancta Romana, atque vniuerſalis Eccleſia, cui authore Domino, licèt immeriti, præſidemus, ſicut religioſa, & pia vota benigno fauore proſequitur, ſic ſuperſtitioſos conatus inſolentium hominum deteſtatur; videlicet, ne ſub ouinâ pelle gregem Dominicum truculentia lupi rapacis inuadat, ſub pietatis imagine virus hæreticæ prauitatis obrepat, & ſub prætextu conuerſationis angelicæ incautis mentibus ſpiritus malignus illudat: cuius rei gratia ſacris Canonibus eſt interdictum, ne aliquis nouum ordinem, aut religionem inueniat, vel habitum nouæ religionis aſſumat: ſed quicumque ad religionem venire voluerit, ingrediatur vnam de religionibus approbatis. Nonnulli tamen profanæ multitudinis viri, qui vulgariter Fratricelli, ſeu fratres de paupere vita, Bizochi, ſiue Beguini, vel aliis nominibus nuncupantur in partibus Italiæ, necnon in inſula Sicilienſi, Comitatu Prouinciæ Narbonenſis, & Tholoſan. ciuitat. & diœceſibus, & prouinciis, aliiſque diuerſis ciſmarinis, & vltramarinis partibus, contra dictos Canones habitum nouæ religionis aſſumere, congregationes, & conuenticula facere, & ſuperiores ſibi ipſis eligere,

eligere, quos Miniſtros, ſeu Cuſtodes, vel Guardianos, aut nominibus aliis appellant: plurimos ad eorum ſectam recipere, & loca de nouo conſtruere, ſeu conſtructa recipere, in quibus habitant in communi, publicè mendicare (quaſi eorum ſecta foret vna de religionibus per Sedem Apoſtolicam approbatis) temeritate damnabili præſumpſerunt, & præſumunt etiam inceſſanter. Et vt ipſorum error veritas, & impietas religio reputetur, plurimi eorum regulam, ſeu ordinem fratrum Minorum, quem Sanctus Franciſcus inſtituit, ſe profiteri, ad literam obſeruare confingunt: quamquam in obedientia Generalis, vel Prouincialium Miniſtrorum ipſius ordinis non morentur, prætendentes ſe à Sanctæ memoriæ Cœleſtino Papa V. prædeceſſore noſtro, huius ſtatus, ſeu vitæ priuilegium habuiſſe, quod tamen etſi oſtenderent, non valeret: cùm bonæ memoriæ Bonifacius Papa VIII. prædeceſſor noſter, ex certis cauſis rationabilibus, omnia ab ipſo Cœleſtino prædeceſſore noſtro conceſſa, quæ per ipſum Bonifacium non contingeret approbari, viribus penitus vacuauerit, dictúmque vitæ priuilegium non inueniatur per eundem Bonifacium approbatum.

Quidam autem eorum dictum habitum, & viuendi ritum, à quibuſdam Epiſcopis, ſeu eorum ſuperioribus, vel aliis Eccleſiarum Prælatis habuiſſe profitentur, quos nec eis concedere licuit, contra formam Concilij generalis. Nonnulli etiam ex ipſis aſſerentes ſe eſſe de tertio ordine B. Franciſci pœnitentium vocato, prædictum ſtatum, & ritum eorum ſub velamine talis nominis ſatagunt palliare, cùm tamen in regula ipſius tertij ordinis talis viuendi ritus nullatenus ſit conceſſus. Et quia in eorum barathrum faciliter ruunt, qui conceptus proprios Patrum definitionibus anteponunt: ipſorum quamplurimi, (ſicut fide digna relatione percipimus) à veritate Catholicæ fidei deuiantes Eccleſiaſtica Sacramenta deſpiciunt, ac errores alios ſtudent multipliciter ſeminare. Cùm itaque talium damnanda temeritas in eiuſdem fidei detrimentum, fidelium ſcandalum, præfati Minorum, & aliorum Ordinum opprobrium, & etiam ſuarum, & aliarum animarum perniciem redundare noſcatur, ſectam, ritum, & ſtatum huiuſmodi non obſtantibus præmiſſis eorum excuſationibus, quas friuolas reputamus, & quicquid per eos communiter, vel diuiſim, ſub religionis, Conuentus, Collegij, ſeu Congregationis nomine, vel colore attentatum extitit, vel exiſtit, de fratrum ipſorum conſilio, & authoritate Apoſtolica, nullius fuiſſe, & eſſe decernimus firmitatis, & quatenus de facto proceſſerunt, de conſilio, & authoritate præmiſſis reuocamus omnino, ac perpetuæ prohibitioni ſubijcimus, & ab Eccleſia Dei penitus abolemus, eiſdem perſonis, & aliis quibuſcumque ſub pœna excommunicationis, quam eas, (ſi ſecus fecerint) incurrere volumus ipſo facto, iniungentes expreſſe ne ſtatum, ſiue ſectam, & ritum huiuſmodi ab eis aſſumptum ſectentur vlterius, vel ipſum de nouo aſſumere quoquo modo præſumant.

Epiſcopos quoque, & eorum ſuperiores, & etiam alios Prælatos quoſcumque qui prædictis perſonis, vel aliis ritum viuendi, & habitum ſupradictos præter ſpecialem Apoſtolicæ Sedis authoritatem deinceps conceſſerint prædictæ excommunicationis pœna ipſo iure decernimus ſubiacere. Dignum eſt enim vt adulterinas plantationes, quas non Pater cœleſtis, ſed humana temeritatis audacia plantat, Apoſtolici culminis cenſura diuellat, nec patiatur

in agro Dominico peruerſæ Congregationis vepres excreſcere, cui proprium eſt, (diuina opitulante gratia) virtutes ſerere, ac vitia radicitus extirpare. Nulli ergo, &c. Dat. in Auinioni Calend. Ianuary Pontif. anno 2. hac Ioannes contra Fratricellos.

19. Eorũ horrendæ turpitudines & dogmata.

Hi, vt author eſt Prateolus, Anabaptiſtarum more qui noſtra hac ætate in incertum vagantur, promiſcuos concubitos licitos eſſe ſenſerunt. In locis nempe abditis tale ab eis perpetrabatur ſcelus, vt vocatæ, & de induſtria ab eiſdem ſeductæ ſpecioſiores quæque viduæ vel virgines cùm in ea ipſa venirent Sacerdotes & eius ſectæ Clerici, ianuis clauſis, diuinas laudes ad comparandam fidem ex Chriſtiano ritu cantabant. Quibus circa noctis medium peractis ſacrificii alta voce commonebant binos debere, maſculum videlicet & fœminam Sancto Spiritu inuocato in copulam carnalem commiſceri. Quo dicto & luminibus extinctis quilibet ſibi proximam mulierem proſternebat. Et ſi ex tali concubitu mulier concepiſſet, infans recens genitus in eam ſpeluncam deferebatur, & per manus ſingulorum tamdiu totieſque tradebatur quoad vſque exhalaret. Iſque in cuius manibus expirabat Maximus Pontifex creabatur. Docebant nihil proprium eſſe habendum; neque reſpublicas à Chriſtianis eſſe adminiſtrandas. Prateol. lib. 6. de vitis & ſectis hæreticorum.

Neſcio, quid primum admirari debeam, minorem fidem, an maiorem violentiam? damnatam propaginem corpori noſtro infert, rapiſne dicam contra inſtitutum authoribus, ſed truncata narratione falſaris vt ſubiectus demonſtrabit Prateolus, atque ipſæ producendæ mox decretales; rectè nempe & ad inſtitutum, vt ex malo fructu radicis vitium, & venenum, ex peruerſa ſobole matris ignominiam propalaret; ſuperſeminauit tritico zizania; & proficuam eradicare nequiens, noxiam ſuperinduxit radicem; ſi quid benè, ſi quid ſanctè à religione Franciſcana geſtum eſt, in hac condere teterrima caligine; Fratricellorum turpitudinibus, quo obſcurius appareant, velut quadam obiecta caligine inuoluere ſatagit; artificium, ſi fallaciam dixeris, non defuit: tres nempe ad Eccleſiæ ædificationem in Bzouiano currunt ſtadio, Papa, Cardinalis, Dominicanus, quartus à longè Franciſcanus vicinus tempore non merito, in deſtructionem magis, quàm ædificationem: religio quidem Sancta, Sanctorum gloria, & multitudine aliis nota (ſoli ex æmulatione ignota Bzouio) ferax ab eo deſcribitur erronum, & Fratricellorum; vt ſi quam inde gloriam, non minorem hinc indueret confuſionem, vt quæ Eccleſiam ſimul & fœtu nouæ prolis amplificare, eandémque per abortus & ſceleroſa monſtra noſſet exterminare; hoc artificium Bzouij, hæc inuentio, hoc fundamentum iecit operoſæ detractionis, & rixarum, quibus, toto reliquo tomo, Franciſcanos ſub infami hoc Fratricellorum titulo per omnes paginas traducit, ſerióque, vt nihil diligentius, deſcribit. Subſiſte ergo Lector, hîc paululum ſuffodiam, donec quis Fratricellorum author fuerit, eruam, mox conabor ita aduerſario ſatisfacere, vt nihil habiturus ſit quo me in tabellas ſuum referat debitorem, tribus capitibus abſoluam concertationem.

CAPVT

CAPVT I.

De varia Fratricellorum appellatione & moribus.

ANtequam de origine, progreſſu & extinctione huius ſectæ agamus, præmittenda erit ratio nominis, vt philoſophi documentum ſequamur: eius namque cognitio, omni doctrinæ ſubſtrata initium præbet, non aliter quàm inuentioni ſenſus: ſicut etiam eiuſdem variatio, aut immutatio nonnullam affert confuſionem; imò magnam erroribus & deceptioni viam aperit, & ſeminarium quoddam multarum diſſenſionum eſt, dum eadem res ſub multiplici appellationis voce nunc aſſeritur ſimul, & negatur, & quæ alia voce nota fuit, alia occultatur. *Non me præterit*, inquit quidam, *magnas turbas inter homines rerum nomina immutata concitare; veluti ſi quis humanitatem dicere improbitatem velit. Inde rectiora quæque corrumpi ac perturbari contingit. Siniſtrum quippe, & planè improbum eſt, eos qui leges ad verum acrius circumſcribere profitemur, earum nominibus pro velamentis ad impietatem & nequitiam vti, vt peccare intrepidè, & prauitatem tutius ferre queant*, &c. Quàm verè autem nomina & voces impietatis dicat velamenta, res ipſa demonſtrat: ſicut enim hæc conſueta hominum communioni ſigna prouidit Deus ad res ipſas ſignificandas, diſtinguendáſque, ad commercia rerum, ſocietatis, & animorum; ita nullum opportunius illuſionis & deceptionis præſtigium inferre potuit fallacia, ac deſiderium impunitatis: communia quidem ſunt minus proinde ſuſpecta; non naturæ inſtinctu ſignificant, ſed voluntatis communi beneplacito, cui fallax animus, doliſque aſſuetus priuatum ſubſtituere impunè nouit, præ cæteris profanæ hæ vocum technæ nullis frequentiores, quàm hæreticis, quorum ſermo vt cancer ſerpit, teſte Apoſtolo; & quorum lingua ſicut in verſatili rota, ſub inuolucro verborum mentis venenum tam blandè, quàm fraudulenter circumfert. Quid iuuat Arrianorum, hac in parte, illuſiones commemorare, qui fraudulenta vocum interpretatione, immutatione, detractione, eccleſiaſticæ diſciplinæ rigorem euitare ſtuduerunt? *Cum* (inquit Athanaſius in ſua ad Afros epiſtola, quæ eſt apud Theodoretum lib. 1. hiſt. Eccleſ. cap. 8.) *Epiſcopi, qui in vnum conuenerant haberent in animo impias voces ab Arrianis inuentas tollere, & voces ſcripturarum omnium conſenſu approbatas in earum locum reponere, nempe ex Deo natura vnigenitum eſſe, verbum, virtutem, ſapientiam, ſplendorem gloriæ & formam paternæ eſſentiæ. Euſebius* (ſcilicet Arrianus) *eiuſque fautores peruerſa ſua opinione à vero abducti, dixêre inter ſe; hiſce conſentiamus, etenim nos quoque ex Deo ſumus: vnus namque Deus ex quo omnia*; Vide euaſionem, & illuſionem. *At verò* (inquit idem) *alij Epiſcopi aſtutiâ eorum, & perditæ impietatis, ac fraudulento conatu explorato cognito*) *planius explicarunt illud*. & infeſtius; *Rurſus cum pauci qui Arriani putabantur rogarentur ab*

Ignorantia nominis confuſionem infert.

Hæretici maximè fraudem ex nomine intendunt.

Theodoret. Athan.

Fraus Arrianorum.

Epiſcopis, vtrum dicerent non creaturam eſſe : ſed virtutem, ſapientiámque ſolam patris, & æternam, atque adeo cumulatè perfectam patris imaginem, manifeſtè tenebantur Euſebium nutu ſibi inuicem ſignificaſſe, hæc etiam in nos cadere : etenim nos imago, & gloria Dei dicimur. Et inferius refert quomodo propterea fraudibus eorum detectis vocem homouſion, hoc eſt, conſubſtantialitatis ſcripſere, pro quo verbo ὅμοιον, id eſt, ſimilem

Hilarius. ſubſtituerunt (teſte Hilario lib. contra Conſtantium) Arriani : Macedonius tamen ab Acacianis, ad ſemiarrianos deficiens, pro vtroque homouſion, id eſt, ſimilis ſubſtantiæ introduxit, ſed Aetius, & Eunomius cum ſectatoribus, reiectis tribus reliquis, heterouſion, id eſt, diuerſæ ſubſtantiæ induxere, ac tandem in conuentu Ariminenſi Valentis & Vrſacij fraudibus, vtrique parti indicto ſilentio, vſiæ, hoc eſt, ſubſtantiæ mentio de integro ablata eſt, quorum delirio faſcinatus impius Con-

Theodor. ſtantius ſuo decreto ad ipſum confirmauit, vt narrat Theodoretus lib. 2. cap. 27. hanc autem totam dictionis fallaciam excogitauit impietas, vt latere, & hominum oculos effugere poſſet, propriique conſcia horroris, quam aliunde ſperare nequiret impunitatis tutelam, in lingua collocaret, & ſeipſa in dies deterior, in malis acceſſione quadam proficiens, & refragantibus operibus, ſolo verborũ ſuffragio vel abſolueretur vel ad minimum non deprehenderetur, aut conuinceretur. Nec inane profectò hoc impietatis præſidium eſt, dum lingua conſpirat, nullúſque eâ aptior cordis peruerſi aduocatus, quando blanda, & plena deceptionis, contentioniſque in litem verba componit, quæ rectè *impietatis & nequitiæ velamenta* præcitatus author appellat. Hinc Apoſtolus diſcipulum Timo-

2. Tim. 2. theum ſerius admonet; *Noli*, inquit, *contendere verbis : ad nihil enim vtile eſt, niſi ad ſubuerſionem audientium.* & infrà. *Profana autem & vaniloquia deuita; multum enim proficiunt ad impietatem; & ſermo eorum vt cancer ſerpit : ex quibus eſt Hymenæus, & Philetus, qui à veritate exciderunt.* Sed hanc hæreticorum peruerſitatem, egregiè deſcribit Sapiens Prouerb. 6. *Homo*, inquit, *apoſtata vir inutilis, graditur ore peruerſo.*

Lyranus. (loquens mendacia, inquit Lyr.) *annuit oculis* (oſtendens mulieribus impudicitiæ ſigna) *terit pede* (id eſt, vagabundus per loca inhoneſta) *digito loquitur* (id eſt, cum ſuperbia, vnde Iſaiæ 58. cap. Si deſieris digitum oſtendere, & loqui quod non prodeſt,) *prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia ſeminat*, &c. Inſignis & irrefragabilis ſententia, atque veriſſima hominis hæretici deſcriptio : verùm inter cæteros omnes, hiſce ſectariis, de quibus nobis ſermo, quaſi ad literam accommodata, quorum mores ita depingit, vt ipſos non verbo, ſed digito monſtrare videatur. Hi porrò viri inutiles, non tantùm quia moribus & vita ſcandaloſi : ſed etiam quia otio diffluentes, nihil eiuſmodi curam habentes, quæ ad vitam ſuſtentãdam ſpectant, ab omni vacabant labore, & vt ait Conradus de Monte puellarum, quem infra citabo;

Conradus de Monte puellarum. Mores Fratricellorũ. *Opera manualia ſuorum poſtponentes artificiorum cucullati gyrouagando prouincias per diuerſas incedebant*, àc proinde gyrouagi à pleriſque dicebantur; hinc inter præcipuas ſuæ hæreſis inſanias garriebant, omnia debere eſſe communia, etiam mulieres ad commixtionem, nihilque

proprium

proprium inter fideles debere eſſe, aut nominari, quo nimirum panem otioſi,& aliorum ſudore elaboratum manducarét;cùm verò non ſuppeteret furabantur, aut quaſi ſuo iure rapiebant. Viri ergo inutiles, otioſus namque nec ſibi nec aliis vtilis; *Qui enim ſtertit æſtate, filius confuſionis eſt.Gradiebantur ore peruerſo*, ad omnes fraudes, mendacia & iurgia, ſimulationem,& hypocryſim compoſito. *Annuebant oculis, terebant pede.* Porrò vt refert Prateolus ſupra citatus, & alij; omnes, ſpecioſiores quaſque viduas & virgines ſeducentes in omnem libidinis turpitudinem prolabebantur, commixtionem cum quauis aſtruentes, nullum eſſe peccatum, vſumque fœminarum eſſe debere communem. *Digito loquebantur*, quod ſuperbiam denotat. Quid his magis ſuperbum,magis ſtolidum?qui licèt omni ſpurcitiæ,& cœno inuoluti, aſſerebant ſe vitam Apoſtolorũ tenere,& omne perfectionis culmen adeo conſcendiſſe,vt in ſolis ipſis Eccleſia,& fides vera conſeruaretur,ſtatúmq; ſuum tantæ eſſe perfectionis,vt quibuſuis ad eum tranſire liceret,& omnes tranſire tenerentur,etiam coniugati contempto matrimonio; Papæ,& Prælatis extra ſe nullis ſubeſſent,& huiuſmodi alia. *Prauo corde machinabantur malum.* Si multam namque malitiam docuit otioſitas, plurimam certè adiuncta libido, & infamis turpido. De his verò prædictus author: *In libidines, inquit, ſpumant,& vt cum reuerentia loquar, ſpurciſſimas,adeò etiam, vt contra naturam exercitia peſſima committere crebris auſibus ſint reperti, ſub illorum etiam habitu quarumlibet hæreſum ſpecies, vtpote pauperum de Lugduno,& aliarum iniquitatis ſectarum partitiones per ouile Chriſti ſuos Apoſtolos ſatagunt ſeminare.* Hi ſcilicet cordis mali fructus ſunt: *Et omni tempore iurgia ſeminabant.* Nam omnes religioſos, & ſacerdotes contemnebant, & in odium populorum ſtudebant traducere, nullum autem fuiſſe verum Pontificem à tempore Sylueſtri in ſua vſque tempora, excepto Cœleſtino V. & Petro Corbario Antipapa. Hæc itaque & plura alia ſuæ improbitatis monſtra impoſturis,mendaciis, & ſermonis laqueis, ita implicabant, vt licèt à pluribus ſummis Pontificibus damnati, conquiſiti, & plurimi incendio, flammiſque deleti fuerint,fieri tamen nequierit, quin ipſa peſtis multis annis inualuerit, & diuerſæ appellationis titulo mutato, nec minus mutuato atque ementito aliarum congregationum ſtatu,(vt ex eadem decretali iam præmiſſa apertè conſtat,& infra probabimus) quem nomine tenus dumtaxat profitebantur, in multis locis perſeuerauerit. Nominibus profectò (vt vnde digreſſum eſt redeamus) pro *velamentis ad impietatem & nequitiam vti,vt peccare intrepidè, & prauitatem tutius ferre valerent.* Hanc nominum varietatem in dicta decretali indicat Ioannes Pontifex: *Nonnulli tamen qui, vulgariter,inquit,Fratricelli ſeu fratres de paupere vita Bizochi, ſiue Beguini, vel aliis nominibus nuncupantur*; Quibus verbis præter expreſſa, alia fuiſſe horum nomina ſignificat.Chronicon aulæ Regiæ de rebus Ioannis Regis Bohemiæ, eiuſque tempore in Germania geſtis (quod extat inter hiſtorias Bohemorum antiquas,produxitque narrationem ab anno 1317. vſque ad annum 1333. quæ tempora in Ioannis Pontificatu includuntur) eos vocat *Beghardos, Gyrouagos & Beginas*, damnatóſque refert à

Prateolus.

Conrad.

Variæ corum appellationes.

Chronicon Aulæ Regiæ.

Ioanne

Aluarus Palagius. Caſtro. Turrecrem. Ioanne Papa. Aluarus Pelagius Ioan. XXII. pœnitentiarius præter nomen, *Fratricellorum, de paupere vita, Beghardorum* vocat eoſdem *Apoſtolos & pſeudo-apoſtolos*, ita etiam Alphonſus à Caſtro, & Turrecremata; dictique ſunt *Fratres ordinis Apoſtolorum* & hoc primum,& antiquiſſimum eorum nomen inuenio, ſub quo inceperunt,vnde & Apo-

Honor.IV. ſtoli dicti ſub hoc nomine reprobari ſunt ab Honorio IV. in decretali, *Olim felicis recordationis*, & teſte Ghenebino ſimilem contra eoſdem

Nicol.IV. edidit Nicolaus IV. rectè quidem dicti Apoſtoli,vt qui hæreſim de paupertate Chriſtianorum excludente proprium,& nomen antiquum vſur-

Auguſt. Iſidor. D. Thom. parunt Apoſtolicorum, de quibus Iſidorus, & Auguſtinus de hæreſibus vocans eos arrogantiſſimos,& D.Thom.contra gentes cap. 127. dicens, *Ideo iſti heretici ſunt, quoniam ſe ab Eccleſia ſeparantes, nullam ſpem putant eos habere; qui vtuntur illis, quibus ipſi carent.* Vide Caſtro,Lutzemburgum & Prateolum verbo Apoſtolo.

Vocabantur etiam ab aliquibus Dulciniſtæ à Dulcino Nouarienſi,ad quem plures hæreſim ipſam, vt ad authorem referunt, cuius erat abſq;

Ioannes Villan. dubio ſectator, fuit enim fratricellus,teſte Ioanne Villano illorum temporum famoſo Hiſtorico. Nec minus vocari hac ratione poſſunt Hermaniſtæ ab Hermanno multis aliis antiquiore;qui ſectā ipſam à plurimis condidiſſe verius fertur. Aliud huius hæreſis, ſeu potius cuiuſdam eius

Blondus. ceremoniæ nomen, videlicet Barilotum nobis tradidit Blondus de Italia illuſtrata, in deſcriptione Fabriani, hoc verò mutuatum eſt à vaſculo, ex quo cineribus infantis toſti, & vino ſuperinfuſo, luſtrabant, vt ita dicam,ſeu initiabant ſubs nouitios.

Volaterran. Sed nouiſſimum, & vltimum nomen tradit idem Blondus & Volaterranus (quorum tempore, hæc ſecta penitus extincta eſt per Beatum Ioannem Capiſtranum, & B. Iacobum à Marchia in Italia) illud eſt fratres ſeu Fratricelli de Opinione, cuius additionis rationem inferius aſſignabo. Hæ ergo appellationes potiſſimæ ſunt horum ſectariorum,hæc velamenta quibus deprehenſæ ſuæ turpitudinis ignominiam occultarunt; hæc denique vocarunt nomina ſua in terris ſuis, comparati iumentis inſipientibus & ſimiles illis facti, in omnem exardeſcentes velut hirci quidam emiſſarij libidinem. Ne itaque varietate appellationis confundaris,(cum ſub diuerſo hanc hæreſim eiuſque ſectatores nomine ex authoribus leges)per recapitulationem dictorum aduerte;fratres ordinis Apoſtolorum,Apoſtoli, Apoſtolici, pſeudoapoſtoli,Fratricelli,fratres de paupere vita,Bizochi,Beguini,Begini,Boghardi,Begardi,Dulciniſtæ,fratricelli,ſeu fratres de Opinione, nomina ſunt eiuſdem hæreſis ſectatorum, & hoc ex iam dictis conſtat. Verùm ne ſuperſtitioſo, & minus æquo quis animo ſcrupulum ingerere tentet, noſtræque in re clara ſecuritati, ignorantiâ, aut affectu ſtimulante illudat, amplius hoc ipſum

Iſta diuerſa nomina id ſignificare probatur. explico: incipiens ab extrauaganti illa, quam ſupra præmiſimus ex Annaliſta, *Sancta Romana & vniuerſalis Eccleſia*, &c. In illa decretali hæc quatuor nomina Fratricelli,fratres de paupere vita,Bizochi,Beguini pro eiuſdem ſectæ profeſſoribus ſumuntur,vt conſtat ex ipſis decretalis verbis; *Nonnulli tamen*, inquit Pontifex, *profanæ multitudinis viri, qui*

vulgariter

vulgariter Fratricelli ſeu fratres de paupere vita, Biſochi ſiue Beguini, vel alius nominibus nuncupantur, &c. Vbi particulæ *ſeu* & *ſiue* nomina ſolùm diſiungunt, non autem profeſſionem ſeu ſectam, idémque colligitur ex ſequentibus quæ ſic habent, *Contra canones habitum noua religionis aſſumere*, & habitum dicit in ſingulari de vna ſecta loquens : non autem habitus, quod plures indicaret. Sed adhuc clarius : *Plurimos*, inquit, *ad eorum ſectam recipere.* Sectam dicit non ſectas, & proſequitur ; *Publicè*, inquit, *mendicare*, *quaſi eorum ſecta foret vna de religionibus per ſedem Apoſtolicam approbatis : de religionibus* ; loquitur in plurali, ſicut plures erant, de ſecta Fratricellorum in ſingulari aſſimilans eam vni religioni ex approbatis. Item inferius, *Nos*, inquit, *ſectam & ſtatum huiuſmodi, & quidquid per eos communiter vel diuiſim ſub religionis, conuentus, collegij, ſeu congregationis nomine, vel colore attentatum extuit, vel exiſtit, de fratrum noſtrorum conſilio, nullius fuiſſe, & eſſe decernimus firmitatis :* aduerte illa verba *ſectam*, *ſtatum, religionis, conuentus, collegij*, dictionem item *communiter* ad totum corpus ; diuiſim verò ad particulares perſonas & loca referri. Habemus ergo Pontificem loqui de Fratricellis, tanquam de vna ſecta, atque illa quatuor relata nomina, Fratricelli, fratres de paupere vita, Biſochi, & Beguini, eiuſdem vnius ſectæ profeſſores, apud ipſum ſignare.

Pergamus ergo, atque imprimis Beguinos ſeu Beginos & Bogardos ſeu Begardos eoſdem eſſe demonſtrant Chronica aulæ regiæ ſupra citata, quæ & Begardos & Beginas damnatos refert à Ioanne, per Begardos intelligens viros, per Beginas fœminas eiuſdem ſectæ. Item Conradus de Monte puellarum infra citandus de his loquens : *Bighardi*, inquit, *quod ad viros, & Beghinæ quoad fœminas nominantur*. Bernardus Lutzemburgus lib. 2. pro ſynonymis. *Begardi*, inquit, vel *Beguini*, Repertorium inquiſitorum habet Begardiæ, & Beginæ, dicitque damnatas per dictam decretalem. Item inquiſitorum directorium 2. par. quæſt. 15. pro ſynonymis habet Begardos, Beguinos, Fratricellos, *Hæreſes*, inquit, *& errores Begardorum, Beguinorum, Fratricellorum vel fratrum de pœnitentia de tertio Ordine ſancti Franciſci*, quantum autem ad hoc vltimum, oppoſitum conuincemus ex ipſa decretali, & aliis, ſcilicet quod hi non fuerint tertij ordinis. Idem etiam author paſſim pro Beguinis ſumit Begardos, vel Bogardos, vt quæſt. 12. eiuſdem partis. Alphonſus à Caſtro aduerſus hæreſes lib. 3. verb. Beatitudo hæreſi 5. & in calce præcedentis Begardos pro viris, Beguinas pro fœminis eiuſdem ſectæ. Idem etiam multis aliis in locis. Gabriel Prateolus lib. 2. verb. Begardi, *Begardi qui & Fratricelli*, inquit, *ſeu fratres de paupere vita, vel Biſochi*, iiſdem nominibus vtitur, quibus Pontifex, niſi quod Begardorum nomen ſubſtituat pro Beguinis : hoc quidem rectè. Sed quod dicat in inferiori Germania degere, & viros tria vota monaſtica emittere, mulieres autem ſine votis in communi ſocietate viuere, & infectas eſſe hæretica prauitate, planè aberrat. Begardi namque, de quibus loquitur Pontifex, qui & Fratricelli, nullius erant approbatæ religionis, vt ex ſupradictis patet, nec ab Eccleſia approbationem vllam meruerunt, quomodo

Chronicon aulæ regiæ.

Conradus de Monte puellarum.

Lutzemburgus.

Repertoriũ inquiſit.

Direct.

modo ergo tria vota monaſtica habere potuerūt? præterea hi, qui in illis partibus etiamnū vocantur Begardi, ſunt tertij Ordinis S. Franciſci, quorum regula approbata per Nicolaum IV. & alios longè ante Ioan. XXII. mulieres verò, quæ nunc vulgo Beguinæ, ibi dicuntur ſanctæ, & honeſtæ ſunt conuerſationis, & ab omni erroris ſuſpicione alienæ, eorúmque inſtitutum à grauiſſimis, ſanctiſſimis, & doctiſſimis illius patriæ Prælatis non tantùm approbatur, ſed etiam magno fructu proximorum regitur, ſed nec tempus etiam huius ſectæ aſſecutus eſt author dicens eam ſub Ioanne XXII. anno 1314. emerſiſſe, quia nec Ioannes tum fuit Pontifex, vt qui electus eſt biennio poſt, & in Concilio Viennenſi damnata eſt hæc ſecta ſub Clemente anno 1311. celebrato. Vt propoſitum
Bellarm. tandem proſequamur; Illuſtriſſimus Bellarminus in ſua Chronologia: *Erant*, inquit, *Begardi monachi, & Beghinæ moniales, ſed abſque votis.* Loquitur autem de hominibus eiuſdem ſectæ, eorum authorem refert fuiſſe Bogonotum quendam, in eo fortè ſenſu, quo aliqui Dulcimum ſcribunt authorem Fratricellorum, qui tamen reſtaurator fuit, vt in ſequentibus apparebit, vel fortè, quia ille primus illum errorem in Germaniam inuexit, ſed quidquid ſit, certum eſt Fratricellos, Begardos, & Beguinos ſectæ eiuſdem eſſe, tum ex decretali Ioannis, tum ex aliis iam
Turrecrem. citatis. Addo vlterius Turrecrematam, qui lib. 4. ſummæ in 2. p. c. 36. Quarto, inquit, loco condemnatur ſecta Begardorum & Beguinarum in cap. ad noſtrum. de hæreticis. Vltimò tandem idem patet ex Concilio Viennenſi lib. 5. Clementina de hæreticis cap. iam citato: *Ad noſtrum, non ſine diſplicentia*, inquit, *grandi peruenit auditum, quod ſecta quadam abominabilis, quorundam hominum malignorum, qui Beguardi, & quarundam infidelium mulierum, quæ Beguinæ vulgariter appellantur*, &c. *damnabiliter inſurrexit*; quibus verbis clarè ſignificat Beguardos, & Beguinas eiuſdem ſectæ fuiſſe, cuius octo hæreſes ſubiungit, quæ vulgariter ſub horum nomine ab authoribus recenſentur. & in fine, *Nos*, inquit, *ſacro approbante Concilio ſectam ipſam cum præmiſſis erroribus damnamus*, &c. Habes itaque Beguardos, & Beguinas eiuſdem fuiſſe ſectæ ex Concilio; ex Ioanne autem Pontifice Fratricellos & Beguinos; differentiam autem inter Beguinum, & Beguinam, Beguinos, & Bèguinas, eam & ſolam eſſe diſces, quæ eſt inter lupum, & lupam: idem namque ipſis pilus, eadem pellis, eadem rabies, & ferócitas, eadem denique profeſſio, & ritus: Quapropter ne vereare Beguinas Beguardas, Beguinos Beguardos dicere, & pro his Fratricellos ſubſtituere, nomina quippe ſunt eiuſdem ſectæ profeſſorum, vt iam clarè demonſtratum eſt, longiúſque forſan quàm neceſſum fuerat, nec hæreſes illæ quas obiicit, & damnat Clemens, illos ab his diuerſos fuiſſe conſtituunt; nam proculdubio eaſdem reipſa profitebantur Fratricelli, vnde ſi quis penitius intueatur, facili negotio hoc ipſum deprehendet, & octo illos errores reducet ad præcipuos tres fontes, ex quibus hæreſes, quæ nomine Fratricellorum paſſim notantur, emanarunt, videlicet ad prætenſam illam & arrogantem perfectionem, quam apud ſe ſolos eſſe iactabant; ad libertatem & exemptionem, qua nulli ſubeſſe volebant,

bant, omnémque Eccleſiæ authoritatem ad ſe ſolos deriuabant,& tandem ad turpitudinem libidinis, omnémque viri cum muliere commixtionem quam ſine peccato fieri, & meritoriam eſſe aſtruebant, ſed de hoc ſatis: ad alia progrediamur.

Fratres ordinis Apoſtolorum, ſiue Apoſtolos, ſiue Apoſtolicos, ſiue pſeudo-apoſtolos (quæ apud omnes ſynonyma ſunt) eoſdem omnino fuiſſe cum iis, qui dicti ſunt, fratribus de paupere vita, nemo eſt qui negat, nec ambigendi locus relinquitur, nam vt rectè frater Bernardus à Lutzemburgo; *Ideo hoc nomen ſibi ſumpſerunt, quod nihil poſſidentes, nequaquam recipiunt aliquos, qui aliquo in hoc mundo vtuntur,* &c. Turrecremata de his loquens, *Qui*, inquit, *ſe dicunt ordinis Apoſtolorum, aſſerentes ſe vitam Apoſtolorum tenere, & Euangelicam paupertatem*, &c. Hinc dicti ſunt fratres de paupere vita, qui iidem ſunt apud Ioannem in decretali, ac Fratricelli, vt viſum eſt: conſentit Prateolus verb. Apoſtoli., Caſtro ſupracitato loco. Quapropter Apoſtolicos ſeu fratres de paupere vita, & Fratricellos eoſdem omnino fuiſſe ipſa hæreſis de paupertate euangelica, de perfecta imitatione Apoſtolorum, & Chriſti, & alia, quæ iis obiiciuntur, demonſtrant, vt apud ſe ſolos Eccleſiam eſſe; omnes Pontifices poſt Syluestrum, præter Cœleſtinum V. amiſiſſe authoritatem, nec fuiſſe veros Pontifices, quia non obſeruarunt vitam & paupertatem Chriſti; nullam ſupereſſe ſpem ſalutis iis, qui aliquid poſſident; commixtionem cum muliere quauis non eſſe peccatum, &c. Eædem etiam fuere hæreſes Fratricellorum de Opinione, & idem omnino ritus cum his, qui ſimpliciter dicti ſunt ſine adiectione Fratricelli, vt patet ex Blondo & Volaterrano, Bergomenſi, nóſque inferiùs probabimus latiùs. Solum ergo reſtat probandum Dulciniſtas eoſdem etiam fuiſſe qui & Fratricelli.

Quod ſolum itaque ſupereſt oſtendo Dulciniſtas fuiſſe Fratricellos; Dulcinum porrò, à quo Dulciniſtæ, fuiſſe Apoſtolicum, ſeu de hac ſecta pſeudo-apoſtolorum, de quibus iam dictum; ſectatorémque Geraldi Segarelli tradunt citati Turrecremata lib.4. 2. part. ſummæ cap.37. Prateolus à Caſtro, verbo Directorium inquiſitorum 2. p. quæſt.12. in qua tractat de pſeudo-apoſtolis. Penna in Commentario eiuſdem quæſtionis citans Guidonem Carmelitam, qui verò fuerint pſeudo-apoſtoli vel Apoſtoli, ex præcedentibus noſti, non alios quàm fratres de paupere vita & Fratricellos. Dulcinum ergo & pſeudo-apoſtolum habes, & Fratricellum, ſed & hoc ipſum confirmat, quod Dulcinum Fratricellum fuiſſe aſſerunt Ioannes Villanus, qui claruit ſub Ioanne XXII. & velut præcipuum hiſtoricum illorum temporum, perueſtigandis monumentis intenti ſequuntur Illuſtriſſimus Bellar. in Chronologia 1276. Sanderus de viſibili mon. in annum 1303. Ioannes Nauclerus in ann. 1306. Anton. 3. par. ſummæ hiſtorialis titulo 21. cap. 1. §. 1. qui vocat eum fratrem Dulcinum, *Qui non erat religioſus alicuius regulæ approbatæ, ſed lupus ſub pelle ouina*, quæ eſt deſcriptio Fratricel-

Bernard. Lutzemb.

Turrecrem.

Turrecrem.
Prateolus.
Penna.
Guido Carmelita.

Ioan. Vill.

Bellarm.
Sanderus.
Ioan. Nau.
Anton.

 lorum

Genebrard. Platina. Binius. Franciſc. Modius.

lorum ex decretali illa Ioannis XXII. Genebrardus in annum 1297. Platina in vitam Clementis V. Seuerinus Binius in Clementis V. vita indicat, Franciſcus Modius de eccleſiaſticis ordinibus, cùm dicat Fraticellos extinctos per Clementem V. extinctio namque hæc ad Dulcinum, eiuſque ſectatores referri tantum debet, contra quos crucem prædicari mandauit idem Pontifex. Addo tamen ad robur prædictorum, hæreſes omnes, quas Dulciniſtis tam hi, quàm alij imponunt, eaſdem omnino fuiſſe profeſſos Fratricellos, videlicet turpitudinem, & communem vſum mulierum; contemptum, & impugnationem Eccleſiæ, Pontificum, religioſorum, ſacerdotum, & prælatorum; apud ſe ſolos ſeruari fidem, & vitam Chriſti; omnibus ad ſuum ſtatum ingreſſum eſſe licitum; & extra eum non ſupereſſe vlli fiduciam ſalutis. Stat itáque præmiſſa recapitulatio eiúſque veritas declarata, ſcilicet Fratricellos, fratres de paupere vita, Beguinos, Begardos, Beguinas, ſeu Begardas, Apoſtolicos, vel Apoſtolos, vel pſeudo-apoſtolos, Dulciniſtas, nomina eſſe vnius ſectæ profeſſorum, atque adeo ſynonymè dici. Hæc autem de nominibus illis diſputaſſe ſufficiat, eóque fine prænotata, quo reſcindatur confuſio, & error ex nominum varietate, atque vt diſtinctius mihi deinceps liceret propoſitum meum ſequi, decuſſa occaſione longioris digreſſus, aliàs tamen neceſſarij, dum in aliquod horum nominum inciderem, cuius reddenda foret ratio, neque in eadem fraude ſoli fuere Fratricelli, vt aſſumpto nomine ſtatum verbotenus prætenderent. Antiqua ſimulatio eſt, quæ duplices Origeniſtas inuexit coniecturâ Baronij, qua putat Gnoſticos pertæſos ſui nominis tot ſceleribus longo tempore infamati ad Origenem nominetenus, non ſenſu tranſiiſſe, errant. Eadem præſumptione noſtri huius temporis ſacramentarij religionis, & Eccleſiæ reformatæ titulum inuenerunt. Sed & notum etiam eſt eandem ſectam non modò à primo fundatore, ſed aliis ſucceſſoribus congruam appellationem ſæpe ſortitam, & ſub vna appellatione damnatam, ſub alia reuixiſſe, vt de Arriana ex dictis patet, refértque Ioannis Carionis Chronicon lib. 3. Monar. *Tandem verò, inquit, vbi multorum Conciliorum decretis nomen Arrianorum extinctum eſſet, tamen ſubinde iterum ſub aliorum nominibus eadem ſecta renouata eſt in Eccleſia.* Sic Angelicæ primùm à loco dicti Alexandriæ, in quo primos habuere conuentus, mox dicti ſunt Theodoſiani, Seueritæ, Damianiſtæ. Sub vno Manete recenſiti ſunt Apocaritæ, Audiani, Brachitæ, Dicartitæ, Taſcodrogitæ, Toſalitæ, & Tretraditæ. quanti autem ſub Luthero & Caluino?

Mutare nomen hæreticis familiare eſt.

Ioannes Carion.

CAPVT

CAPVT II.

Demonſtratur author & origo Fratricellorum.

NE ſuſpenſum lectorem teneam, quid certius in hoc iudicem, expediam, antequam longiùs progrediar ad diſcutiendas aduerſarij propudioſas calumnias. Aliqui hanc ſectam referunt ad Gerardum Sagarellum ſub nomine Pſeudoapoſtolorum, ſeu Apoſtolorum, qui de ea conuictus eſt ſub Bonifacio VIII. Ira Directorium inquiſitorum 2. part. quæſt. 12. Penna in Commentario citans Guidonem Carmelitam, Turrecremata lib. 4. 2. part. Summæ cap. 37. Caſtro verbo Apoſtoli. is ſub Bonifacio VIII. de ea ſecta conuictus pœnas dedit; ſed antiquior eſt ſecta Fratricellorum à Nicolao, & Honorio IV. Pontificibus antea damnata; reſtauraror ergo eius fuit Sagarellus. Alij eam referunt ad Dulcinum Nouarienſem, hic anno 1305. ſub Clemente V. ſeipſum erexit, quem ad ſex millia ſequuta ſunt, & prædicarà contra eos cruce reliquis diſperſis comprehenſus eſt. Hic etiam reſtaurator eius fuit poſt Sagarellum.

Author ſtatuendus eſt Hermannus, quidam Italus dictus Pongilupus. ita Prateolus lib. 6. verbo Fratricelli, & lib. 8. verb. Hermannus. Bergomas in ſupplemento ad annum 1298. Crantius in ſua Metropoli lib. 8. cap. 54. Frarer Bernardus à Lutzemburgo lib. 2. verbo Hermannus. Bellarm. 2. part. Chronologiæ ad annum 1386. Angelus de Paz tom. 1. in Symbolum lib. 9. cap. 20. Sanderus, Vis: Monarch. ad annum 1303. Gonſaluus Ileſcas in vita Bonifacij VIII. Binius in eundem. Iacobus Gualterus ſæculo 1200. hoc inſinuat Matthæus Palmerius in Chronolog. temporum ad annum 1299. Sabellicus Eneade 7. lib. 7. Platina in Bonifacium VIII. Genebrardus ad annum 1297. huius Hermanni celebris eſt ex inſolito euentu apud authores memoria, vt qui poſt vigeſimum ſepulturæ annum (quo tempore cultus ei velut Sancto à quibuſdam exhibebatur) ſententia Bonifacij VIII. exhumatus eſt, velut hæreticus, & iniectis in rogum eius cineribus combuſtus fuit; eum inſtituiſſe Fratricellos, facile inueſtigatur ex collatione eorum, quæ præfati, aliíque authores de eo referunt, cum conſtitutione Honorij VIII. quam obtulit nobis Laërtius Cherubinus in ſuo Bullario tom. 1. talis eſt. *Olim felicis recordationis Papa Gregorius X. prædeceſſor noſter in Conc. Lugdunenſi omnes religiones, & ordines Mendicantium adinuentos poſt generale Lateranenſe Concilium, qui nullam confirmationem Sedis Apoſtolicæ meruerunt, perpetuæ prohibitioni ſubiecit, & quatenus proceſſerant reuocauit, verùm ſicut ad noſtri Apoſtolatus auditum, fama querula deferente, peruenit, quidam, qui poſt generale, & ante Lugdunenſe prædictum Concilia, ſub nomine ordinis Apoſtolorum habitum nouæ religionis aſſumpſerunt, quamquam nullam aliquando confirmationem*

Author Fratricellorũ.

Damnati Fratricelli per Honorium IV.

 Sedis

Sedis Apoſtolicæ meruiſſent, prohibitionis, ac reuocationis prædictæ temerarij præſumptores, eundem habitum, ſeu ei conſimilem ſub eodem nomine, vſque hodie deferentes, quamquam plures etiam alij aſſumpto poſt dictum Lugdunenſe Concilium huiuſcemodi habitu per diuerſas mundi partes mendicando diſcurrere non verentur, facientes ea. quæ non condecent, in animarum ſuarum periculum, & graue ſcandalum plurimorum, præſertim cùm nonnulli prauitatis hæreticæ vitio laborantes ſub huiuſmodi habitu ſint inuenti. Nos igitur volentes talium præuaricatorum inſolentem audaciam refrenari, & prædictam, non tam religionem, quàm pernicioſam ſectam penitus aboleri, ne fortè fidelium ſimplices falſa ſanctitatis eorum imagine ſeducantur, vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus quoſcumque de prædictis in veſtris Ciuitatibus, & Diœceſibus inuenire contigerit, eos ad deponendum huiuſmodi habitum, monitione præmiſſa, per Cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compellatis; monentes eoſdem, vt ſi religioſam vitam ducere cupiant, ad aliquam ſe transferant de religionibus approbatis; quod ſi aliqui eorum Cenſuram prædictam contempſerint, vos contra ipſos ad pœnam carceris, ſeu aliam prout expedire videbitis, procedatis, inuocato aduerſus eos, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis.

Cæterùm, vt prædicti eo facilius à ſua inſolentia compeſcantur, quo magis à Chriſti fidelibus abijci ſe viderint, & contemni: volumus nihilominus quod huiuſmodi proceſſum noſtrum, in veſtrarum Ciuitatum & Diœceſum terminis, iteratis vicibus publicantes, ac facientes per aliquos publicari, eoſdem populos authoritate noſtra moneatis, & inducatis attentè ne aliquem; de prædictis præfatum habitum deſerentibus, recipere præſumant in hoſpitio, vel eis aliquas eleemoſynas largiantur, nec ad deferendum habitum illum, ſeu ei conſimilem impendant conſilium, auxilium, vel fauorem. Datum apud S. Sabinam 5. Idus Martij Pontificatus noſtri anno 1. ſub anno Dom. Incarn. 1285.

Alias huius tenoris literas edidit Nicolaus IV. Vt ad Hermannum regrediamur, viginti annis in ſepulchro iacuiſſe antequam exhumaretur docent Platina, Sabellicus, Bergomas, Crantzius, Lutzemburgus, Prateolus, triginta annos aſſignat noſter Marianus, 31. continuator Steromi. Ileſcas pluſquam viginti iacuiſſe tradit, exhumatum ait Prateolus, & Genebrardus anno 1297. Bergomas 1298. Palmerius inſinuat 1299. alij annum deſignant 1302. Demus ergo hunc annum eius exhumationis, qui longius à tempore celebrati Concilij Lugdunenſis recedit, exhumatum reperies viginti octo annis à celebrato Concilio quod incidit in annum 1279. ſub dictis autem viginti annis, quibus ad minimum in ſepulchro quieuit, mors eius in octauum poſt Concilium incidit annum; quod ſi aliorum, vt Mariani computum ſequamur, longè ante Concilium obiiſſe conſtabit, quod & Bzouius fortè non abnuet, ſub anno 1300. num. 10. hiſtoriam exhumationis eius collocans, & aſſerens litem eam fatigaſſe Gregorium X. (ſub quo celebratum eſt Concilium) Nicolaum III. Honorium IV. Pontifices, Archipreſbytero & Capitulo Ferrarienſi Hermannum contra Lombardiæ Inquiſitorem

rem propugnantibus. Id autem certum eſt vixiſſe ante Concilium, & potuiſſe initium dediſſe Fratricellis, quos ſub forma inſtituti religioſi & titulo Ordinis Apoſtolorum incepiſſe poſt Lateranenſe, & Lugdunenſe Concilia deſcribit Pontifex. Quin etiam eo temporis ad errores dilapſos eſſe argumentum eſt in Hermannum fundatorem inſtituta inquiſitio & animaduerſio. Quam confirmat Ioannes Andr. Flaminius in vita Sancti Thomæ inter alia aſſerens eum caſtigaſſe ea opera Ioachimi Abbatis, ex quibus Fratricelli erroris ſui obtendebant velamen; mortuus eſt autem S. Thomas anno celebrati Concilij Lugdunenſis 1274. Antiquati ſunt in eodem Concilio Fratricelli cum reliquis mendicantibus non approbatis à Sede Apoſtolica, vt videre eſt cap. Religionum. de relig. dom. in 6. nec ſecus reprobati per ſucceſſores Gregorij: Cæterùm præcepto facti contumaces, prolapſi tandem ſunt in errores, potiſſimum pauperum de Lugduno, qui eiuſmodi proteruiæ, & errorum exempla primi dedere, non ſecus ac Fratricelli prætenſæ, ſeu petitæ approbationis ſui ſtatus repulſam paſſi. Quamuis autem à pluribus Romanis Pontificibus damnati fuerint, iniuria tamen temporum, & perturbatione Italiæ per continua bella, necnon hominum inordinatam licentiam, perſeuerarunt, etiam publicos celebrantes conuentus vſque ad tempus Nicolai V. ſub quo per noſtros abolitionem ſuam vbique tandem receperunt. hoc infra differemus. Pergamus interim ad Bzouium.

CAPVT III.

Examinatur narratio aduerſarij, eiúſque præmittuntur defectus.

BZOVIVS.

INter ea Clementis ſtatuta extat vnicum pro regula D. Franciſci declaratione, atque obſeruatione. Plerique enim ex ordine eius Diui, cæteris ſe ſanctiores eſſe exiſtimantes, ad modum ingenij ſui contra reliqua multitudinis ſenſum, verba quadam eius formula detorquebant, atque in errorem ſodalibus ſeductis ſectam Fratricellorum collegerant.

Non ignoras opinor præcipua hiſtoriæ elementa, perſonam, tempus, locum, cauſámque conſtitui; id ſcire officij tui ratio exquirit; id vniuerſalium Annalium ſcriptoris præterire, aut ignorare munus non permittit, id denique narrationis poſtulat conditio. Cur ergo hæc omiſſa ſunt, ſine quibus narratio lectorem ſuſpenſum reddit, non docilem? an in nos peccare non ſufficeret niſi etiam in hiſtoriam peccares? Cur, inquam, autem non obſeruaueris, ſi tantopere placuit contra æſtima-

tionem

tionem ordinis Franciſcani fingere narrationem, quam ſub Annalium Eccleſiaſticorum titulo æternæ memoriæ commendares? Obſeruaſti, vt video, non hiſtoricam, ſed illam cautioribus quibuſdam (vulpes & ſimiles intelligo) animalibus familiarem, quæ infixa arenæ veſtigia ſuâ raſtrant caudâ, verrúntque, dum ſcrobi potiſſimum incumbunt, quo perſequentis venatoris oculos magis fallant; ita his à natura inditum; tibi verò ab arte comparatum eſſe video; locus, tempus, perſona, modus, veſtigia quædam ſunt actionis, quibus in finem tendit; horum ſingularis deſcriptio paſſus quidem ſunt narrationis, quibus rei geſtæ, & declaratæ veritatem, declarantis fidem, & ſynceritatem è veſtigiis quaſi exploramus; hæc artificioſus homo abſcondiſti maiore certè fraude, quàm induſtria; quaſi verò eluſis oculis nares etiam nobis obſtruantur? nihil ſuboleant? ſuboleo latebras, ſuboleo latentem; deprehenſus eſt in ſuo artificio hiſtoricus; manifeſtum namque eſt eam ſupradicta omiſiſſe, quæ ad ſubſtantiam; & accidentia legitimæ narrationis faciunt, quo licentius falleret, non verò, quia hæc etiam fictioni adiicere inſignis figulus neſciret, aut inſuetus dolis tyro abhorreret: ad hæc namque particularia deſcendere non fuit auſus. Si locum exprimeret, ſi perſonas ediceret, ſi reliquas adieciſſet circumſtantias, neceſſarium ei foret in ea incidere loca, in eas perſonas, de quibus tam in noſtris, quàm aliorum monumentis ſpecialis obſeruatur memoria: vnde ſtatim adinuenta detegeretur ex authorum collatione, fallacia. Nouit etiam ordinem Franciſcanum diuiſum eſſe in varias familias; familias in Prouincias, & Cuſtodias; has verò in domos, & Monaſteria diuerſa; omnes penè Conuentus archiua habere localia, Prouincias communia, in quibus ſingulorum fratrum memoria, gradus, officium, & ſtatus obſeruatur ex cura Prælatorum, quam ſuis exhibent ſubditis, & regiminis neceſſitate. Id verò maximè curant dicti Prælati, vt communis ſtatus integram notitiam, modi, regiminis, incidentis turbationis, aut mutationis memoriam ſuis relinquant ſucceſſoribus, vt quid fugiendum ſequendumve ex præteritis opportunè prouideant. Hos ergo ſcopulos, hanc ſtationem rectè declinauit, in qua friuolæ mercis ſubitum diſpendium, naufragiúmque dumtaxat expectare potuit; locum non explicuit collectionis Fratricellorum, nec perſonas, cuius officij, ſtatus, nationis, aut Prouinciæ fuerint, hæc inſtituto non fauebant, quo calumnias dumtaxat ſtruere (nihil in re putida licet interpretari benignè) inuitis Capitibus Franciſcanorum intendit. *Plerique*, inquit, qui illi *plerique*? reſponſionem quære; nihil ſufficit quod fuerint ex ordine eius diui non vnus, aut alter; ſed *plerique*, bellè profectò; en artificium, vt vel ſic lectori ſuo neceſſitatem imponens operoſæ inductionis, per ſingula infinitæ pene multitudinis capita importunum faſtidio, & labore cohibeat; hæc igitur peccantis narrationis ex re Bzouij ratio fuit, ne calumniator deprehenderetur; aliam ex affectu in Franciſcanos aſſignabo.

Circunſtãtiæ legitimæ narrationis.

Secunda ratio defectuoſæ narrationis.

Qualis in pauperculam Franciſcani familiã animus huius authoris ſit, vel me tacente facile vides; non eſt inſtituti præſentis hoc ex diuerſis

hiſtoriæ

hiſtoriæ ſuæ paſſibus demonſtrare; ex iis, quæ de ſolis Fratricellis hic, & in ſequentibus contexit, liquidò conſtat atrociſſimum eſſe nihilque magis eniti, quàm eam contemptibilem, infructuoſam, infamem reddere, adeò vt nec calamus, nec ingeniũ fingendis importunè ſtrophis occupatiſſima, opportuniſſima, implacabilis exurentis flãmæ ardori ſufficiens pabulum adminiſtrare poſſint, corpus iam totius religionis inuadit iniquus incendiarius. Vnum aut alterum corripere parum erat, non aquila muſcas, non venatur elephas mures. Vnus Ioannes Scotus, Ocham, Cæſenas, & huiuſmodi non ſufficiunt. De tota multitudine ſtatuendum erat trophæum, erigendi tituli, ne quid præter ſolos cineres ſuperſtes inuiſæ gentis remaneret. Non deerit fortè, qui Heroſtratum memorabit, qui ex Epheſini fani incendio dignam maleficio memoriam eſt mercatus, quam bonis artibus acquirere nequiuit? Si igitur in particulares perſonas, infamis ſectæ notam torqueret Bzouius; id minimè aſſequeretur, quod potiſſimum intendit; nec inſeruiret narratio voluptati, quæ totius familiæ petebat iugum; cuiuis nimirum corpori ſine deformitate ineſt næuus; Nulli congregationi deſunt aliqui diſcoli, quos ad exercitium, & profectũ reliqui corporis ſine aliqua eius macula Deus ita permittit, ne nimia pace, & ſecuritate in illicita vehementius diffluat; Hæc argutum hominem nequaquam præteriêre: ſciuit etiam (vt præſumo) à particularibus ad vniuerſalia proceſſum reprobari, nec ſingularia aſſumpta concluſionem inferre idoneam, quæ omnes Franciſcanos intra nefandæ ſectæ inuolueret Synagogam; Quapropter non Ioannes, non Petrus, non Paulus ex ordine eius Diui: Sed *plerique*, inquit, *ſectam Fratricellorum collegerant*. Vocis ſignificationem intueamur, quid eſt hoc *plerique*? *Plerique*, hoc eſt, maxima ex parte; Hæc námque dictio, *plerique*, à particula, *plus*, originem ducit, radicis ſuæ ſignificationem retinens, nam teſte Donato *plerique*. ac *plerique*, omnes idem ſignificant; *Exercitum plerumque in iiſdem locis operiri iubet*, inquit Saluſtius in Iugurtham; hoc eſt, maxima ex parte. Vbi Saluſtius.
plerumque adiectiuè & ſingulariter ſumit; *Periere Danai*, inquit Poëta, *pars plera peſſundata eſt*, Cicero. 1. Academ. *Vt contra omnium ſententias dies iam pleroſque deduceret*. Loquitur de Arceſila negante contra reliquos quidquam poſſe ſciri, qui & Academiam nouam erexit, quæ vſque ad Carneadem ab ipſo quartum perducta eſt.) Vbi *pleroſque dies*, pro pleroſque omnes dies accepit, quibus prædictus contra reliquos Philoſophos in ſua conſenuerit ſententia vſque ad mortem, *hinc aduerbium plerumque*, id eſt, fere ſemper; *quid futurum ſit ſemper aut plerumque multo ante prædicunt*. (Cicer. 1. de diuinat.) hoc eſt, fere ſem- Cicero.
per; & lib. 5. ad Atticum: *manere plerumque in aliquo loco*. Item 1. officiorum: *Feruentior plerumque eſt animus fortis, & magnus in homine, non perfecto nec ſapiente: frigoribus parto agricolæ plerumque fruuntur*. Virg. 1. Gerg. Virg.

Itaque *plerique*, inquit Bzouius, *ex ordine eius Diui ſectam Fratricellorum collegerant*; hoc eſt, maxima ex parte potior vel (vt barbarè & inuſitatè loquar) pars plus, vel iuxta Donatum plerique omnes: quid

magis ad iniuriam dici, aut excogitari de Franciſcanis potuit? potuit tamen, excogitauit, dixit, ſcripſit aduerſarius; hoc námque parum eſt. Semen adhuc reliquit, quia nec omnes comprehendit; expendamus amplius integram eius orationem. *Plerique*, inquit, *ex ordine eius Diui, contra reliqua multitudinis ſenſum verba quædam eius formulæ detorquebant, atque in errorem multis ſodalibus ſeductis ſectam Fratricellorum collegerant, in errorem multis ſodalibus ſeductis.* Qui porrò illi ſodales, niſi reliqua illa multitudo Franciſcanorum, quibuſcum ſeductores illi plerique ſeu maxima ex parte ex ordine eius Diui (Franciſci ſcilicet) circa verba quædam eius formulæ contendebant? Franciſcani enim Franciſcanis ſodales ſunt, quos idem vitæ inſtitutum, eadem regula coegit in vnum, contendebant itáque iuxta Bzouium plerique illi Franciſcani, cum reliqua Franciſcanorum multitudine, & præualentes in errorem multis ſodalibus ſeductis (ſcilicet, reliquæ multitudines, quæ ſodalium nomine datur intelligi) ſectam Fratricellorum collegerant.

Vides ergo lector non particulares aliquas perſonas hac dicendi formula eundem comprehendere voluiſſe, ſed totum penè ordinem Franciſcanorum, quem in duas diuiſit factiones, quarum altera & potior ſeducens, altera quoad multas ſeducta, vtraque à fidei veritate, Eccleſiæque vnitate exciſa ad nefandiſſimam deſiuit hæreſim, adeo *vt neceſſe habueris Ioannes eam, quam adiungo* (inquit idem) *ſententiam in impios ſtatuere.* Argumentoſa, & ſubtilis narratio, ſed neſcio cuius authoris, niſi ſolius narrantis, quæ ſi vera foret, ſequeretur ordinem Franciſcanum annum 1317. per dictam decretalem penitus quaſi fuiſſe reprobatum, quæ integram Fratricellorum ſectam reprobat, ab iiſdem, teſte Bzouio, collectam totúmque penè Franciſcanum ordinem complectentem; hæc ad finem impugnationis hîc non adduco: inſtituti dumtaxat noſtri eſt, ſenſum authoris elicere, narrationem explicare, rationémque tantorum eius defectuum, nouíque & præter regulas adinuenti artificij inueſtigare, vt videat lector, grauitatem iniuriæ nobis illatæ, iuſtæque querelæ non inanem oblatam eſſe materiam, ac tandem quam fidelem in Bzouio habeat quoad rem Franciſcanam hiſtoricum; hæc ergo altera cauſa eſt; quod particulares perſonas in ſua narratione exprimere non voluerit, ſed totam familiam ream egerit, idque tanto ingenio & fallacia, vt quos in initio orationis ex vi ſignificationis illius vocis *plerique*, ad ſui fortè exceperit excuſationem, in fine tandem addito contextu comprehenderit, quo ad multos.

Tertia cauſa eiuſdem defectus.

Tertiam adiungo cauſam; præludia nimirum illius controuerſiæ, quæ aliquot poſt annis Michaëli Ceſænati fuit cum Ioanne XXII. canere voluit. Legit in Confratre B. Antonino hiſt. 3. part. tit. 21. §. 1. Fratricellos de Opinione exortos ſub Ioanne XXII. anno Domini 1322. quorum caput conſtituit dictum Michaëlem, quæ narratio cum hac Ioannis decretali nequaquam quadrat: quinque enim annis antè præſcriptum à Beato tempus, damnauit Fratricellos, quorum tunc author eſſe non potuit Cæſænas, Ioanni vtpote, & tunc, & multis poſt annis charus,

charus,& addictus. Quid ergo Bzouius? annum anno, vni membro, & perſonæ totum religionis corpus ſubſtituit, collectionem Fratricellorum in annum 1317. quo fuit data decretalis, transfert; noménque Michaëlis quem tam citò reum agere, nec hiſtoriæ, nec veritati congruebat (alius autem non ſuppetebat) in pleroſque ex ordine eius Diui ſodalium ſeductores mutat, culicem colans, deglutiénſque camelum. Illud officij & emendationis confratri exhibuit, religioni noſtræ cultum, quam ita deinceps per ſingulos annos ſub hoc Pontifice Fratricellorum titulo depingit, vt nihil frequentius marginalia indicent, nihil crebrius lectio ſonet; hinc quæ authores diuerſi in idem referunt tempus eadem ipſe ſimul cum authoribus per diuerſos diſtribuit annos inſignis Chronologus, ne opportuna ei maledicentiæ occaſio deſit eadem ſæpeſæpius, & iteratò ſub ſingulis annis inculcat, ne lectorem etiam currentem prætereant, quàm verò iniquè & quàm iniuſtè noſtrum erit demonſtrare. Interim peccantis & defectuoſæ narrationis aſſignare rationes ſufficiat, vt eius cauſam præ oculis habeat lector, noſcátque Bzouium de induſtria aliquando, ſine ignorantia peccare; quo venia minus dignus ſit. Cæterùm ipſius narrationis verba, & veritatem conſueto ſtylo expendamus.

B z o v. *Inter ea,inquit,Clementis ſtatuta extat vnicum pro regulæ Diui Franciſci declaratione,atque obſeruatione:plerique enim ex ordine eius Diui contra reliquæ multitudinis ſenſum verba quædam eius formulæ detorquebant,atque in errorem multis ſodalibus ſeductis ſectam Fratricellorum collegerant.*

Duo mihi occurrunt in hac narratione aſſerta: alterum quod indicat inter ea Clementis ſtatuta vnum extare pro regulæ noſtræ declaratione, & obſeruatione, & hoc veriſſimum eſt. Alterum eſt aſſertum ſignificans motiuum & cauſam editi ſtatuti, eam fuiſſe, quam ibi Analiſta ſubiungit: *Plerique enim*, inquit: hæc porrò vocula, *enim* coniunctio eſt rationalis ſic dicta, quia rationem vtique ſubnectit eius clauſulæ, quæ præceſſit.

Hoc ergo argumentum, & cauſa Clementini decreti, quia plerique regulæ Franciſcanæ profeſſores, eam torquentes contra reliquam eiuſdem inſtituti multitudinem, & confratrum ſenſum ſeductis multis ſodalibus ſectam Fratricellorum collegerant; ſuum proinde ſtatutum Clemens contra Fratricellos ex ſenſu Patris Bzouij promulgauit: Sed vnde hoc colligat non inuenio. Clementinam video, quæ Bzouij ſunt non reperio. Imò & quàm vanum & indoctum figmentum ſit teſtis eſt ipſa Clementina, & quicumque eam leget.

Extat inter Clementinas lib. 5. titul. de verborum ſignificatione, & regulæ Franciſcanæ exhibet declarationem, incipiens: *Exiui de Paradiſo*; Quia verò ad manum volenti ſe præbet in vulgata iuris editione, integram tranſcribere ex friuola potiſſimum hac occaſione non libuit; præcipua capita ſub breuitate tranſcurram, ſummariúmque compendio

 proponam,

proponam, vt intelligat lector, qualem iuris intelligentiam, qualem aſſecutus eſt Bzouius interpretationem.

Summariũ Clement.

Primùm ergo comparat Pontifex regulam ipſam, & religionem B. Patris noſtri Franciſci horto voluptatis; Secundò docet prædeceſſores ſuos Romanos Pontifices dictam regulam declarationibus illuſtraſſe, emergentia circa eius obſeruantiam dubia explicauiſſe. Tertiò, hiſce non obſtantibus refert anxietates timoratæ conſcientiæ, & ſcrupulos fratrum nequaquam ſopitos, quin aliquæ ſubinde dubietates emerſerint. Quartò ſubnectit petitionem eorumdem, quatenus prædictis tam incidentibus, quàm futuris opportuna occurrere dignaretur declaratione. Quintò tandem adiungit exauditionem ipſius petitionis, quam motiuum eſſe, & cauſam decretalis ſignificat: ita enim habet: *Nos igitur* (exprimit verbis interiectis affectum, & pietatem quam erga inſtitutum ipſum eiúſque profeſſores tunc, & ab antiquo geſſit) *tam pia ſupplicantium intentione commoti, ad peragendum diligenter, quod petitur, ſtudia noſtra duximus conuertenda, ipſaque dubia per plures Archiepiſcopos, & Epiſcopos, & in Theologia magiſtros, & alios literatos prouidos, & diſcretos, examinari fecimus diligenter.*

His ſubinde duodecim annectit partim declarationes, partim ordinationes. Prima, de obligatione & obſeruantia Conciliorum Euangelicorum. Secunda, de interpretatione verborum imperatiui modi poſitorum in regula ſub affirmatione, vel negatione. Tertia, de bonis ingredientium ordinem. Quarta, de veſtibus ſeu habitu fratrum, eius menſura, & qualitate. Quinta, de ieiunio. Sexta, de receptione pecuniarum. Septima, de vera expropriatione, prouiſionem adiungens contra nouem abuſus peccantes in paupertatem. Octaua, de arcto rerum vſu. Nona, de electione miniſtri Prouincialis. Decima, de eiuſdem deſtitutione. Vndecima, de poteſtate Vicarij ordinis deficiente Generali. Duodecima, Adiicit decretum ſeu clauſulam præceptiuam, qui tum maximè in vſu fuit. *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam infringere.*

Clement. non facit mentionẽ de Fratricellis.

En modò exhibuimus completum, & integrum Clementinæ declarationis ſummarium. Sed quid illa de Fratricellis? quod ſcilicet de aucupio nauta, de agricultura miles, de liberalitate auarus, æterna hîc obliuio, nulla, ne per nebulam quidem, aut ſomnium memoria; nullum verbum, nulla mentio, nec in proœmio, nec in narratione, nec in motiuo, nec in declarationibus, nec in ordinationibus, nec tandem in decreto aut præcepto, quod ſtatutum ipſum concludit. Vnde precor haſce quiſquilias excideris? truncum vel ipſe qui ſolus noſti, monſtra; corticem nec dum attigiſti, decretalis integra eſt.

Quomodo per ſodalium ſeductionem collectio Fratricellorum de pleriſque ordinis Franciſcani facta, motiuum eſſe poteſt decretalis, cuius ne vnum quidem verbum illud ſpectat? Quàm alienum omnino eſt à ſtylo legis maximè Pontificiæ (quæ cum omni maturitate ipſo veritatis aſſiſtente Spiritu digeſta, clementiâ magis, quàm rigore & terrore allicit & inſtruit) motiuum ſuum, & cauſam non exprimere.

Nulla

Nulla etiam hîc materia fidei tractatur, nullus de hæreſi traducitur, nulla damnatur aſſertio, nulla reprobatur doctrina, nulla abrogatur ſecta; quomodo itaque precor eius motiuum dicemus collectionem huius erroneæ tam abominabilis, tam nefandæ ſectæ, quàm eam fuiſſe, & rectè deſcribit Prateolus? Non tractat materias fidei.

Accedit tertiò quòd motiuum & cauſam ſuæ conſtitutionis explicet diſertè Pontifex verbis ſupra allatis, dicitque fuiſſe poſtulationem ipſorum fratrum ſupplicantium, porrectam in conſcientiæ timoratæ quietem. Clementinæ motiuũ.

Quartò hęc declaratio, & conſtitutio facta eſt pro reformanda ordinis Franciſcani diſciplina, quoad obſeruantiam præcipuè paupertatis, iiſque potiſſimum fauet, quos hîc perſtringit author ſua narratione, vel ficta verius inuectiua, tanquam ſodalium ſeductores, & collectores tam nefandæ ſectæ. *Plerique*, inquit, *cæteris ſe ſanctiores eſſe exiſtimantes*, eos nempe percellens, quibus inerat maior zelus obſeruandæ paupertatis, ac profeſſi inſtituti. Si ergo faueat Decretalis his qui ſanctiores erant, qui obſeruantiæ regulari feruentiùs ſtudebant, & certabant magis pro rigore paupertatis, atque diſciplinæ reſtaurandæ, eoſdem nequaquam impugnat, niſi vocis notione mutata, fouere & fauere apud te impugnare ſit; & Decretalem editam pro ſecuritate timorati animi, atque in patrocinium timoratorum & zelatorum contra eos factam hetheroclyto ſenſu interpreteris. Lege ipſam decretalem, inuenies quàm impenſè paupertatem commendet, exponat, peccantes abuſus damnet, tollat, arctum rerum vſum ſuadeat, diſciplinæ præcipiat obſeruantiam. Lege, inquam, ipſa te inſtruet Decretalis, & diſce perfectè, antequam doceas, quid præſcribat; diſcipulum non te pudeat eſſe, qui veritatem Doctor non es aſſecutus. Interim contra te hiſtoricum quintam hanc rationem ſuggerit hiſtoria. Hi qui cum reliqua ordinis multitudine controuerſiam de regulæ obſeruantia ſuſtinuerunt, ſunt ſequentes; Fr. Raymundus Gaufredi ſacræ Theologiæ Doctor & ordinis quondam Generalis Miniſter, Fr. Raymundus de Giniaco Prouinciæ Arragoniæ Pater, Fr. Guilielmus de Cornelione cuſtos Arelatenſis, Fr. Vbertinus de Caſſali, & alij, de quibus mentio erit in ſequentibus. Hi viri profeſſionis ſuæ zelatores, non ad ſuum ſenſum torquentes regulam, vt vult Bzouius, ſed emergentibus in eam abuſibus obuiantes, huius Decretalis cum conſenſu aliorum ordinis prælatorum impetrarunt fieri prouiſionem. Horum nemo ſectarius fuit, nemo ſeductor, nemo apoſtata; eoſdem Clemens author Decretalis in epiſtola ad Generalem Miniſtrum datâ 18. Kal. Maij 1310. dum hæc lis adhuc in curia penderet, vocat *ſolemnes perſonas in ordine, magnæ authoritatis & zeli*, nec immeritò, ſiue virtus ſpectetur, ſiue ſcientia. Eoſdem Leo X. in bulla vnionis, *Spiritu feruentes a Deo miſſos, & confortatos* refert, ac omnes tandem in S. Matris Eccleſiæ perfecta obedientia ſemper fuerunt, in eàdem vitam finierunt. ita noſtrum Chronicon; I nunc, produc illos tuos Fratricellos, perquire monumenta, nomina effer ſectariorum, contra quos decretum ſuum formauit Clemens, te ſolo teſte, te ſolo inter mortales, & Quinta ratio ex hiſtoria.

immortales authore, hiſtoriæ dicam, an ſtrophæ? in te vehementius agunt Clemens, & Clementina, ædificaſti inſolidè, totum narrationis fundamentum effluxit: noſtram porrò Clementinam eſſe probauimus, tu aliunde teſtimonium exquire; noſtra, inquam, Clementina, tota noſtra eſt, Bzouio ne contribuit quidem. Vide prooemium, perpende narrationem, lege petitionem, eiúſque exauditionem; declarationes, ordinationes, prouiſiones, volue, reuolue totam Decretalem; illud ſolum argumenti, quod affinxiſti ſolum inuenies tuum; illud autem totum, & tantum, quantum eſt, totum & tantum eſt tuum, non venit in eo præterea quiſquam. *Amice ergo, tolle quod tuum eſt, & vade*, libera Decretalem peregrino hoc titulo. faceſſe hinc laruas. Tu inuentor, tu artifex, tu ſomniator harum, non Pontifex. Videbimus interim & nos, quid tibi proderunt ſomnia tua.

B Z O V. *Contra reliquæ multitudinis ſenſum verba quædam eius formulæ detorquebant.*

Detorquere verba eſt contra mentem proferentis, & expreſſam ſignificationem, in alienum ea transferre ſenſum: effare nunc, quæ verba detorquebant, & in quem ſenſum? generalis iſthæc traductio, potius detractio, quàm actio cenſeri debet, calumniator ſub generali formula, ſola producit opprobria, nihil probat, actor verò crimen quod vel ipſa facti euidentia, & circumſtantiis, vel teſtibus confirmat. Duodecim ſunt Franciſcanæ regulæ capita, viginti quinque præcepta, aliqua itidem conſilia, quid horum violatum, aut ſiniſtrè interpretatum eſt? ſiles? eam fortè nobis, quam ſuis olim Nabuchodonoſor ſacrificulis, & ſapientibus legem tuum narrandi ſomnium præſcribis? Anceps profectò diſceptandi ratio, quæ neceſſitatem imponit reſponſionis, antequam explicetur quæſtio. Cæterùm ne in latibulo ſuo tutior, nimiúmque ſecurus confidat aduerſarius, tanquam veritatis curſum per huiuſmodi diuerticula eluſiſſet, ad ipſam me conuerto Decretalem, ex qua rei veritas elucebit.

Si per dictos fratres in aliquo regulæ forma ad errorem detorquebatur, proculdubio emendatũ hoc fuiſſe in ipſa oporteret conſtitutione Pontificis, quandoquidem contra huiuſmodi edita ſit, teſte Bzouio. In primis ergo occurrit declaratio illius, an ad integram ſancti Euangelij obſeruantiam teneantur fratres ex præſcripto regulæ. Reſpondit Clemens negatiuè cum modificatione ibidem expreſſa, ſed neque de hoc diſceptatum ſummopere tum fuiſſe inter fratres puto, nec Chronica produnt, cùm iam declaratum extiterit à Nicolao III. & Gregorio IX. ergo in hoc verba regulæ non detorquebant. Sed demus etiam de hoc tum diſceptatum fuiſſe inter illos zelatores ex vna parte, & communitatem ex altera: quæſtio ſanè verſabatur circa verum regulæ ſenſum (ſecluſa aliorum interpretatione) an hanc ſcilicet obſeruatoribus ſuis induxerit obligationem ſeruandi euangelij: alij affirmabant; quia hoc ipſum in regulæ initio & alibi expreſſum videtur; alij negabant; dicentes

dicentes illa verba ad ſola tria vota ſubſtantialia viuendi in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate reſtringi; ſed quid horum dicti illi ſanctiores?affirmatiuam dices;ſi negatiuam etiam controuerſiæ partem adſcribas, parum refert; vtraque enim errauit, licet hæc turpius; vtpote,quæ nullum ex regula patrocinium habuerit. Si vtraque errauit, ergo neutra, *contra reliqua multitudinis ſenſum verba regulæ detorquebant*, cùm neceſſum ſit eum ſenſum,contra quem deprauatio fiat litteræ,& textus, eſſe rectum.

Vlterius, quod magis eſt, addo, ſpectata ſola littera non verò fine, & intentione cōditoris, aut ratione, quæ ex adiunctis ſuppetit, vel alio externo interprete, opinio affirmans vſque adeo eam aſſequuta eſt, ex verborum forma probabilitatem, vt ſola Pontificis declaratione, aut authoritate ſuperari, & euelli potuerit; vnde prima fuit hæc, inter reliquas quæſtiones, de cuius intellectu primo recurſum habuit Miniſter & Capitulum Generale ad ſedem Apoſtolicam Pontifice Gregorio I X. prima per eum declarata; prima declarata per Nicolaum; prima declarata per Clementem; nec eam dumtaxat inter ipſos fratres timoratæ conſcientiæ ſtimulus excitabat,ſed & maleuolorum exciebat ad improperium, & detractionem inuidentia, quæ fratres obligationis huius tanquam ex regula emergentis, accuſabat immemores, votifragos, tranſgreſſores. Si ergo dictæ opinioni ipſa regulæ fauebant verba, eius aſſertores non detorquebant verba regulæ, aliud porrò eſt detorquere legis verba contra propriam eorum ſignificationem, aliud verò mentem non aſſequi legiſlatoris, vel non reſpicere ad ea, quæ alibi ſenſum eius declarant, illud cum affectato errore violentiam habet, hoc verò ſolam ſine affectu ignorantiam.

Secunda pars declarationis determinat ea verba, quæ vim habent præcepti, nihilque ad præſens ſpectat, cum ſtylus regulæ, & declaratio Nicolai Pontificis ſufficientem dubitandi inuexerint materiam, ergo nec in hoc, *verba regulæ detorquebant*.

Tertia declarat ex regula euacuandam eſſe ſollicitudinem rerum temporalium, quas nouitij in ſæculo poſſederunt (de quo tamen nulla, tum inter fratres controuerſia extitit, licèt ab aliquibus quo ad expreſſos inibi caſus fuit ſubdubitatum) & hoc ſuſtinuerunt, etiam dicti fratres, (qui magis ad rigorem tendebant, vel inducendum ex ipſo Bzouio ſuadebant) ergo neque in hoc, *verba regulæ detorquebant*.

Quarta agit de pluralitate tunicarum reſecanda, de vilitate ſeruanda veſtium, de calceamentis ſine neceſſitate non portandis; hæc manifeſta ſunt adeo ex ipſa regula, vt controuerſiam non admittant, ſolúſque in crimen tum venit obſeruantiæ neglectus, quem dicti accuſabant coram Pontifice: ergo neque in his, *verba regulæ detorquebant*.

Quinta declarat fratres obligari ad ieiunia Eccleſiæ etiam in regula non expreſſa, & idem dicerent hi fratres, qui rigori ſtudebant, ergo neque in hoc, *verba regula detorquebant*.

Sexta declarat quæſtus pecuniarios non eſſe licitos; reprobat recurſum ad Patres ſpirituales citra caſus expreſſos in regula, & non ſeruatá

declara

declaratione Nicolai III. cippos, ſeu truncos exponi in Eccleſia pro receptione pecuniarum; de iis diſponere, computum exigere, idem docuerunt dicti fratres qui de hoc exceſſu alios traducebant, ergo neque in hoc, *verba regulæ detorquebant.*

Septima quæ ad ſtatum paupertatis ſpectat, declarat fratres Minores incapaces eſſe hæreditatis, hoc docuerunt dicti fratres, eius accuſarunt tranſgreſſionem, poſtularunt remedium; ergo neque in hoc, *verba regulæ detorquebant.*

Item docet non licere iis viuere ex redditibus, hoc præſcribit regula, declarant Pontifices, & dicti fratres cenſuerunt, abuſum accuſarunt, remedium poſtularunt, ergo neque in hoc, *verba regulæ detorquebant.*

Item non licere aſſiſtere aduocatis & procuratoribus ſuis in curiis, executores agere vltimarum voluntatum, hortos exceſſiuos, & vineas habere. idem præſcribit regula, declarat Pontifex, dicti cenſuerunt fratres, ergo neque in hoc, *verba regulæ detorquebant.*

Idem etiam de cellariis & granariis, Eccleſiis, paramentis, aliiſque oblatis præſcribit regula, declarat Pontifex, tenuerunt dicti patres, & docuerunt, qui de huiuſmodi exceſſibus præcidendis apud Pontificem egerunt, ergo neque in hoc, *verba regulæ detorquebant.*

Subſequitur tandem controuerſia de arcto rerum vſu, an ad illum ex regula teneantur fratres; quæſtio fuit tantum probabilis ante Pontificis declarationem propter aſſertorum tum authoritatem, tum etiam rationes; neque affirmatiuæ partis defenſores eandem expreſsè in regula contineri, aut præcipi aiebant, ſed ex conſequenti tantùm eam deducebant ex præcepto arctiſſimæ paupertatis, quæ omne ius proprietarium, & dominium excludit, de qua re nihil definitum eſt in ipſa regula, ergo neque in hoc, *verba eius detorquebant,* cùm nihil in contrarium expreſsè decernebat; ſexque problematis alterutram partem ſine erroris periculo ſuſtineri permittat. reliquis ſuperſedeo, quæ ordinationes ſunt Pontificis, non declarationes, nihilque ad regulæ faciunt intellectum.

Inductione percurri declarationem totam, nihil inuenio declaratum, quod aliàs deprauatum fuerit per dictos ſanctiores, vel ergo defectuoſa admodum, atque inſufficiens eſt declaratio contra illos facta, quæ verba quædam eius formulæ ab ipſis detorta, atque in corruptum, & erroneum ſenſum deprauata omiſit, vel narratio Bzouij commendat inuentionem, ingenio (cuius exiſtit partus) non rebus ipſis, aut factis accommodata: verùm Decretalis ſua ſe authoritate tuetur; Bzouius patronum quærat, narratio eius non ſubſiſtit. hoc ex ipſa conſtitutione argumentum; ſequens erit ex hiſtoria.

Controuerſia namque quæ tum orta eſt inter dictos patres ex vna parte, & communitatem ordinis ex altera, non concernebat regulæ intellectum, ſed obſeruantiam, atque contra eam factas tranſgreſſiones, introductos abuſus; idem autem ex ſenſu regulæ vtraque pars ſapiebat: ſed altera accuſabat irrepſiſſe malas conſuetudines, exceſſus, & peccata contra eius præſcriptum, viridémque, vt aiunt, obſeruantiam; altera negabat huiuſmodi inueniri.

Antoninus

Antoninus 3. par. tit. 24. §.13. *Anno*, inquit, 1310. *ſubdicto Generali pontificante Clemente V. in curia ipſius, facta eſt longa, & ſcandaloſa diſceptatio de obſeruantia regulæ, fratre Vbertino de Caſali, & Fr. Raymundo Gaufredi quondam Generali cum ſuis multis complicibus, ordinem de multis criminantibus, in quibus dicebant regulam non obſeruari.* &c. Idem Marcus Vlyſiponenſis 2. par. lib. 7. qui hiſtoriam clarius proponit c. 18. Marianus lib. 4. c. 4. Author Speculi in memoriali ordinis ad annum 1310. Author monumenti ibidem. Idem ſubindicat ipſe Pontifex in ſua declaratione cùm de exceſſibus contra paupertatem ageret. *Ad noſtrum*, inquit, *fuerunt deducta examen, quæ in ordine fieri dicebantur, & videbantur prædicto voto & puritati ordinis repugnare, videlicet, ut ea proſequamur ex ipſis, quæ remedio credimus indigere:* iis autem recenſitis, quæ dicti patres Gaufredus & Vbertinus opponebant, ſubnectit infra reſponſionem partis aduerſæ dicens: *Tamen communitas fratrum & ſpecialiter Rectores ipſius ordinis aſſerebant, quod prædicta, ſeu plura ex ipſis in ordine non fiebant, et ſi qui reperiantur rei in talibus rigidè puniantur, nec non omnia talia, ne fiant, ſunt facta pluries ab antiquo ſtatuta in ordine multum ſtricta.* Vis audire Pontificem clarius hæc ipſa differentem? ecce illum, non morabor.

CLEMENS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, Dilecto filio Generali Miniſtro cæteriſque fratribus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

DVdum ad Apoſtolatus noſtri præſentiam frequenter, & ſecretè, & tandem in Conſiſtoriis tam ſecretis, quàm publicis noſtris, & fratrum noſtrorum auribus extitit frequentius intimatum, quod nonnulla erant corrigenda in ordine veſtro, quæ omnino maturâ, & celerrimâ correctione ſedis Apoſtolicæ indigebant, cùm per Prælatos ipſius ordinis remanerent penitus incorrepta; licèt ſolēniter, & frequenter fuerint ſuper hoc requiſiti. Cùm autem nobis exiſtentibus in conſiſtorio publico, nominarentur per fide dignos quædam ſolemnes perſonæ eiuſdem ordinis, ac magnæ, & ſolemnis authoritatis, & zeli, per quæ plenè poteramus, vt dicebant, ſuper his informari, vt talis ac tanti moles negotij ſuper conſcientia noſtra penderet, deliberauimus deſcendere ad inquirendum de propoſitis, fratrem Gondiſaluum Miniſtrum ipſius ordinis Generalem, & quoſdam alios eiuſdem ordinis nobis notos quos in eiuſdem ordinis regulari obſeruantia; zelo Dei feruere credimus, per litteras ſecretas ad noſtram præſentiam fecimus euocari. Videlicet dilectos filios fratrem Raymundum Gaufredi: Et poſtea ſubiungit nomina aliorum, iiſque tribuit exemptionem à iuriſdictione Prælatorum, quamdiu in hac informationis cauſa degerent in Curia. Hanc exemptionem refert Antoninus, & alij ſupra citati. Marianus autem ipſas literas inſerit ad verbum: ecce ergo clarum eſt non ſuper intellectu regulæ, ſed obſeruatione eius, & reformatione lapſæ diſciplinæ controuerſiam extitiſſe. Non ergo verba quædam eius formulæ detorquebant, ſed vt dicit Pontifex, *regulari obſeruantia & zelo Dei feruentes*, ſeipſos pro eius cuſtodia, & contra irrepentem cupiditatem velut pro domo Dei murum oppoſuerunt; quæ matura ſedis Apoſtolicæ cor-

Antou.

reptione indigebant, ad hoc vocari expoſuerunt, & antiquam, verámque inſtituti diſciplinam redintegrare ſtuduerunt. Hæc ne apud te ſunt verba torquere regulæ? ita ſcilicet legem deſtruunt, qui, vt finem optatum ſortiatur, efficiunt? qui obſeruant,& obſeruari curant?

B z o v. *In errorem multis ſodalibus ſeductis ſectam Fratricellorum collegerant.*

Narratio tribus fulcitur teſtibus, Clemente, & Ioanne Pontificibus, ac Prateolo. Clementem expediui, ad Ioannem & Prateolum propero; ne nihil autem agere videar tranſcurrendo adiungo prædictis quartum, tercentum & amplius annos poſteriorem,ipſum nempe Bzouium.Concedo Bzouio, & quem hactenus actorem habuimus, in præſentiarum fiat teſtis (modò permittant iura 4. quæſt. 4. cap. nullus vnquam) vt meritum cauſæ teſtimonij ſuppleatur fidelitate. Quid ergo ille de collectoribus Fratricellorum, qui, & quando fuerint?

Varius in relatione Bzouius.

Anno Chriſti 1285. *Honorij IV. Pontificis, Rodulphi Regis Romanorum* 12. *num.*13. *Duo*, inquit,*inſignes Apoſtatæ Gerardus Sagarellus Parmenſis, & Dulcinus Nouarienſis per id temporis, non tantum Parmam, verùm & multas alias Italiæ in Inſubria Ciuitates, falſis dogmatibus infecerant. Quod enim Apoſtolorum vitam, & mores ſe dicerent imitari; breui quàm plurimis ſeductis, ſectam fecerant, quam orthodoxi pſeudo-apoſtolorum appellabant.* Hæc Bzouius ſubnectens hæreſes dictorum, qui erant,vt ex ſupradictis patet, Fratricelli,& ſectæ ipſius pro diuerſis temporibus reſtauratores.

Anno 1300. num. 10. 11. ſub Bonifacio VIII. fundatoris Fratricellorum Hermanni,refert exhumationem & combuſtionem, nec hæreſim eius fuiſſe omnino extinctam. Huius negotium fatigaſſe refert Gregorium X. & Nicolaum III. & Honorium IV. ſubindicans ſub Gregorio mortuum. Item num. 12. adiicit de Gulielma quadam Mediolanenſi, & Andrea Semarita eiuſdem ſectæ, qui vndecim annis eam profeſſæ ſint.num.item 13. narrat Gerardum Sagarellum eodem anno hæreſis conuictum, & flammis deuotum.

Anno 1303. num. 11. refert verbis Sabellici, hæreſim Fratricellorum obortam, & collectam, (cuius deſcribit ibi turpitudines) ſub Bonifacio VIII. refértque aliquot eius ſectæ cultos pro ſanctis, exhumatos, & combuſtos, quod de Hermanno, & Gulielma intelligi ſolùm poteſt.

Anno 1311. num. 10. refert Clementinam, *Ad noſtrum.* edictam contra Beguardos, & Beguinas, qui etiam in ſententia Bzouij iidem ſunt, qui Fratricelli.

Anno 1317. loco ſupra citato referr eos collectos fuiſſe per fratres Minores, contra quos Clemens ſuam declarationem, Ioannes extrauagantem ex Bzouij ſententia promulgarunt.

Anno 1372. reſponſione ad primam obiectionem pro Raymundo Lullo; *Hermannus Italus*,inquit, *qui dicitur author fuiſſe hæreſis Fratricellorum.* Hæc teſtimonia Bzouij.

Sed

Sed heu mihi quàm varij ſunt Bzouij, vel ſi idem quàm varius, & quàm varia eius teſtimonia? Sagarellum modò refert viguiſſe ſub Honorio IV.& infeciſſe Parmam multáſque Ciuitates Inſubriæ,anno 1285. modò ſub Bonifacio VIII. conuictum prius hæreſis, & combuſtum anno 1300. Item Dulcinum prius emerſiſſe ſub Clemente V.an.1307. quem tamen ſupra collegam attribuit Sagarello ſub Honorio: verùm, quod felicius in hoc genere exiſtimem,eam contradictionem,quam nec cognouit, nec ſcripſit authographus, Directorium ſcilicet inquiſitorum, ſua induſtria atque inuentione ſuppleuit Bzouius: ita nempe cothurnum variant,qui ex obuio quoque ſine delectu fabulam contexunt. Litem de cadauere Hermanni fatigaſſe refert Gregorium X. & ſucceſſores; deciſam tandem ſub Bonifacio anno 1300. perſeuerante deinceps eius hæreſi, eumdem Fratricellorum authorem fuiſſe aſſerit loco ſupra expreſſo: ſed & hanc Fratricellorum hæreſim obortam adſtruit tempore Bonifacij, anno 1303. non minus tribus annis poſt exhumationem, & incinerationem Hermanni authoris, & ad minimum à morte viginti nouem, ſi præſcriptam à Bzouio temporis rationem obſeruemus. Imò & eandem collectam ſeu fundatam refert à fratribus Minoribus ob id ipſum damnatis à Clemente & Ioanne Pontificibus, licèt ille nihil de Fratricellis in ſcripta à Bzouio Clementina. Contradictiones Bzouij.

Hactenus Bzouij contulimus teſtimonia. Sed quid iuris? admittenda? Iura abnuunt, teſtémque ſubmouent contradicentem ſibi 4. qu.3. cap. Si teſtes. Item ſi in parte inueniatur falſus, in nullo admittitur, diſt.9. cap. Canones, cum gloſſa. Nec vnius contra omnes teſtimonium, 33.quæſt.2. cap. Admonere. Item neque vacillans, aut contraria proferens, cap. licet, de prob. Reiicitur ipſo iure teſtimonium Bzouij.

Interim candide lector tu veritatem ex dictis poſſide, Hermannum authorem fuiſſe Fratricellorum, non autem Franciſcanos, ſi aliquis adhuc ſuperſit ſcrupulus, donec Ioannes, & Prateolus aduocentur,modicum ſuſtine; ordini parco, vt ſuis paſſibus ſenſim, non deſultatoriè aduerſarium aſſequar. Sufficiat modò falſationem oſtendiſſe, ipſúmque ſibi non conſtare accuſatorem, qui eandem vbique de collectione Fratricellorum vertiginem eſt paſſus.

Non ſecus ac liquidis Phrygius Meander in vndis
Ludit, & ambiguo lapſu refluitque, fluitque. Ouid.lib.9. Metam.

Cæterùm quia Bzouius perperam Franciſcanos iſtius ſectæ Fratricellorum agit collectores, ne nihil omnino egiſſe videantur, diſſipatores fuiſſe, & deſtructores mihi probandum incumbit, quo Secundi Sophiſtæ iudicio debitas pœnas, ad minimum ſecundet iuſtum etiam præmium; ita ille de eodem & mouente, & ſedante turbas decreuit, motæ primum ſeditionis pœnas, mox ſedatæ præmium excipiat;ne tamen faſtidio ſim, pauca tamen in hoc genere ſubiungam, cætera omittens, ne digredi magis in noſtram laudem quàm ad ſcopum differere videar; Atque in primis inanem operam hac in re poſuit Beatus Paulus de Trincis Fulginas (aliàs dictus à contractiore ſtatura Paulucius) laicus ordinis noſtri,qui initium dedit familiæ de Obſeruantia:huius porrò Fratricellorum ſecta per Franciſcanos deſtructa. Secundi Sophiſtæ ſententia.

tempore tanta colluuies Fratricellorum confluxit Peruſium (ita Marianus lib. 5. cap. 4. & Fr. Bernardus de Beſſà in ſuo Chronico) vt non tantùm Eccleſias, ſed etiam palatia ciuium extra muros, & in campis ædificata repleuerint. *Dicebant*, inquit Marianus, *ſe veros eſſe fratres Minores, & obſeruatores regulæ B. Franciſci* (id vtique confingebant, teſte Pontifice in extrauaganti, quo eorum error, veritas, & impietas religio reputaretur) *cùm eſſent inimici, & rebelles contra præceptum præfatæ regulæ, multum infeſtabant vniuerſitatem ordinis ipſam dilacerando, & corrodendo ſuis murmurationibus inter populares & ab ipſo ordine attrahendo populos, quantum poterant, ad ſuos errores.* Hæc tum perſecutio maximè inualuit contra fratres Minores dictæ ciuitatis Peruſinæ, atque adeo, vt prodire, aut in publico videri non auderent, donec tandem euocatus in ſubſidium Fr. Paulus vitâ, & conuerſatione tum omnium opinione clarus, eoſdem hæreticos, & non fratres Minores fuiſſe probauit ex ipſa regula, hoc autem contigit in publico conſeſſu vniuerſitatis, ciuium, & magiſtratus Peruſinorum. Fraude itaque atque impoſtura detecta, expulſi ciuitate hæretici, atque omni eius contermino. mirabile dictu; quantum contra eoſdem exarſit zelo fidei innocens ætas: tribus namque diebus continuis, atque noctibus pueri eos extra ciuitatem in palatiis degentes, indefeſſa impugnarunt obſidione, vt dum pars ad ciuitatem procurandi victus ſibi, & reliquis cauſâ pergeret, altera impugnationi inſiſteret, nec ea diu, noctúve intermiſſa fuerit, donec expugnatis foribus hoſtes fidei eliminati, atque confinio eiecti. Hæc diſputatio fratris Pauli, & hæreticorum expulſio, contigit anno Domini 1374. ſub Leonardo Generali, de eadem agunt præter citatos Fr. Iacobus Oddus, Petrus Rodulphius libr. 2. hiſtor. Seraphic. religion. in vita ſancti Paulini, Marcus Vlyſiponenſis in 3. part. Chronicorum lib. 1. capite 11.

[Marginal notes: Marianus Bern. Beſſa. — Expulſi Peruſia à S. Paulino.]

Item anno 1354. *Dominus Egidius Cardinalis Legatus in Italia,* (rem Mariani verbis lib. 4. cap. 13. narro) *& Fr. Gulielmus Generalis multiplicantes Inquiſitores de ordine contra Fratricellos de Opinione multos fugarunt, & punierunt ſecundùm Canonicas ſanctiones.* Intelligit Gulielmum Farinerium Miniſtrum Generalem ordinis Franciſcani, & Egidium Archiepiſcopum Toletanum Legatum Apoſtolicum, qui bona Eccleſiæ occupata à Tyrannis recuperauit ſub Vrbano V. Concordat Antoninus.

[Marginal notes: Marianus. — Antonin.]

Anno item 1427. Beatus Thomas de Florentia familiæ obſeruantiæ, dictos Fratricellos expulit dominio Senenſium, & authoritate Martini V. fauore item & patrocinio adiutus dictæ Reipublicæ & Illuſtriſſimi Iacobi Domini Plumbini; ipſorum autem loco ſubſtituit fratres de Obſeruantia. De hoc Marianus libr. 5. cap. 11. & 22. Toſſignianen. lib. 1. in vita huius ſancti, quem Thomam Linarium vocat.

[Marginal notes: Expulſi dominio Senenſium. — B. Thomas de Florētia.]

Anno item 1425. & ſequenti Beatus Iacobus à Marchia, ſiue de monte Brandone à Martino V. conſtitutus Apoſtolicus Commiſſarius,

&

& Inquiſitor contra eoſdem, cum plenaria poteſtate anno 33. ſuæ ætatis, *multa condidit contra eoſdem*, inquit Marianus, *vt funditus extirparet*; acceſſit & authoritas conceſſa à Legato Apoſtolico Euſtorgio Cardinale. Hæc ex authenticis tam Pontificis quàm Cardinalis conſtant, de quibus in proceſſu canonizationis ipſius Sancti. Eadem tradit Marianus lib. 5. cap. 11. *Talibus*, inquit, *authoritatibus fretus viriliter perſecutus eſt eos, multóſque igne cremari fecit, & alios multos de Italia expulit, etiam armatâ manu.*

Anno item 1429. contra eoſdem inſtitutus eſt ab eodem Pontifice Inquiſitor generalis Beatus Ioannes Capiſtranenſis. Ita Marianus, cap. 12.

Anno tandem 1449. eiuſdem Beati Ioannis induſtriâ ſub Nicolao V. finem accepit hæc ſecta in Italia ita vt ſaltim publicè amplius frequentari non licuerit. (Lege Blondum in deſcriptione Fabriani, Volaterranum Anthropolo. 22.) Acceſſit Prouinciæ eiuſdem particeps Beatus Iacobus à Marchia, teſte Mariano cap. 23. & Marco Vlyſſiponen. 3. p. lib. 3. cap. 32. qui eoſdem ex vniuerſa Marchia expulit, eorúmque pſeudo-Papam cremari fecit, cuius incendij putor, vt ait Marianus, tantus fuit, vt per tres dies Fabriani, & per vnum circa milliare ad ſtuporem omnium fœteret; Tanta autem fuit horum tum Fabriani, eiúſque Comitatu potentia, vt neceſſaria fuerit ad eorum plenam deſtructionem Apoſtolicæ Curiæ præſentia, vt idem narrat: tum etiam confirmationi eorum, qui errori renunciarunt, recepta eſt Abbatia Sancti Ioannis de Maſſiaco in habitationem fratrum de Obſeruantia, idque authoritate Pontificis Nicolai. Nullos ergo ſeueriores habuit Fratricellorum ſecta iudices, quàm Franciſcanos, donec per eos tandem fuerit exciſa, atque in hanc curam præter commune fidei ſtudium, & religionis diuerſitatem, plurimæ ipſos, eæque potiſſimæ vocabant cauſæ, quæ ad ſolos præ reliquis ſpectabant Franciſcanos; vt quod hoſce ſectarios, Franciſcanæ paupertatis alios Phariſæos, quædámque velut ſimulachra inuexerit dæmon. Quod in ſpecie non paupertatis modò, ſed integri etiam ſtatus profeſſionem, & obſeruantiam, habitum, & nomen arrogabant, miráque intuentibus fallaciâ pluribus in locis obijciebant. Quod vniuerſum ordinem defluxiſſe à fundatoris ſequela, quam in ſe ſolis eſſe iactitabant. Quod nihil magis ſtudebant, quàm eundem in populorum inuidiam, & odium traducere. Quod honoris & famæ aliquod diſpendium, occaſione ſectariorum ſubierit, dum eiuſmodi aliquando monſtra in ſuis deprehenſa erroribus & flagitiis ipſo habitu, & appellatione Franciſci inſtitutum præ ſe ferrent, nec vulgus fraudem, fucúmve deprehenderet. Quod denique ipſius ordinis æmuli nonnullam in hiſce offenſionem ſtatuere regulæ, & profeſſioni Franciſcanæ (quemadmodum ſub Ioanne XXII. contigit) molirentur, velut qui in Samaritanis Iudæos legis obſeruatores accuſarent; in hæreticis orthodoxos; in fictis, & perſonatis, fideles, & veros Franciſcanos; in mendacio veritatem; ſinceritatem in ſimulatione; in errore Euangelium. Expreſſi iam rationes, quæ ſpeciatim Franciſcanos

Penitus deſtructi Fratricelli ſub Nicolao V.

exciebant ad infamis Synagogæ vltionem, & excidium; ſed vrgentiſſimus omnium ſtimulus legis zelus, & animarum; honor, & obedientia Sedis Apoſtolicæ in id operis veros agebant Iſraëlitas, ad quod diuinâ gratiâ cœlitus dati, vocati, deſtinati reliquias Amalech deſtruxerunt; Non ergo collegerant fratres Minores ſectam Fratricellorum, ſed diſperſerant. Illud Hermanni opus & inuentio fuit; hæc Minorum laus & meritum, ſed ne videamur durius agere, quandoquidem ita placet, hoc etiam concedamus aduerſario, nimirum fratres Minores etiam collegiſſe ſectam Fratricellorum; collegerat ergo Hermannus ſectam Fratricellorum, collegerant & fratres Minores; ille opera inimici hominis, vt zizania ſuperſeminans, in triticum inferret: hi vt efferrent, & ſegregarent in pabulum ignis, & manipulos ad comburendum; ille vt hœdos ouibus commiſceret, hi vt extra caulas agerent, & ad ſiniſtrum deſtinatos locarent, igni, & tenebris; ille, vt paruis piſcibus ſagenam Petri diſtenderet, vel rumperet, quo magni piſces, & idonei, qui in Regis menſa apponantur, euadant, hi vt paruos, & inutiles, ſelectis grandioribus, in mare proiicerent, ille vt abominationes inferret ſanctuario; hi vt purgarent; & ſpeluncas latronum ac turpitudinis in domum orationis, & ſanctificationis Domino conuerterent, atque conſecrarent; aliam à Franciſcanis factam collectionem non inuenio, non agnoſco extra ſuos annales: ſed & hoc mirum eſt, cùm eadem nobis ſint verba, diſcordet ſenſus; atque intellectus. Vulgaris mihi eſt Grammatica, non impono, nihil fingo, authorum ſequor placitum, qui negant collectionem Fratricellorum aliter conſtrui poſſe cum fratribus Minoribus in congrua & vera oratione.

B z o v. *Iſtis dolebat Clementini decreti in corpus iuris redacti promulgatio.*

Fucus aduerſarij.

Crocodili iſtæ ſunt lachrymæ, dignum narrationis tuæ fuco expetitæ pigmentum. *Iſtis dolebat*; ſcilicet velut mulieri parturienti, cùm peperit puerum. Sicut agricolæ poſſidenti fructus laboris, cùm in horrea colligit meſſem; & tanquam mercatori, qui mercibus onuſtam nauem in ſecurum, & optatum ſubduxit portum; tales iſtorum dolores fuiſſe neceſſum eſt. Vt quid enim aliter dolerent promulgatam eſſe Clementinam, cuius cauſa tot ſubierunt labores? tanta pericula? duobus annis contra communitatem ordinis diſceptarunt, exemptionem à Clemente obtinuerunt contra infeſtantium inſultus, vſque dum reformationis cauſam proſequuti optatum viderunt exitum; nónne hoc deſiderarunt, hoc petierunt, hoc obtinuerunt, hæc eorum cogitatio, hoc ſtudium, hæc cura, hæc opera, hic denique finis? quid ergo iſtis doleret obtinuiſſe, quod diu deſiderarunt? quid abſurdius, quàm vt ea res, quæ abſens deſiderium, præſens triſtitiam cauſet? & cuius abſentia fuit pœna, præſentia fiat dolor? apage; hanc viciſſitudinem nequaquam cognoſcit ratio, Philoſophia non capit, quæ affectuum animi cauſas, & originem rimatur. Iſtorum votis edita eſt Clementina; eorum potiſſimum

mum precibus ſe motum exprimit Pontifex. Quid ni ergo ſecurè viderint, ſecurè legerint Clementinam, quæ ordinis ſui reformationem, quam tantopere concupierunt, præſcripſit? Eſto; ſed promulgationem diſplicuiſſe refers. Vnde noſti? eo nempe fine edita eſt, vt lucem non videret; ſolem, hominéſque fugiens in tenebris deliteſceret, quorſum conduntur leges? eduntur ſtatuta? an vt homines eą neſciant? nullum ſortiantur effectum? nullam obligationem? nullum communis ſtatus fulcimentum, nullum præſtent ſubſidium? ſine promulgatione nullam vim habent leges; vel enim hæc rationem ingreditur, vel conditio eſt legis, & quidem neceſſaria. *Lex* (inquit D. Thomas 1. 2. quæſt. 90. artic. 4.) *eſt ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* Et Iuſtinianus C. de legib. in leg. leges. *Leges ſacratiſſimæ intelligi ab omnibus debent, vt vniuerſi, præſcripto earum manifeſtius intellecto, prohibita declinent & faciant præcepta.* Intelligi autem nequit lex niſi propoſita, quæ propoſitio ſine promulgatione non fit, conſule cap. 1. de poſtulatione Prælatorum. & cap. 2. de conſtit. Authenticam vt nouæ conſtitutiones. collat. 5. vnde Gratian. cap. dictis. diſtinct. 4. *Leges*, inquit, *tunc inſtituuntur cùm promulgantur.* D. Thom.

Edidit profectò ſtatutum ſuum Clemens non alio fine quàm vt obligaret. Edidit ergo vt promulgaret, illud idem expetierunt dicti Franciſcani, quo tolleret contra regulæ ſuæ præſcriptum inductos abuſus, vt obſtaculum ſtatueret inducendis, optarunt proinde Clementini decreti promulgationem (ſine qua ad hoc inutilis eſſet) optarunt; ergo non diſplicuit: ſi non diſplicuit, ergo placuit. Iſtis ergo *non doluit Clementini decreti in corpus iuris redacti promulgatio.*

Miraris fortè candide lector, toties lapſum fuiſſe aduerſarium, deſine amplius mirari, pone ſtuporem, qui in limen impingit, non mirum ſi longius progreſſus ceſpitârit. Si verum aſſumpſiſſet non ſequeretur niſi verum, prout Logica docet, dilexit tamen iniquitatem magis primùm, quàm loqui æquitatem; confinxit in cubili ſuo verba præcipitationis, fallax argumentum Pontificiæ decretalis, videlicet contra pleroſque ordinis Franciſcani editam, qui verba regulæ detorquebant, qui in errorem multis ſodalibus ſeductis ſectam Fratricellorum collegerant; non mireris ergo iſtis doluiſſe Clementini decreti in corpus iuris redacti promulgationem, ſi dicta contra eos facta fuerit, omnia ritè conſequuntur, & ex falſo falſum rectè concluditur; nam & mendacia ſuum retinent filum, mendacémque oportet eſſe memorem; fucus non artem, cuius eſt, ſed naturam ſimulat parentem, quantumuis hæc peregrinam non pariat impreſſionem: ſtatua Cæſarem præ ſe fert, non lutum; vmbra hominem fingit, & ſequitur; nec ſecus falſitas alienam induit faciem, aliud os, aliam formam, aliam frontem, ne quidquam ab ipſa veritate degenerare videretur. Sed inſtabile hoc ſimulachrum diu ſubſiſtere nequit, non ſolidi quicquam, ſed diaphanum preſſius intuentibus apparet, abeunt vmbræ, natiuúſque rebus color manet, laruæ euaneſcunt, deprehenditur illuſio, mendacium cedit, manet in plateis veritas. Profectus mendacij.

veritas. Mendax enim diutius non latet, hoc ſolo arte ſua diues, quod fide deinceps careat; ſi quæras enim in quo proficiant mendaces, reſpondebit Ariſtoteles, *vt vera loquentibus fides non adhibeatur.*

Bzov. *Cúmque & paſſim per ciuitates, & præcipuè in curiis Regum ac Principum quererentur, quaſi Summi Pontifices rigorem illum à Sancto Franciſco præſcriptum imminutum eſſe velint.*

Antea deſcripſit dolores horum fratrum obortos ex promulgatione decreti Clementini, nunc querelas; rectè, & gradatim; nam primò ſuccedit dolor, mox erumpit in querelas, hæ autem querelæ non domi, & priuatim fiebant, aut alibi; ſed paſſim vbilibet, per ciuitates in curiis Regum, ac Principum. Nimium ergo queruli fratres Minores; nullos tamen fuiſſe dolores euicimus in præmiſſis, nullam cauſam doloris, ergo vanæ ſunt huiuſmodi querelæ, vanæ profectò & vaniſſimæ, Bzouianæ inuentionis commentum, & næniæ. Si Clementina nullos Franciſcanos impugnat; ſi rigorem obſeruantiæ præſcribit; ſi exceſſus tollit; ſi defectus emendat; ſi ea, quæ laxata ſunt, ſiue per abuſum, ſiue per ſurreptionem, ſiue re ipſa obtenti priuilegij, reſtringit; ſi reformationem ſuadeat, inducat, & mandet; ſi ipſorum interuentu edita; quæ potuit eſſe materia, aut vnde rumor tantarum vbilibet querelarum, quaſi Summi Pontifices rigorem à Franciſco inductum vel... eſſe imminutum, quem conſeruatum voluerit ſua declaratione Clemens.

Futilis accuſatio. Sed atrox fortè & capitale illud accuſationis, quod in præfatos excogitauit; quaſi ſcilicet per impoſturam de Summis Pontificibus quererentur eos minuiſſe rigorem à Beato Franciſco præſcriptum. Demus id ipſum, ſeu verius permittamus hoc fuiſſe conqueſtos de aliquibus; mendaces fuerunt? Eſtne tibi nouum, aut peregrinum, vt Summi Pontifices vel requiſiti, vel iuſtis de cauſis ex proprio motu inducti, rigorem alicuius ſtatus temperent, atque ea concedant priuilegia, quæ regulari præſcripto interdum derogent? Audi quæſo querelam Abrahami Bzouij, hac in re, de Benedicto XII. Is porrò tom. 14. ad annum 1337. num. 10. cùm antea Benedictum adeò laudaſſet in ea reformatione, quam ordinibus Beatorum Benedicti, Bernardi, & Franciſci adhibuiſſet, *Conſtitutionibus*, inquit, *valde accommodis eorum inſtituto.* Mox non aliùs tanquam inuerſorem Ordinis Dominicani, omnia extrema ei comminantem, ſubiicit: *Vt qui leges, inſtituta & conſuetudines mutare, & rigorem eius religionis nonnihil temperare, vel potius inuertere conabatur.* Quæ autem conuerſio hæc fuerit, quid facti portendebatur, accuratè ad hyperbolem vſque proſequitur author Annalium: dicens voluiſſe poſſeſſionem immobilium inducere atque redditus. Verùm ſi hæc inuerſio dici debet, tentauit eam Benedictus (imò, vt quidam ferunt) ante eum determinauit Gregorius X. perfecit autem, vt reliquos taceam, Concilium Tridentinum, ſeſſ. 25. cap. 5. vbi conceditur hoc omnibus religioſis domibus exceptis Obſeruantibus, & Capuccinis

Trid. ſeſſ. 25. c. 3.

Franciſcanis.

Franciſcanis. Verùm ſicut doctius, ita & longè modeſtius Sanctus Antoninus titul. 23. cap. 4. §. 13. in fine idem argumentum tractat, referens S. P. Dominicum ſub interminatione ſuæ maledictionis indixiſſe genus illud paupertatis, quod huiuſmodi poſſeſſiones excludit (ſtatuto perpetuo idem ſeuerè cauiſſe refert Fr. Theodorus de Appoldia in vita Sancti apud Surium cap. 13.) præſcriptámque inſuper ex ordinatione Capituli generaliſſimi ab Eccleſia approbata; quæ tamen citra neceſſitatem docet intelligenda, congruámque rationem obtentæ, ſeu obtinendæ multis in locis diſpenſationis aſſignat. Longè magis ante Benedictum temperaſſe mihi videtur rigorem huius ſacri inſtituti Clemens IV. quam ille, etiamſi quæ tentauit ad exitum deduceret. Hic enim anno primo ſui Pontificatus (qui fuit Domini 1265. & ante Pontificatum Benedicti ſexageſimus ſextus) conceſſit precibus Magiſtri Generalis, & fratrum inclinatus, vt quilibet in hæreditatem, quæ in ſæculo degentibus obtingeret, ſuccedere licitè valerent, poſſeſſionem eius apprehendere, bona ipſa liberè vendere, & pretium in ſuam vtilitatem conuertere, quæ non communis dumtaxat ſtatus ſed particularis cuiuſlibet paupertatis voto derogant, religio enim quanto in communi poſſeſſionem habere propriam permittit, tanto priuatam in eo, qui paupertatis votum emiſit, excludit. Licèt verò hæc bona monaſterio, & communitati, non particulari perſonæ acquirebantur; ius tamen, & proprietas in illa primò, & per ſe perſonam ipſam & hæredem reſpicit, in quam non vſus modò, ſed dominium tranſit; non autem monaſterium; exemplum ergo in ipſa tua habes religione, quomodo aliquando rigorem eius imminuerint Pontifices. Si in reliquis quæras ſimilia, paſſim in omnibus inuenies; in noſtra quidem manifeſtiora quàm vt probatione egeant. Patres conuentuales noſtri, regulam obſeruant, cum huiuſmodi priuilegiis, quæ aliquot eius præſcriptis derogant: hæc enim apud ipſos forma profeſſionis. *Ego Fr. N. voueo & promitto Deo omnipotenti & Beatæ Mariæ ſemper Virgini, B. Franciſco, ſeruare regulam fratrum Minorum, per Dominum Papam Honorium confirmatam, & à pluribus Pontificibus declaratam, præſertim ſecundùm determinationem Martini IV. & V. & Clementis II. Eugenij IV. Sixti quoque IV.* Hi porrò omnes relaxarunt ea præcepta, quæ paupertatem concernebant, receptionem pecuniarum, & alia quædam ad auſteritatem ſpectantia, quoad dictos Patres. Sed & Clemens IV. eam poteſtatem ſucceſſionis in hæreditates fecit vniuerſim fratribus Minoribus, ſicut & Prædicatoribus, vt ex ordinis monumentis conſtat. Gregorius X. poteſtatem fecit fratribus res conceſſas vendendi, & commutandi in alias; Hæc tamen indulta ſicut & reliqua, quæ regulæ tenori obſtant, reuocauit Clemens V. in declaratione, exponens non modò dictam ſucceſſionem eſſe contra regulæ puritatem, ſed & redditus habere; aut aliquod proprietarium ius in rem quamuis prætendere; aut eos actus exercere, quæ ad ſolum dominum, & proprietarium ſpectant. Ne longiùs itaque progrediamur, ex dictis habes vnde artificium tuæ accuſationis culpes, & liqueat Pontifices aliquando minuiſſe rigorem præſcriptum;

Antonin.

Theodorus de Appoldia.

Indultum Clementis IV.

Clementem verò reſtituiſſe, omnémque querelæ materiam ſubtraxiſſe.

Occurritur dubio. Verùm ne ex fictione iſtâ cauillationi mox inſiſtatur, & ex ea, quæ inter fratres Prouinciæ Narbonenſis, diſcordia fuit, vmbra aliqua quæratur, veritatem amplius declaro: fuiſſe querelam inter ipſos fratres in dicta Prouincia non nego; ſed hæc non de Summis Pontificibus, nec de Clemente, aut Clementina, eiúſve promulgatione, vt fingitur; ſed ante electionem Ioannis ad Pontificatum, & mortuo tam Clemente, quàm Generali Miniſtro, ſubórta eſt diſſenſio propter contemptum Clementinæ, quæ non obſeruabatur ab indiſciplinatis, & qui latiorem viam ſequebantur, conniuente, ſeu potius conſentiente ad hoc ipſum Prælatorum ibidem negligentiâ, qui & ipſi rigorem abhorrebant. Hinc illi, qui zelum habebant regulæ, & Clementinæ declarationis vexati, & anguſtiati ex quotidiano fratrum, inter quos tum viuebant, inſultu, & ſuperiorum perſecutione exiſtimantium tempus idoneum obtentæ decretalis repoſcendi quaſi iniurias, adueniſſe: Sedes enim Romana vacabat per biennium, à morte Clementis nulla fuit Curia, aut facies curiæ diſſidio Patrũ, qui ex conclaui elapſi, vt refert Ciaconius, *Diſcordiis in dies auctis, ſtato die minimè redierunt, ſed in Ciuitatibus Narbonenſis Prouinciæ ſeparati, locóque & propoſito diuiſi, biennium permanſère.* Defecit etiam ordinis Prælatus Generalis mortuo Alexandro ab Alexandria, per ſeptemdecim menſes; Nihil ergo afflictis remedij, nullus qui ſuccurreret, vel ad quem recurrerent quod perſecutorum etiam ſpiritus, & inſolentiam adauxit; dum excuſſo omni timore, ſuo dumtaxat affectui; tempus vacaſſe exiſtimarent. Hinc iniquioris conditionis, æquioris tamen animi, obſeruantiæ, & diſciplinæ cultores, ſeceſſionem rebus iam deſperatis neceſſariam meditantes, ſe à reliquis ſepararunt, quibus populi non defuit pietas, aut patrocinium; eius nimirum ope Conuentum Narbonenſem, & Biterrenſem, aliis expulſis, occuparunt, & ſeipſos tam habitu, quàm vitâ regulæ compoſuerunt; ita ſe res habuit.

Ciaconius.

Memoriale ordinis apud authorem Firmamenti agens de decimo ſeptimo Generali, qui fuit Alexander ab Alexandria iam defunctus; *Eodem*, inquit, *tempore Sede Romana paſtore, & ordine Generali vacante, aliqui de cuſtodia Narbonæ perfecti regulæ zelatores, videntes, tantam eius deſtructionem, & quod declaratio Clementis V. non ſeruabatur, iterum ab ordinis vnitate receſſerunt. Loca etiam Narbonæ, & Biterris per vim armorum (eiectis inde fratribus Ordinis, qui eum confundebant habentes granaria, & cellaria, redditus, equos, & multa alia ordini indecentia) occuparunt, plures etiam alij fratres anno Domini* 1315. *&* 1316. *de eadem, & aliis Prouinciis ad eos aduolarunt, ex quo multa ſcandala contra relaxatos Prælatos communitatis ordinis ſunt ſequuta, quia ſeruare regulam nolebant, nec alios ſeruare permittere volebant.* Scio culpari dictos reformatos ob impatientiam, & inobedientiam ab aliquibus velut in alieno periculo iam ſecutis. Sed illi fortè ſuum ex regula patrocinium ſtatuerunt, ex recurſu, quem permittit cum regulam non poſſint ſpiritualiter obſeruare

obſeruare; Item quatenus ab obedientia miniſtrorum eximit ea, quæ ſunt contra animam, & regulam: nec enim tum ad miniſtros recurſus iuuabat, vt qui partem ſuſtinuerint, & regulæ etiam deſtructores fuerint, alios ſibi contra regulam eiúſque præſcripta viuentibus confirmare violenter etiam tentantes, nec aliud proinde tum remedium ſupereſſe in eo rerum ſtatu propter fugam, & ſeparationem defuncto Generali, ſede vacante, & curiâ diſpersâ; ſed quidquid erat, mea non refert, perſecutionem tamen contra eoſdem grauiſſimam fuiſſe non eſt dubium, nec mirum cùm eandem ante hos paſſus ſit ipſe Generalis Gondiſaluus dum executioni mandaret Clementinam, quæ nunquam ſtabilem habuit effectum, donec Deus ſuſcitauit nouam familiam, quæ de Obſeruantia dicitur; quantas autem hæc ipſa difficultates paſſa eſt legenti tertiam partem Chronicorum apparebit.

Quod verò inſtituti noſtri eſt, ex dictis conſtat hanc reformatorum querelam, & controuerſiam (quæ tum ſola fuit) non aduerſus Clementinam, aut Pontifices excitatam fuiſſe: ſed pro eius obſeruatione, & contra violatores; verùm quia his verbis, & aliis ſubſequentibus, quæ ſuſpenſum præmiſſæ iam clauſulæ ſenſum terminant, argumentum extrauagantis ſubiectæ excogitauit, eadem repetens cum reliquis ſubiungo.

BZOV. *Cúmque & paſſim per Ciuitates, & præcipuè in curiis Regum, ac Principum quererentur, quaſi Summi Pontifices rigorem illum à Sancto Franciſco præſcriptum, imminutum eſſe velint, multa propterea nimis procaci dicacitate, indigna auribus Catholicis diſpergerent; ideo neceſſe habuit Ioannes eam, quam adiungam ſententiam, in impios ſtatuere: Sancta Romana atque vniuerſalis Eccleſia,* &c.

Qualis fueris interpres Clementinæ, iam vtcumque expreſſi, nec æquior in Ioannem, cœcum hoc inſomnium argumenti inſtar excogitaſti, tanquam verum extrauagantis eſſet; eidémque adaptare non puduit, nihil penſi habens, *Quàm malè inæquales veniunt ad aratra iuuenci.* Ouid. in epiſt. heroidum. Inæqualia ne dicam tibi ſub iugo veniunt, ſed quæ nec ſimul quidem, in eodem agro paſcere, aut eodem viuere mundo poſſunt; aſſeris tu, negat Pontifex; aſſerit Pontifex, tu negas; & velit, nolit ille, tu verus eius interpres, nequaquam ex Pontificio, ſed pectoris tui ſcrinio promptus interlocutor; id tamen benè habet, quod argumentum commune ſit, quod deficientibus aliis rubricis, æquè in quamcumque totius iuris ſiue Cæſarei, ſiue Pontificij conſtitutionem quadret; quin & penè licèt arrogantius dixerim, illud Homericæ Iliadi eodem præfigerem artificio, ſic nempe aranea propriis viſceribus attracto ſtamine telam orditur, vt inde emitti videatur, vnde demiſſa pendet.

Ad verba ergo pergamus decretalis, ex qua clarum erit, ſi neceſſe habuit Ioannes eam in Franciſcanos ſtatuere; nam vt monet l. non aliter. ff. de leg. *Non aliter à ſignificatione verborum recedi* (loquitur de teſtatore) *quàm cum manifeſtum eſt, aliud ipſum ſenſiſſe.* A fortiori idem

ſeruandum erit in verbis legiſlatoris, adeò vt nec in ipſis dubiis recedendum ſit à verbis edicti, l. 1. §. Si is qui nauem. ff. de exercitoria action. rectéque id ſtatutum, aliàs enim nihil ſtabile conformandis rationibus humanis remaneret, dum quiſque legis formulam ad ſuum pro libito ingenium torqueret.

Conſtitutionem ergo quantum ad præſens inſtitutum in tres potiſſimum partes diuido, motiuum ſcilicet, narrationem facti, & præceptum ſeu prohibitionem.

CAPVT IV.

Oſtenditur ex Conſtitutione eam nihil pertinere ad Franciſcanos, aut vllos approbatæ religionis profeſſores.

Primum argumentum.

PRimum argumentum ſumens ex decreti motiuo cum adiunctâ clauſulâ, quod his verbis & ſequentibus exprimitur: *Videlicet, ne ſub ouina pelle gregem Dominicum truculentia lupi rapacis inuadat.* Adiicit in eundem finem præſcriptos olim fuiſſe alios Canones: *Cuius rei gratia*, inquit, *ſacris Canonibus eſt interdictum, ne aliquis nouum ordinem, aut religionem inueniat, vel habitum nouæ religionis aſſumat; ſed quicumque ad religionem venire voluerit, ingrediatur vnam de religionibus approbatis.* Finis ergo, ſeu motiuum extrauagantis, dictorúmque Canonum idem eſt, & circa eandem tranſgreſſionem verſatur; Canones autem, quos Pontifex intendit, ſunt cap. *ne nimia religionum*, quòd eſt Concilij Lateranenſis ſub Innoc. III. tit. de relig. dom. & cap. *religionum*, quòd eſt Concilij Lugdunenſ. ſub Gregor. X. in 6. titul. eod. Hi autem Canones præſcripti ſunt contra inuentores nouæ religionis, aut nouæ religionis habitum aſſumentes, quod inhibent, & ſimul, quod conſectaneum eſt, præcipientes, vt qui ad religionem venire voluerit, ingrediatur vnam de approbatis. Horum tranſgreſſionem improperat Pontifex Fratricellis, quos præſenti Conſtitutione damnat; ergo non tantum inueniſſe eos conſtat nouam religionem, nouæque religionis habitum, ſed etiam in hoc tranſgreſſores fuiſſe, quod venientes ad religionem, nullam de approbatis fuerint ingreſſi emiſſa profeſſione, alioquin ſanè tranſgreſſionem voti, & apoſtaſiá ab approbata religione imputaret Pontifex (quæ non minus eſt contra Canones) ſicut inuentionem nouæ religionis, nouæque religionis habitus. Nulli ergo fuerunt approbatæ regulæ profeſſores; quomodo igitur Franciſcani? quomodo *plerique ex ordine eius Diui*, ſcilicet, Franciſci?

Secundum argumentum.

Ex narratione deſumere licet plures rationes, quæ ad idem manifeſtè ſpectant: *Nonnulli tamen*, inquit Pontifex, *profanæ multitudinis viri, qui vulgariter Fratricelli, ſeu fratres de paupere vita, &c. nuncupantur,*

pantur, contra dictos Canones habitum nouæ religionis aſſumere, temeritate damnabili præſumpſerunt. Atque hinc ratio deſumitur: fuerunt Fratricelli, quos damnat Pontifex, viri profanæ multitudinis, qui habitum nouæ religionis temeritate damnabili aſſumpſerunt: ſumitur autem profanum hîc, vt opponitur rei ſacræ & religioſæ, iuxta leg. 83. §. Sacram ff. de verb. obligat. prout ſcilicet opponitur religioni ſtricto modo ſumptæ, quæ eſt ſtatus à Sede Apoſtolica, ſub obſeruantia trium votorum ſubſtantialium approbatus, vt conſtat ex cap. quod votum. in 6. de voto. Præter vſum autem Canonum ſermoniſque proprietatem, & ſtylum, eſt, regulæ approbatæ profeſſores dicere viros profanæ multitudinis, qui, ſi ab obedientia reſilierint, apoſtatæ, quorum nomen in ſacrilegio eſt, lib. 4. C. de Apoſtatis, dici conſueuerunt, ſeu votifragi. Sin minus communi vocabulo regulares, vel particularis inſtituti appellatione Franciſcani vel eiuſmodi. Intelligit igitur Pontifex ſæcularis, & communis vulgi viros, quales teſtatur etiam illius temporis ſcriptor Conradus de Monte puellarum fuiſſe Fratricellos, aſſerens eos; *Viros ruſticanos, & pleróſque mechanicos, & opera manualia ſuorum poſtponentes artificiorum, cucullatos gyrouagando prouincias per diuerſas incedentes.*

Tertiò improperat Pontifex Fratricellis, quòd conuenticula facerent, ſuperiores eligerent, plurimos ad eorum ſectam reciperent, loca conſtruerent, in quibus in communi habitarent, publicè mendicarent (qui actus religioni aut ſtatui approbato conuenire poſſunt) *Quaſi,* inquit, *eorum ſecta vna foret de religionibus per Sedem Apoſtolicam approbatis.* Innuens non eſſe, particula enim *quaſi* non exprimit hîc veritatem, ſed ironiam. Coniungendo ergo priora cum ſequentibus agit Pontifex contra viros profanæ multitudinis qui habitum nouæ religionis contra Canones aſſumpſerunt, & quorum ſecta nullatenus fuit à Sede Apoſtolica approbata. eſt ne hoc Franciſcanum eſſe, aut aliquando fuiſſe? 3. argum.

Quartò euaſiones Fratricellorum, quibus approbationem ſuam prætendebant, eludit Pontifex. Prima eſt, *Quòd plurimi eorum regulam ſeu Ordinem fratrum Minorum quam ſanctus Franciſcus inſtituit ſe profiteri, ad literam conſeruare confingunt. Confingunt, id eſt, ſimul fingunt,* inquir gloſſa, *ſub cuiuſdam vmbra palliatione, cùm veritas in eis regulæ non ſubſiſtit. argum. extra de conſuet. cap. 4. vel expone confingunt, id eſt, ſimulant exterius, cuius contrarium latet intrinſecus.* Concordat Pontifex, *vt ipſorum error* (inquit Pontifex,) *veritas, & impietas religio reputaretur.* Iudicet aduerſarius, ſi veritas error, & fictio, ſi impietas religio ſit, aut eſſe poſſit. Certè ex mente Pontificis non eſt, ſicut, nec Fratricelli Franciſcani; alioquin, ſi ita fuit, vt dicebant, vtique non confingebant ſtatum, nec errorem pro veritate, aut impietatem pro religione; quod eos feciſſe non modò aſſerit, ſed hac ratione probat Pontifex, *Quamquam,* inquit, *in obedientia Generalis Miniſtri vel Prouincialium miniſtrorum ipſius ordinis non morentur.* Efficax ſanè argumentum: regula porrò Franciſcana prædictam obedientiam inducit cap. 1. 8. & 10. vnde gloſſa: 4. argum. Gloſſa.

 Hoc

Gloſſa. *Hoc eſt*, inquit, *contra veram regulam ordinis Minorum, vt probatur in capitulo* quorundam. *Vnde tales ſub nullius veri Prælati obedientia exiſtentes tanquam acephali pro religioſis habendi non ſunt. argum, 93. diſt. cap. nulla ratione.* Nec ſecus definit Aluarus Pelagius, (non modò coæuus

Aluarus Pelagius. author, ſed etiam Ioannis Pontificis pœnitentiarius) lib. 1. de planctu. cap. 51. quod ad impugnationem huius ſectæ ſcripſit: cùm enim eos excluſiſſet, vt videbimus, ab omnis religionis ſeu regulæ approbatæ, nominatim Baſilij, Auguſtini, Benedicti, & Franciſci profeſſione, ſubdit: *Etſi aliqui de prædictis gyrouagis aliquam regulam de prænominatis ſeruare ſe dicunt, quia tamen extra congregationes promittentes prædictas regulas ſub Prælatis legitimis tales acephali viuunt, nunquam in veritate viuere poſſunt.*

Sed & Fratricelli amplius dictæ rationi occurrebant exemptionem ab obedientia ordinis & Prælatorum; *Prætendentes*, inquit Pontifex, *ſe à ſancta memoriæ Cœleſtino Papa V. prædeceſſore noſtro huius ſtatus, ſeu vitæ priuilegium habuiſſe: quod tamen etſi oſtenderent, non valeret* &c.

Gloſſa. *Prætendentes ſed falsò*, inquit gloſſa, quod indicant vltima verba Pontificis, *etſi oſtenderent*, ſupponens nimirum non oſtendiſſe, aut oſtendere potuiſſe; quia eiuſmodi priuilegium nequaquam obtinuerunt; aliàs iniquè obiectum ſupra fuit, quod habitum nouæ religionis contra Canones ſumpſerint, cùm hi id nequaquam prohibeant, ſi fiat cum licentiâ, & approbatione Pontificis. Nec rectè etiam improperatum, quod actus approbatæ religionis ſupra ſpecificatos exercuerint, vel quod ſecta eorum non fuerit vna de approbatis religionibus per Sedem Apoſtolicam, ſi iam approbatio à Cœleſtino conceſſa exhiberi potuit; vel fuerit exhibita aut in vniuerſum obtenta. Dato proinde, vt dicitur, & non conceſſo priuilegio, omni firmitate vacuum oſtendit Pontifex, quia Bonifacius VIII. reuocauit certis rationibus omnia indulta Cœleſtini, quorum ab ipſo non contigerit approbatio; *dictùmque vitæ priuilegium non inueniatur per eundem approbatum.*

Secunda euaſio ſimiliter à Pontifice refutatur: *quidam autem*, inquit, *eorum dictum habitum*, (ſcilicet nouæ religionis) *à quibuſdam Epiſcopis, ſeu eorum ſuperioribus, vel aliis Eccleſiarum Prælatis habuiſſe profitentur, quos nec eis concedere licuit contra formam Concilij generalis.* locis citatis.

Tertiam ſimiliter refutat: *Nonnulli etiam*, inquit, *ex ipſis aſſerentes ſe eſſe de tertio Ordine ſancti Franciſci, pœnitentum vocato, prædictum ſtatum, & ritum eorum ſub velamento talis nominis ſatagunt palliare, cùm tamen in regula ipſius tertij Ordinis talis viuendi ritus nullatenus ſit conceſſus.*

Ecce tres Fratricellorum euaſiones, quibus approbationem ſui ſtatus aſtruebant, quas præmiſſis rationibus Pontifex reiiciens, inferius

Gloſſa. etiam friuolas reputat. *Et meritò*, inquit gloſſa, *cùm aliquis ex ipſis nullum facti adminiculum habere, nec ex eis iuris fulcimentum venire noſcatur.* Illud etiam fraudem manifeſtat, quod teſtimonia eorum non fuerint conuenientia. Videat igitur aduerſarius noſter, quid potiſſimum ſibi

ſibi credendum erit in hac re; Fratricellos Franciſcanos eſſe dixit, conſentiunt ipſorum nonnulli: negat Ioannes Pontifex: nos certè fidem Pontificis ſequemur, cui notos fuiſſe exiſtimamus, contra quos edebat Conſtitutionem; eos autem dicit, vt concludam, viros profanæ multitudinis, qui habitum nouæ religionis aſſumpſerunt contra Canones, &c, vt eorum error appareret veritas, nunc hunc, nunc illum ſtatum confinxerunt. Hactenus ex narratione facti & motiuo; deinceps ex ſententia Conſtitutionis.

Quinta ratio ex ſententia Conſtitutionis, vel ſola ſufficit propoſita. *Sectam,* inquit, *ritum, & ſtatum huiuſmodi, non obſtantibus præmiſſis eorum excuſationibus, quas friuolas reputamus, & quidquid per eos communiter, vel diuiſim ſub religionis, conuentus, collegij, ſeu congregationis nomine, vel colore attentatum extitit, vel exiſtit, nullius fuiſſe, aut eſſe decernimus firmitatis, & quatenus de facto proceſſerint, reuocamus ac perpetuæ prohibitioni ſubiicimus, & ab Eccleſia Dei penitus abolemus.* Ex his colligitur Fratricellos nullam ſuæ ſectæ approbationem obtinuiſſe, quod ſæpius iam deduximus, alioquin non rectè declararetur nullum, quodcúmque ab ipſis attentatum fuit, cùm firmitatem, & robur vi currentis priuilegii, ſeu conceſſionis, ſi qua extaret, ſortiretur. Hinc Pontifex vtitur nomine, *ſectæ, ſtatus huiuſmodi,* & non religionis. Vnde gloſſa; *Sic etiam dici non meretur cùm per Sedem Apoſtolicam non fuerit approbata.* Quinta ratio.

Addit Pontifex: *Eiſdem perſonis, & aliis quibuſcumque ſub pœna excommunicationis, quam eos (ſi ſecus fecerint) incurrere volumus ipſo facto iniungentes expreſsè, ne ſtatum, & ritum ab ipſis aſſumptum ſectentur vlterius, vel ipſum de nouo aſſumere præſumant.* Mandat etiam Epiſcopis, & aliis prælatis ne dictum ſtatum, ſeu habitum concedant deinceps iiſdem, vel aliis; & nihil amplius diſponit aut ordinat, circa perſonas Fratricellorum; vnde euidens fit, Conſtitutionem editam fuiſſe contra homines merè ſæculares, ſeu, vt ipſa in principio promittit, *viros profanæ multitudinis.* non contra vllos, qui religioni approbatæ nomen, emiſſa in ea profeſſione, dederunt, quorum ſaluti non rectè prouideretur per inhibitionem dumtaxat nouæ religionis, ſine præcepto ad priorem cui ſolemni voto tenebantur, regrediendi; Fratricellis autem præcipitur illius ſtatus quem contra Canones inuenerunt depoſitio, & nihil vlterius. Vnde concluſio fit euidens, decretalem hanc editam eſſe contra homines ſæculares, qui nouæ religionis habitum non accedente Sedis Apoſtolicæ approbatione contra Canones aſſumpſerunt, qui nunc huius, nunc illius ſtatus approbati profeſſionem friuolè, & fallaciter ad euaſionem prætendebant, non autem contra *pleróſque ex ordine eius diui,* ſcilicet Franciſci, quæ aduerſarij impoſtura eſt, non verum Decretalis argumentum: Ad confirmationem huius conſulamus eius temporis authores, qui rem viderunt.

CAPVT

CAPVT V.

Fratricellos, quos damnat Decretalis, nequaquam Franciſcanos, ſed merè ſæculares extitiſſe, probatur ex fide authorum.

NVllus fidelius, aut rectius ſtatum deſcripſit Fratricellorum quàm Aluarus Pelagius lib. 2. de planctu Eccleſiæ cap. 51. ex cuius verbis plura hîc ſegmina tranſcribemus.

Aluarus Pelagius. Deſcriptio Fratricellorum.

Iſtis, inquit, *temporibus hypocritalibus plurimi, maximè in Italia* (concordat Pontifex) *& Alemmania, & Prouincia Prouinciæ, vbi tales Begardi & Beguini vocantur, nolentes iugum ſubire veræ obedientiæ, ſed libertate noxiâ potiri; nec ſeruare regulam ab Eccleſia approbatam ſub manu præceptoris, & ducis legitimi, vocati Fratricelli, alij de paupere vita, alij Apoſtolici, alij Begardi, qui ortum in Alemannia habuerunt* (ad varietatem appellationis, non ſtatus aut ſectæ reſpicit, hæc enim in Decretali ſynonymè dicuntur) *ſpecie tenus, & quantum ad hominem exteriorem mundo renunciare videntur, & dicentes, Religioſos ab Eccleſia approbatos promiſſas regulas non ſeruare, durante primo feruore deſerta domeſtica penetrant, ſoli ſedent, vel pauci ſimul, paupertatem ſeruare videntur, abſtinentiis ſe macerant, ſed ventrem replent: diſciplinæ operam dant, ſed deficiente feruore, quaſi poſt annum ſedent ſub vmbra iuniperi, cuius cinis ignem vſque ad annum conſeruat, habitâ occaſione de petenda Heliani eleemoſyna quam nequeunt petere niſi Religioſi mendicantes ab Eccleſia approbati* (*extra de re. dom. cap. religionum.*) *vagari incipiunt, ad homines ſe conuertunt, laborare refugiunt, quia panem otioſum inueniunt, familiaritates, maximè fœminarum nunc ſpiritualium, nunc aliarum, accipiunt*. & infrà.

Et vt eorum ſecta peſſima confundatur, ſciant ſe in nullo ordine viuere, nec in aliqua ſancta vocatione manere, &c. *ab Eccleſia approbata, & hoc ideo præcipuè, quia contra Eccleſiæ ſanctiones, & Concilia generalia ſtatum & regulam, & religionem ſibi confingunt, nolentes vnam de approbatis ab Eccleſia regulam profiteri, nec ſancti Baſilij, neque Auguſtini mundi luminis, neque ſancti Benedicti, neque almi Franciſci præceptoris Minorum, etſi aliqui de prædictis gyrouagis aliquam regulam de prænominatis ſeruare ſe dicant, qui tamen extra congregationes promittentes prædictas regulas ſub Prælatis legitimis tales acephali viuunt, nunquam in veritate viuere poſſunt*. & infrà.

Et quia obedientia ligati non ſunt, pro libito comedunt, & bibunt, ſurgunt, & ambulant, & pro leui commotione ſuborta, loca in quibus habitant, dimittunt, & ab inuicem ſe ſeparant, & ſicut paſſeres inſolentes de monte ad montem tranſmigrant, & torpore, & tepore lethæo tepefacti cum curtis capitiis, & repeciatis, & cum amictibus, & habitibus quos ſibi contra Eccleſiam

ſuam inuenerunt, diſcurrunt per mundum; & quia circa ieiunia, & orationes, & obſeruationes regulares Domino non promiſerunt: ſed quod faciunt de ſpecie boni, & libertate propria faciunt; ideo recedente priore igne, forſan diuino, qui eos vrebat, peiores, quam frigidi eſſent in ſeculo, qui tepidi recedente calore ab ore Dominico euomuntur. & infra fol. 106. pag. 1. col. 2.

Quidam etiam ex eis ſuperius Apoſtolici, & Begardi nominati paupertatem Euangelicam ſe ſeruare dicentes, quia nec locum habent, nec aliquid ſe portare dicunt, verè gyrouagi, & verè ribaldi per mundum curſitant. & infra pag. ſeq. cap. 1. *Verè poltrones, & ribaldi, & ab hominibus deteſtandi ſunt, quia nec Eccleſiæ ſeruiunt, nec proximo, nec ſibimet in Chriſto, nec Domino Ieſu Chriſto, in nullo ordine permanentes, de paupertate plenis ventribus, qui ipſis ſunt Deus (Philip. 4.) & vita Apoſtolica gloriantes: contra enim Dei Eccleſiam & ſua ſacra Concilia, ſibi ordinem in oculis hominum inuenerunt.*

Vt breuior ſim, folio ſequenti docet contra eoſdem editam fuiſſe ſuperiorem Conſtitutionem. *Porrò nullus*, inquit, *ſupradictorum ſacrauatarum* (nomen eſt Ægyptiarum ſegregatum denotans) *gyrouagorum, & pſeudo-Apoſtolorum Begardorum & Fratricellorum, & illorum de paupere vita, laborare vult manibus ſuis, ſed de eleemoſynis viuunt: quia autem mendicare non poſſunt, & de eleemoſyna viuere, ſic clarè probatur. Sancta Dei Eccleſia certos in Concilio generali mendicantium ordines approbauit, extra de relig. dom. cap. religionum. in 6. ſed certum eſt, quod omnes prædicti aliquem modum ordinis ſibi conſtituunt in habitu, in vita, & in congregatione, quidam ex eis in ſua ſecta viuentes, ſub cuius colore mendicant de nullo approbato ab Eccleſia ordine mendicantium exiſtentes contra Eccleſiam viuunt: imò iſtis temporibus Dominus Papa Ioannes XXII. contra omnes ſic viuentes, & eis fauentes excommunicationis ſententiam promulgauit in quadam extrauaganti edita contra eos, quæ incipit, Sancta Romana.* Hæc ſola vltima clauſula ſuffecit intento noſtro, ſed pro maiori intelligentia huius ſectæ, reliqua adiecimus. Id vnum obiici nobis poſſet ex Aluaro, quod videatur tanquam de diuerſis agere: contra ea, quæ primo capite diſſeruimus. Reſpondemus nos ſecutos eſſe ſenſum Decretalis, quæ omnia dicta nomina ad vnius ſectæ Profeſſores refert, Aluarus autem loquitur ex conſuetudine vulgi, quæ ex varia Fratricellorum ſimulatione, diſtinctionem, & nomina accommodauit: quin, & huic concordat Decretalis, aſſerens pleróſque Fratricellorum regulæ Franciſcanæ, & Ordinis Minorum ſtatum confinxiſſe, alios habitum ab Epiſcopis accepiſſe: nonnullos etiam tertiæ regulæ B. P. Franciſci ſe Profeſſores oretenus feciſſe, quæ deceptio, diſcrimen præ ſe vulgo oſtentabat; quamuis ſecta vna fuerit.

Nota.

Obiectioni occurritur.

Ad propoſitum itaque reflectentes clarè ex Aluaro habemus, Fratricellos haudquaquam fuiſſe Franciſcanos, aut alicuius approbatæ regulæ profeſſores, ſed profanæ multitudinis viros, merè ſæculares, inuentores nouæ religionis, ſeu potius ſectæ, contra quos Ioannes ſuam edidit Conſtitutionem; Pœnitentiarius autem Pontificis in curia degens intentum ſtatuti non ignorauit.

Chronicon aulæ regiæ. Nota.

Author Chronici aulæ regiæ, quod inter Bohemorum fertur hiſtorias coæuus ſcriptor, in hanc etiam ſententiam ſcribit 2. par. c. 4. *His*, inquit, *temporibus Begardos gyrouagos, & Beguinas, quorum ſecta omnes ferè ciuitates, & villas in numeroſa multitudine repleuerat, Dominus Ioannes Papa ſub anathemate reprobat & condemnat, horum plures corde, & corpore ſæculo omnino ſe applicant, aliqui verò quorum ſancta fuit conuerſatio, de huiuſmodi contagio, colorem in veſtibus propter ſtatutum commutant, & in Sanctæ deuotionis propoſito, ſeruientes altiſſimo perſeuerant. Erat enim Papale ſtudium eradicare, quod noxium; rigare, quod ſanctum.*

Conradus de Monte puellarum.

Conradus de Monte puellarum tom. 13. Bibli. edit. Colonienſis: *Licèt iam dudum in Viennenſi Concilio ſtatus quorundam hominum vtriuſque ſexus, & præcipuè in Alemanniæ partibus, qui vulgariter Beghards quo ad viros, & Beghinæ quoad fœminas nominantur, fuerit prohibitus, nihilominus hi homines nequaquam minorati ſunt, ſed tam in ſtatu ſuo, quam in erroribus quotidianum hactenus acceperunt, & accipiunt incrementum. Nec eſt, qui inter Prælatos notabilem obicem opponat. Sunt enim huiuſmodi viri ruſticani, & plerique mechanici, corpore robuſti, & literarum omnino inexpertes, & penitus idiotæ: aut ſi literas aliqualiter norunt, tenuiſſimum tamen eſt quod ſciunt. Hi opera manualia ſuorum poſtponentes artificiorum cucullati gyrouagando prouincias per diuerſas incedunt, & latebras quærunt occultas, præcipuè hoſpitiis Beghinarum inhiantes, eò quòd ſimile ſuo ſimili complaudat.*

Nota.

Adiiciamus & gloſſam ſpeciatim ſuper illa: cùm itáque talium damnanda temeritas in eiuſdem fidei detrimentum, & præfatorum Minorum, & aliorum ordinum opprobrium redundare noſcatur. *Opprobrium*, inquit gloſſa, *facit religioni qui religioſus non exiſtens, habitum illum religionis conuenientem portat.* Conſulantur authores citati cap. 2. Sed omnium inſtar eſt Decretalis Honorij IV. ſupra præmiſſa, de qua hæc Turrecremata ſum. lib. 4. cap. 37. *Amplius Papa Honorius in extrauagante ſua, quæ incipit, olim felicis recordationis Gregorius Papa X. reprobat & damnat ſectas eorum qui ſe dicunt de ordine Apoſtolorum, ſeu vitam Apoſtolorum tenere, & Euangelicam paupertatem.* Hæc deſumpſit author ex Directorio Inquiſitorum 2. par. quæſt. 12. qui Decretalem Honorij integram attexuit, addens ſimilis tenoris literas, à Nicolao IV. ad omnes Prælatos deſtinatas anno 1290. Pontif. an. 3. concordat Laertius Cherubinus. Quod autem vterque tam author Directorij, quàm Turrecremata capita, & principes huius ſectæ conſtituant Sagarellum, & Dulcinum, id de prima fundatione intelligendum non eſt, quia his multo antiquior fuit Hermannus; nec recta alioquin cohæreret Decretalis Honorij. Sagarellus enim antiquior, primùm deprehenſus fuit an. 1300. vt author Directorij contendit, ſub Bonifacio VIII. Decretalis quindecim annis præceſſit, &, vt ex narratione eius conſtat, longè antiquior eſt ſecta, vt quæ poſt Lateranenſe, & ante Lugdunenſe incepit. fuere ergo hi ſuo tempore eius reſtauratores.

Turrecrem.

Decretalis Honorij.

Sed quoſnam Honorius ſuâ Conſtitutione reprobat, pleróſque fortè ex ordine eius diui, ſcilicet Franciſci? nihil tale. *Sed quoſdam*, inquit,

qui poſt generale, & ante Lugdunenſe prædicta Concilia ſub nomine ordinis Apoſtolorum habitum nouæ religionis aſſumpſerunt, quamquam nullam aliquando confirmationem Sedis Apoſtolicæ meruerunt, prohibitionis, & renouationis prædicta (ſupple, Lateran. & Lugdun. Conciliorum *) temerarij præſumptores eundem habitum, ſeu ei conſimilem ſub eodem nomine vſque hodie deferentes.* Huc etiam aduocat loco citato Aluarus Pelagius Clement. *ad noſtrum.* de hæret. in 6.ad idem ſpectat altera de relig. domib. *cum de quibuſdam.* Harum neutram contra approbatæ regulæ profeſſores emanauit. Adiicio adhuc vnum omnibus iſtis antiquiorem Matheum Paris qui ad annum 1244. ita refert; *Eiſdemque temporibus quidam in Alemannia præcipuè, ſe aſſerentes religioſos, in vtroque ſexu, ſed maximè in muliebri, habitum religionis, ſed leuem ſuſceperunt continentiam, & vitæ ſimplicitatem priuato voto profitentes, ſub nullius tamen ſancti regula coarctati, nec adhuc vllo clauſtro contenti, eorúmque numerus, in breui adeo multiplicabatur, vt in ciuitate Coloniæ, & partibus adiacentibus duo millia inuenirentur*, &c. Sed quid hic amplius inſiſtendum? conſulantur quæ cap. 2. diſſeruimus.

CAPVT VI.

Satisfit obiectioni quæ verbaliter ex Decretali prætendi poſſit.

HIc fortè nobis obiiceretur Fratricellos nomen, & habitum fratrum Minorum, aſſumpſiſſe; ergo non videtur negandum eos fuiſſe Minores. Hæc quidem obiici poſſunt: ſed facilis ſunt reſponſionis ex ipſa Decretali: nam hypocritæ cordis ſui malitiam obnubilant, & ſimulachrum quoddam pietatis intuenti, tanquam vera virtutis, qua carent, inſignia foris obiiciunt; Artis nempe fuit, vt ij Fratricelli, qui confingebant profeſſionem regulæ fratrum (vt error eorum veritas, & impietas religio reputaretur) œconomiam, & modum regiminis ipſius ordinis ſimularent, hæc nomina vſurpantes: cùm nomen, & habitus velut præcipua ſigna inſtitutum præ ſe ferant, verámque eius ab aliis diſcretionem, & ſpeciem monſtrent: alij tamen, qui tertij ordinis à B. P. Franciſco inſtituti profeſſionem vſurpabant, ſicut & ij, qui ſectæ inſtitutionem ad Epiſcopos referentes mentiebantur, aliis appellationibus adſcitis tam ipſi, quàm ſuperiores eorum gaudebant, ſicut Pontifex inſinuat.

Diſtinctio religionum quibus ſignis ſit?

Cæterùm non tum primùm Æſopicos illos ſenſit graculos religio noſtra, qui in Franciſci ſago quæſtui, & auræ captandæ vacantes, ſeipſos venditarent: nouerunt porrò quàm charum vbique quibuſlibet fuerit, & quàm tutum ſimulationis velamentum obtenderent; celebre ſanctitatis, & religionis notum, multiſque venerabile ſymbolum,

quàm autem fuerit circa hoc frequens virorum & mulierum abuſus ex Pontificiis diplomatibus & literis conſtat, paucis enim annis à morte Beati patris, eiuſmodi ſimiæ prodierunt ſub Gregorio I X. Quapropter anno 4. ſui Pontificatus, qui fuit ſalutis humanæ 1240. Idibus Decembris mandauit, vt nullus extra religionem noſtram portet habitum fratrùm, vel conſimilem, & vt contrarium præſumentes per Diœceſanos ad ipſum deponendum compellerentur. Incipiunt literæ, *Quia confuſio habitus.* ita ſummarium Pontificale in collectione authentica priuilegiorum facta per fratrem Ioannem Delrio & impreſſa Salmanticæ 1511. quam intitulauit Speculum, ſed in Speculo Rothomagienſi ipſæ litteræ inſeruntur, quæ ſunt tales, tract. 2.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei; Dilectis filiis, & Generali Miniſtro & fratribus Ordinis fratrum Minorum ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quia confuſio habitus ſæpe confuſionem inducit ordinum, & etiam animorum, authoritate præſentium diſtrictius inhibemus, vt nulli, ſiue ſit in religionis ordine, vel extra ordinem conſtitutus, habitum veſtrum, aut ita ei conſimilem, quod propter eum frater Minor credi poſſet, deferre liceat, abſque mandato Sedis Apoſtolicæ ſpeciali. Cæterum, vt dicta inhibitio maiorem conſequatur effectum, ſtatuimus, vt ij, qui habitum veſtrum, vel ſibi predicto modo conſimilem deferre præſumpſerint, ad deponendum ipſum per Diœceſanos locorum, cum a vobis requiſiti fuerint monitione præmiſſa per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compellantur. Nulli ergo. Datum Laterani idibus Decembris Pontif. an. 14.

Sed & aliæ eiuſdem directæ ad Prælatos, & hoc ipſo anno datæ 9. Kal. Martij idem clarius confirmant, quæ tales ſunt.

Gregorius Epiſcopus, &c. Archiepiſcopis & Epiſcopis, ad quos literæ iſtæ peruenerint. Ad audientiam noſtram noueritis perueniſſe, quod nonnullæ mulieres per veſtras ciuitates, & Diœceſes diſcurrentes, ſe fore de ſancti Damiani ordine, mentiuntur, & vt alij ſuæ aſſertioni mendaci fide credulitatis accedant, diſcalciata vadunt, habitum & cingulum Monialium eiuſdem ordinis, & chordulas deferentes, quas quidem diſcalciatas ſeu chordularias; alij verò Minoretas appellant, cùm tamen Moniales ipſæ, vt gratum præſtent Domino famulatum, perpetuò ſint incluſæ. Vnde, quia in eiuſdem Ordinis confuſionem, ac derogationem Ordinis fratrum Minorum, & ipſorum fratrum ſcandalum, ac Monialium, earundem mulierum religio ſimulata redundat: vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus mulieres ipſas ad abiiciendum cum eiſdem cingulis, & chordulis huiuſmodi habitum monitione præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam compellatis. Dat. 9. Kal. Martij an. Pontif. 14. Hæ literæ apud vtrúmque citatum ac etiam in Ruderiquis bullario extant.

In eadem cauſa recurrerunt Prælati ordinis ad Innocentium IV. (quod ſignum eſt per priores literas non fuiſſe ſublatum abuſum) qui an. 2. ſui Pontificatus, qui fuit 1244. præcepit Archiepiſcopis & Epiſcopis, vt à fratribus requiſiti quoſuis huiuſmodi ordinis habitum geſtantes ad eius compellant depoſitionem, ita vterque præcitatus.

Alexan

Alexander IV. eundem abuſum correxit, in quibuſdam religioſis, *Adeò variantibus* (verba ſunt Pontificis) *interdum habitus ſui formam, vt dilectis filiis fratribus Minoribus vniformes in derogationem multiplicem ipſorum ordinis crederentur, eiſdem propter hoc minorem apud fideles ſentientibus in ſuis opportunitatibus charitatem.* Bulla eius extat apud Toſſignanenſ. lib. 2. ſub Generali Bonauentura inſerta, & data 15. Kalend. Iulij Pontificatus anno 2. qui fuit ſalut. 1255. incipit ipſa bulla, *Recordamur & liquidò memoria retinemus.*

Item Clemens IV. anno primo ſui Pontificatus ſcilicet 1265. in confirmatione priuilegiorum data Perufij 12. Kalend. Auguſti. *Inhibemus,* inquit, *vt nullis ſiue in aliquo religionis ordine, ſiue extra conſtitutis habitum veſtrum, aut ita conſimilem, quod propterea etiam Fr. Minor credi poſſit, deferre liceat, abſque mandato Sedis Apoſtolicæ, & vt dicta inhibitio maiorem conſequatur effectum, ſtatuimus vt hi qui habitum veſtrum vel ſibi prædicto modo conſimilem deferre præſumpſerint, ad deponendum ipſum per diœceſanos locorum, cùm à vobis requiſiti fuerint, monitione præmiſſa per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſitâ compellantur.* Has confirmarunt multi ſucceſſores, & maximè Eugenius IV. & Sixtus IV. ille Florentiæ, anno 1439. 4. Idus Nouembris Pontificatus anno 9. Hic verò Romæ 1474. pridie Kalend. Septembris Pontif. anno 1. Sed neque huius rei probationi ſummopere inſiſtendum eſt, cùm frequentior euaſerit ſimulatio, quàm vt emendari poſſit, atque etiamnum ſub oculis omnium vbique ſub ſpecie Franciſcana vagetur libertas, & eiuſmodi hypocriſis ad multorum deceptionem, ordiniſque ſcandalum, & contumeliam.

CAPVT VII.

Quorundam authorum repelluntur ſententiæ de origine Fraticellorum, quæ vel ſubobſcuræ ſunt, vel certè à veritate receſſerunt.

NE ſcrupulus lectori remaneat, aut parum affecto proteruiæ aliquis fucus, cui de euentu nulla eſt ſolicitudo, modò affectati errori quempiam aduocare poſſit vel à longè fautorem; lubet hoc capite quorundam ambages excutere, vel expugnare errores.

Primus occurrit Bergomenſis in ſupplemento ad annum 1324. ſtatuens intruſionem Petri Corbarij contigiſſe; de quo inter alia hæc aſſerit; *Cum Fratricellorum de Opinione hic author, & fautor exiſteret, eandem Sathanæ ſtolam pro viribus augere adnixus eſt.* Sed hæc futilia planè ſunt, incertum mihi an corruptelâ, aut lapſu authoris illata; nam præterquàm quod temporis & intruſionis Corbarianæ malè iniuit rationem, (qui annis ſequentibus inuaſit Pontificatum) longè à ſe receſdit, Error Bergomenſis deſtruitur.

dit, nam libro 13. anno 1298. agens de geſtis ſub Bonifacio VIII. §. *Hæreſis eorum,*&c. & præfixo hoc titulo, *Fratricelli de Opinione hic commemorantur,* veritatem cum cæteris amplexus eſt.

Hæreſis, inquit, *eorum qui ſe Fratricellos de Opinione nuncupatos* (ſupple,dicebant) *hoc eodem anno a Bonifacio Pontifice damnatur, & vbique diligenti curâ perquiſita exterminari omnino iubetur. Unde & Hermanni cuiuſdam corpus, eiuſdem ſectæ authoris apud Ferrariam vrbem viginti iam annis ſepultum, qui pro Sancto colebatur, exhumari, & exuri fecit, habitâ prius de huiuſmodi re diligenti inquiſitione.* Hactenus Bergomas, qui deinceps ſcelera, & ſuperſtitionem eius ſectæ deſcribit, ſubiungens Gulielmæ & Andreæ apud Mediolanum detectas, & vindicatas tum temporis libidines. Hæc itaque ſicut vera ſunt, & aliis conſentanea, omnino præferenda iudicantur; quamquam adſtruendæ veritatis alia non deſunt argumenta; quando porrò Fratricellorum ſectam inſtituere potuit Corbarius? non in ſæculo ante conuerſionem: alioquin quomodo ad religionem admitteretur, quæ Catholicis dumtaxat ſinum aperit, mandans, vt admittendi examinentur *de fide Catholica & Eccleſiaſticis Sacramentis?* Fratricellorum tum infamiâ ſuâ notiſſima fuit ſecta, & per plures Pontifices damnata; author proinde ignorari non potuit; accedit id ſolum obiici Corbario, quòd contempto matrimonio confugerit ad religionem, quamquam in ipſum repudium plures indiſcretè carpendo incurrant, cauſas negligentes, quæ ſubeſſe potuerunt; in Monachatu laudabilis fuit conuerſationis, & ab omnibus laudatæ, quæ ipſi ad ineundum Pontificatum viam aperuit; id ſanè conſtat non adeo ſui facti rationem abieciſſe Ludouicum Bauarum Imperatorem, atque Romanos, vt depoſitionem Ioannis XXII. veri Pontificis ob intentatam hæreſim affectantes, aſſumptione hæreſiarchæ reſtaurarent: ipſius nàmque præpoſteri facti inuidia tanta fuit, vt infamiâ perſonæ nullo modo fuerit cumulanda. Fratricellorum primarius error fuit contemptus Eccleſiæ, & Pontificum, quos à Syluestro deorſum præter Moronum, & Corbarium abominabantur, tanquam intruſos; ea tamen Petri Corbarij erga verum Pontificem obſeruantia, vt falſis rumoribus ſeductus tantum, inierit Pontificatum, putans vera eſſe, quæ Ioanni obiiciebantur. Huius eſt teſtis confeſſio, & retractatio facta à pœnitente. teſtis eſt epiſtola, quam ſcripſit ad Pontificem iam tum in loco tuto exiſtens. De rei nàmque veritate informatus ceſſit anno vno antequam ad gratiam receptus ſit. Epiſtolam ſuo loco integram dabo; hoc interim præſenti inſtituto ſegmen proferam. *Dolui,* inquit, *& doleo me feciſſe, quod feci,* &c. *In cuius rei teſtimonium iam eſt annus completus, quod aduerſarium veſtrum ſponte dimiſi* (ſupple, Imperatorem) *& ſedem mei præſumptuoſi culminis dereliqui*, &c. Doluiſſet, ſcilicet Fratricellorum author, ſibi datam per manus occaſionem inuadendæ Sedis Apoſtolicæ, quem imperator & potior Gibellinæ factionis pars ſequebatur, & defendebat? ab ea deinde ſede non inuitus deſcenderet, quam alterius, depoſito errore, eſſe cognouit? nihil minus.

Corbarius non potuit fundaſſe Fratricellos cap. 2.

Epiſtola Corbarij ad Ioannē.

Cæterùm

Cæterùm ſi vlterius protrahere controuerſiam libet atque ex veritate Theologica diſcutere, quis neſcit Canonem 30. Niceni Concilij obſeruandum præcepiſſe; *Si quis à mala fide, ad fidem orthodoxorum reuertatur, recipiendus eſt in Eccleſiam per manus Epiſcopi, vel Sacerdotis, qui præcipere ei debent, vt anathematizet cunctos fidei orthodoxæ contradicentes, debétque anathematizare Arrium, & hæreſim eius, & profiteri fidem, quam in hac perfecta confeſſione definiuimus,* &c. Sed & idem mandat antiquius Concilium Laodicenum ſub Syluestro Canone 7. *Eos,* inquit, *qui ex hæreſibus,* &c. *conuertuntur,* &c. *non admitti, prinſquam omnem hæreſim anathematizauerint, & præcipuè eam, in qua detinebantur,* &c. Qui hæc ambigit conſulat cap. Saluberrimum. cap. Donatum. 1. quæſt. 7. cap. Ego Beringarius. de conſ. diſtinct. 2. cap. ad abolendam. de hæreticis. cap. ſuper eo. cap. accuſatus. de hær. in 6. cap. inter ſolicitudines. de purg. Canonic. Idem obſeruatum eſt in Concilio Conſtantinop. Conſulatur epiſtola 84. Leonis Papæ ad Nicetam Aquileienſem Epiſcopum, Turrecremata in Summa lib. 4. part. 2. cap. 22. Simancas in Enchiridio tit. 23. & communiter Doct. in cap. accuſatus. de hæreticis; vno conſenſu docent hæreſim prius abiurandam eſſe, quàm quis Eccleſiæ vniatur. Fortè in ea lege diſpenſatum eſt cum Corbario? quinimo ter publicè hæreſim ſuam abiurauit, ſeu verius ſchiſma, ſemel Piſis, bis Auinione, ſchedulam confeſſionis porrigens; eam tranſcripſit Maſſonus in Ioannem XXII. & Ciaconius, Bzouius bis ſub anno 1330. num. 3. & num. 8. In triplici autem abiurationis formula nequit inueniri aliqua hæreſis, quæ propria Fratricellorum dici poſſet, vnde fit argumento, neque Corbarium in hæreſim Fratricellorum incidiſſe, neque de ea fuiſſe traductum, tantum abeſt vt eius ſectæ inſcriberetur author; nullus hic euaſioni locus ſine Sedis Apoſtolicæ nota confingi poteſt; nec ea fuit Ioannis vigilantia, vt ſchiſma Corbarij, eiúſque cauſam, quam hactenus nimio pondere, & tædio præ cæteris ſupra ſtomachum gerebat, tum diſſimularet in ſcandalum totius Eccleſiæ, & detrimentum ſalutis propriæ, aut dimidiatam hominis pœnitentiam, quaſi ex condicto acceptaret. Nec ergo Petrus Corbarius Fratricellos inſtituit, aut ſectatus eſt. Maſſon. Ciacon. Bzou. Efficax ratio.

Quid dicam, quod ipſius temporis ratio id non permittebat, nam & Petrus præfatus ſemper in obedientia tam Ordinis, quàm Eccleſiæ perſeuerauit ad annum vſque 1327. quo Romam primùm appulit Ludouicus Bauarus, & tum primùm Prouinciali Prouinciæ Romanæ, atque Apoſtolico Legato factus eſt contumax, vt ex hac confeſſionis eius clauſula conſtat. *In primis,* inquit, *confiteor, cùm Ludouicus a Bauaria; ad vrbem Romanam perueniſſet, religioſus vir Miniſter Romanæ Prouinciæ Ordinis fratrum Minorum, ac Dominus Ioannes Dei gratia Sancti Theodori Diaconus Cardinalis, Sedis Apoſtolicæ, & Sanctitatis veſtræ Legatus pro maiori obſeruatione interdicti, cui tunc erat per vos Sanctiſſime Pater ſuppoſita vrbs prædicta, eiuſdem Ludouici aduentu percepto, mihi, & aliis fratribus in eadem vrbe morantibus, ſub virtute obedientiæ, & excommunicationis pœnis, quas non parentes ipſo facto incurrerent, publicè* Confeſſio Corbarij.

blicè minxiſſent, vt dictam vrbem omnes, & ſinguli exiremus: Ego autem infelix peccator præceptis huiuſmodi non obſtantibus in eadem vrbe remanere præſumpſi. Petrus itaque ad annum vſque 1327. aggregatus fuit Eccleſiæ, & Ordini, Fratricellis decem annis antea damnatis à Ioanne per decretalem ſuperius præmiſſam. Quomodo author eorum tum, aut aliàs eſſe potuit? ſed non eſt, quod rei claræ inſiſtamus, conſulantur quæ ſuperius diſſeruimus cap. 2. Adde etiam, quod eiuſmodi in vniuerſum crimen præteritur in decretalibus aduerſus eum, & ſectatores promulgatis, & Aluarus Pelagius coæuus, qui in hominem acerrimè iuit, nuſquam eius meminerit. Atque hinc præmonitum lectorem cupio, ne in Blondum de Italia illuſtrata in deſcriptione Fabriani incautus incurrat. Vbi inter alios dictæ ciuitatis ſucceſſus, non minimum adſcribit, quòd eo tandem loco Fratricelli de Opinione, quorum ſcelera, & turpitudines deſcribit, fuerint extincti, aſſerens eoſdem Petri Corbarij adulterini Pontificis reliquias eſſe; id, quo ſenſu falſum ſit, iam adnotauimus; verum autem eſſe conſtat eo ſenſu, quo ipſi Fratricelli patrocinium extincti Corbarij aſſumpſerunt, ſicut & Petri Moroni, dicti Cœleſtini V. qui Pontificatu ceſſit, aſſerentes alios omnes adulterinos, & reprobos extitiſſe, eóque dementiæ elati, ſucceſſores prædictorum veros Pontifices in ſua ſecta dumtaxat haberi, quos nefario infanticidio aſſumebant, vt ex Blondo deſcripſit Prateolus, Sabellicus, Bergomas & reliqui. Hac etiam ratione ſe adſertores inſcribebant paupertatis Euangelicæ, vnde, ſubortâ controuerſiâ de Chriſti & Apoſtolorum paupertate, appellationem nouam ſumpſerunt *de Opinione*, tanquam Cæſenatis abiiſſent ſententiam, cùm longiſſimè à ſenſu Catholico, atque ab ipſa controuerſia receſſiſſent damnantes in vniuerſum Eccleſiaſticorum reliquorúmque Chriſtianorum diuitias, & poſſeſſiones.

Ratio clara.

Cautè legendus Blondus.

Secundo loco aduerſari fortè videbitur Sanctus Antoninus 3. part. hiſt. tit. 21. cap. 5. §. 1. Eius verba in medium proferre expedit; *Anno, inquit, præfato ſcilicet 1322. ab incarnatione Domini, tempore huius Ioannis XXII. Papæ ortum eſt ſchiſma cum hæreſi eorum, qui dicuntur Fraticelli de Opinione, alias pauperes de Lugduno huius exordium fuit, quia quidam Magiſtri tenebrarum volentes ſapere pluſquàm oportet quorum caput fuiſſe dicitur Michelinus de Ceſena Ordinis Minorum Miniſter, dogmatizare cœperunt publicè prædicando Chriſtum ita pauperem fuiſſe, quod ipſe cum Collegio ſuorum Apoſtolorum, nihil habuit in mundo proprium, nec in communi, nec in particulari, nec immobilia, nec mobilia*, &c. *Multi autem ex illis inuentoribus erroris obſtinati permanſerunt, & in tantam veſaniam proruperunt, vt ſchiſma in Eccleſia ſuſcitarent facientes Congregationem, Synagogam Sathanæ, quam dicebant veram Eccleſiam apud ſe eſſe, erigentes ſibi caput draconis in Papam Petrum de Corbario*, &c.

Tam varius in hac hiſtoria Antoninus, vt non dubitem eum ex aliis, prout offerebantur, ſyncerè, & ſine examine eam ſcripſiſſe, vt hic ſubindicat *(Caput*, inquit, *fuiſſe dicitur Michelinus)* & aliàs ſæpe ſolet (vt præter Poſſeuinum, & Petrum Maturum adnotarunt etiam Canus de locis, & Paulus Gryſaldus eiuſdem inſtituti profeſſores.) In 4. part. Summæ

Errores deprehenduntur.

Summæ moralis tit. 12. deſignat annum 1324. & infra tit. 24. aſſerit Capitulum Generale, in quo Michaël ſe primùm oppoſuit Pontifici celebratum anno 1325. quin imò depoſitionis eius ob eam opinionem annum refert 1328. adüciens in hæc verba; *Iſte igitur Michaël depoſitus a Generalatu hunc errorem* (ſupple, Fratricellorum) *ſequutus eſt.* Hæc inter ſe plurimum diſcrepant, ſicut & illud, quòd Petrum Corbarium intruſum referat per Fratricellos, cùm alibi ſæpius hanc intruſionem adſcribat Ludouico Imperatori, & quidem ex fide; nec minor eſt error, ac contradicentia aſſerere Fratricellos, quorum author, vt ait, fuit Michaël, intruſiſſe Corbarium, cùm antea intruſus fuerit, quàm hic Pontificis ſe ſubduxit mandato, quinque annis poſt iam deſignatum annum ab Antonino inſtitutionis Fratricellorum perſiſtens in ſupremo Magiſtratu Ordinis Franciſcani, & vndecimo anno, poſtquàm damnata fuit ſecta à Ioanne, atqui hæc vnica ratio totius narrationis figmentum proterit, admonet me quoddam manuſcriptũ plura in controuerſia hac nempe paupertatis, quæ inter nos, & Prædicatores quondam viguit, fraude illata eſſe operibus Beati viri, quæ ipſius non ſunt: id non indubiè crediderim, alioquin ſanè non inuenio, quibus modis aliqua eius ſaluare poſſim, quin vel facti & ſtatus controuerſiæ ignorantiam non modicam ſapiant, vel certè minus ſyncerum affectum, à quibus extremis virum doctiſſimum, & ſanctiſſimum receſſiſſe, quis eſt, qui non affirmet? quiſpiam ergo malè feriatus corruptelam eo patrocinio obliniuit, non minus in veritatem, quàm in ſanctum virum iniurius.

Vt leuiter igitur, quæ præmiſſa ſunt, perſtringam, Fratricellos de Opinione, & pauperes de Lugduno eoſdem eſſe, (vt narratio præferr) tam aduerſatur ipſi Antonino quàm veritati, & hiſtoriæ (conſulendus ille 4. part. Summ. tit. 11. cap. 7. de erroribus hæreticorum) nam pauperes de Lugduno ab authore ciue Lugdunenſi dicti Valdenſes initium habuerunt circa annum 1170. Fratricelli verò ſecundo poſtea ſæculo emerſerunt. Videatur Claudius Curſordius contra Valdenſes, Prateolus, Bernardus à Lutzemburgo, Turrecremata, Sanderus, & alij paſſim, quod de congregatione item illa Magiſtrorum refert, quorum caput fuit Michelinus anno præmiſſo, deſignat, vt credo, Capitulum Generale Ordinis Franciſcani habitum Peruſij, in quo viri doctiſſimi in ſuborta quæſtione de Chriſti, & Apoſtolorum paupertate, rogati ſententiam ſuam expoſuerunt, conceptam verbis & ſenſu decretalis, *Exiit, qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum.* &c. Quæ eſt declaratio Nicolai Papæ III. in regulam Franciſcanam, atque approbata in Concilio Viennenſi recepta ab Eccleſia, & Summis Pontificibus, atque in corpus iuris redacta. Eam ergo decretalem, ſeu, quæ etiam in verbis eadem eſt, determinationem Peruſini Capituli ad inſanias Fratricellorum referre, & iniquè torquere ſine iniuria, errore, & blaſphemia nequit, vt ſuo loco probabimus: neque author huius fabellæ (quem non admitto eſſe Sanctum Antoninum) vidit dictam determinationem Peruſinam, vel ſyncerus non eſt: non eſt porrò ſub ea generalitate de Chriſti, & Apoſto-

Confutatio erroris.

Q Apoſto

Apoſtolorum vera paupertate concepta; quamuis etiamſi in præſcripta verborum formula daretur, aliena eſſet, ab omni errore ſanè intellecta, ne d. ram hæreſi, & opinione Fratricellorú, (vt fuſius infra demonſtrabo) tamque inter ſe differrent, quàm verum & falſum, virtus & vitium. Sed ne ante tempus eò nos rapiat perſequendæ falſitatis ſtudium, inſtitutum ſequamur. Fratricellos hoc anno initiatos non concordat cum decretali Ioannis, qua damnati ſunt anno 2. Pontif. qui fuit 1317. quintus abhinc annus. Michaëlem inſtitutorem & caput eorum conſtituere ne per ſomnium quis poſſet, qui vndecim annis poſt damnatos, & abolitos Fratricellos Ordinem Franciſcanum feliciter, & ſine erroris vllius næuo Præfectus gubernauit; depoſitus autem Magiſtratu nunquam ad errores Fratricellorum declinaſſe inuentus eſt, nec in ſententiis depoſitionis, & damnationis eius (quæ plures extitere) ſiue à Pontifice, ſiue à Vicario Ordinis Cardinale Beltrando, ſiue ab ipſa religione tam Pariſiis, quàm Perpiniani contra eum promulgatis, quidpiam reperitur, quod vel ſpecietenus errorem Fratricellorum præ ſe ferat, imò ne ſemel quidem ceu per improperium Fratricellorum in iis habetur mentio, quantumlibet eo rigore quædam earum conceptæ ſunt, vt Michaëli nihil minus quàm parcere deprehenſæ, non paruam ſapiant acerbitatem. Non eſt, quod teſtibus huius rei fuſius agamus, cùm ex inſtituto id alibi agendum erit de neceſſitate: ne crede igitur Vigerio, Syluestro, aut aliis huiuſmodi, qui partes fouent, vel certè nihil potuerunt indagandæ veritati, ſed ouium inſtar quoſdam ſodales ſuos ſequuti ſunt, quo trito per affectum calle ibatur, non quo eundum erat.

Tertius tandem arma mouet frater Nicolaus Eymericius eiuſdem inſtituti ſodalis, & reliquis antiquior in ſuo Directorio Inquiſitorum 2. part. quæſt. 15. aliò tamen declinauit aſſerens Fratricellos fuiſſe profeſſos tertiam Regulam B. P. Franciſci; *Qui inſurrexerunt* inquit, *in Prouincia Prouinciæ, & in Prouinciis Toloſæ, Carcaſonæ, Siciliæ Inſulæ, & Calabriæ, Tuſcia, Alemannia, & aliis diuerſis mundi partibus*; Addit ſcriptis & prædicatione fratris Petri Ioannis Ordinis Minorum, qui emerſit ſub Clemente V. ſeductos fuiſſe: nihil non virulentè ille in Franciſcanos agit, quod eorum præcipuè operâ conuictus, pœna luit falſarij, edicto tota Aragonia exilio. Fortè in decurſu operis neceſſitate reſponſionis crebrò recurret, ideo prætereamus in ſuum locum: pro nunc aliquot eius in noſtros criminationes quas Bzouius diligentiſſimè conquiſiuit, & exſcripſit annis ſequentibus, hæc interim diluenda.

Reiicitur Eymericius.

Petrus Ioannis floruit ſub Nicolao III. & IV. mortuus eſt ſub Bonifacio anno 1297. eum infra adſeram; ſufficit ex dictis cap. 2. perperam authorem eum conſtitui Begardorum, ſeu Fratricellorum, quos decretalis Ioannis Pontificis nulla ratione permittit inſcribi profeſſores tertiæ Regulæ Franciſcanæ; primùm, quia Fratricelli ex verbis, & ſententia decretalis fuêre viri profanæ multitudinis, qui contra Canones propriâ authoritate habitum nouæ religionis aſſumpſerunt, & quorum ſecta non fuit ab Eccleſia approbata. Hæc in profeſſores tertiæ Regulæ

Fratricellos non fuiſſe 3. regulæ Franciſcanæ.

non

non conueniunt, quorum ſtatus, & habitus non fuit nouus, vtpote à B. P. Franciſco inſtitutus. Hoc præ reliquis docet officium quod in feſtiuitate eius canitur. *Tres ordines hic ordinat*, &c. *Sed Pœnitentium tertium*, &c. Nicolaus IV. in regula prædicti Ordinis; *Ideo*, inquit, *glorioſus Christi confeſſor Beatus Franciſcus huius Ordinis inſtitutor*. Clemens V. cùm de eo de ſentent. excommun. in Clem. *Fratres*, inquit, *& ſorores de tertio Ordine, quem Beatus Franciſcus inſtituit*; Non potuit ergo dici ſecta, vel ſtatus non approbatus, & noua religio, cui ipſe Ioannes nomen ordinis & ſtatus approbati in conſtitutione concedit, verbis iam citandis; ſed vt cæteras eius approbationes, quæ ex priuilegiis Honorij III. Gregorij IX. Innocentij IV. Alexandri IV. & aliorum ſequentium peti poſſunt, vnus ſufficit Nicolaus IV. qui regulam præfati tertij Ordinis ſua decretali confirmauit; incipit hæc; *Supra montem Catholicæ fides*, &c. Datum anno 2. Pontif. 16. Kalend. Septembris, qui fuit ſalutis 1289. annis viginti octo antequam edita eſt decretalis, *Sancta Romana Eccleſia*, &c. quæ damnat Fratricellos; non potuit itaque dici ſtatus tertij Ordinis ſecta noua, & non approbata.

Quid refert commemorare Clementinam, *Cùm de quibuſdam*; de relig. dom. in 6. probantem Beginas non fuiſſe alicuius regulæ approbatæ, aut religioſas, quas ſimul cum Begardis condemnauit Clemens Pontifex de hæreticis, Clementina *Ad noſtrũ*, &c. Atque in primo quidem loco ſtatum earum abolet, tanquam nouum, & ſuſpectum; titulo autem de hæreticis vtroſque tam Begardos quàm Beginas *ſectam* appellat *abominabilem. quæ procurante ſatore malorum operum damnabiliter inſurrexit*, quorum errores damnat. Nihilne ille de tertiariis? ita plenè eos ſub duplici appellatione, quibus tantum vocari ſolebant, compellans alia ab inſtituto; *Fratres*, inquit, *& ſorores de Ordine tertio (quem Beatus Franciſcus inſtituit) exiſtentes*. Alia à recepta, & communi conſuetudine, quæ duplex eſt; *Qui continentes*, inquit, *ſeu de pœnitentia nuncupantur*, &c. Ergo nec Begardi, nec Fratricelli, nec Beginæ tum appellari conſueuerunt; Argumentum euidens à ſtylo legis, & proprietate locutionis, maximè in odioſis, ne ambiguitas & multiplex appellatio effectum legis impediat, ſeu eludat. Hinc Ioannes Pontifex in ſua conſtitutione, *Sancta Romana. atque vniuerſalis Eccleſia*. Fratricellos ſub variis eorum appellationibus expreſſis, tam antiquis, quàm aliis poſt damnationem callidè, & conſueto hæreticorum dolo ementitis, comprehendit; alioquin ſanè magnam inferret confuſionem, ſi damnata pridem nomina in eodem Concilio Pontifex prætermitteret, vel quos aliàs damnauit, ſub aliâ appellatione permitteret. Cognouit ergo alios fuiſſe Beginos, & Begardos, alios verò fratres & ſorores tertij Ordinis continentes, & de Pœnitentia nuncupatos. Circa quos (illis damnatis, & abolitis) hoc dumtaxat ſtatuit, vt ad audienda Eccleſiaſtica à fratribus Minoribus tempore interdicti non admittantur, quantumlibet aliàs idipſum ex priuilegio conceſſum fuerit, vt eſt illud Gregorij IX. quod incipit; *Cum illorum*, &c. Datum Peruſij 4. Non. Auguſti Pontif. anno 3. Adiicio conſtitutionem ipſam Clementis; *Cùm ex eo*,

quod religioſi viri fratres Minores in ſuis recipiunt Eccleſiis ad audienda diuina officia tempore interdicti, fratres, & ſorores de Ordine tertio, quem Beatus Franciſcus inſtituit, exiſtentes. qui Continentes, ſeu de Pœnitentia nuncupantur, ſcandalum aliorum, qui ab his excluduntur, mentibus generetur, cenſura vileſcat Eccleſiaſtica,& minoris auctoritatis interdicti ſententia reputetur; Eiſdem fratribus Minoribus diſtrictius inhibemus, ne de cætero aliquem, vel aliquos prædictorum, etiamſi ſuper hoc hi, vel illi priuilegiis quibuſcumque muniti extiterint, quæ ipſis in nullo prorſus quoad hoc volumus ſuffragari, ad diuina in ſuis Eccleſiis tempore interdicti quoquo modo admittant. Ad hæc amplius Gloſſa Clem. *cùm de quibuſdam*, &c. verbo *Obedientia*. & Clementina, *cum ad noſtrum.* verbo *ſorores*, rectè diſcernit inter profeſſores tertiæ Regulæ, ac Beginos, & Begardos ibidem damnatos: coniunge Aluarum Pelagium, Matthæum Paris, Conradum de Monte puellarum, Chronica aulæ Regiæ,eius temporis ſcriptores; & ea, quæ ſuper ipſa Ioannis decretali ſuperius diſſeruimus.

Vltimò tandem difficultatem, ſi quæ foret, ſummouet declaratio Innocentij VIII. Pontificis, quæ ſequens eſt.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, ſeruus ſeruorum Dei; Dilectis filiis ſalutem,& Apoſtolicam benedictionem.

Declaratio Innocentij VIII.

DVdum per felicis recordationis Ioannem Papam XXII. prædeceſſorem noſtrum, accepto quod nonnulli Fraticelli, ſeu fratres de paupere vita, ſeu Bizochi, vel aliis nominibus nuncupati, habitum nouæ religionis aſſumentes, conuentiones & conuenticula facere, & ſuperiores ſibi eligere, plurimos ad eorum ſtatum recipere, loca de nouo conſtruere, & in illis in communi habitare, publicè mendicare (quaſi eorum ſecta foret vna de religionibus approbatis) temeritate damnabili præſumpſerint & præſumebant inceſſanter. Quorum plurimi tunc regulam quam Sanctus Franciſcus inſtituerat profiteri, & ad literam obſeruare, & a Generalis & Prouincialium Miniſtrorum Ordinis fratrum Minorum ſuperioritate per Cœleſtinum Papam V. prædeceſſorem noſtrum exemptos eſſe: nonnulli verò ſe de tertio Ordine B. Franciſci de Pœnitentia nuncupati fore ſe aſſerebant, & ſub velamine huiuſmodi, eorum ſtatum, ritum, & ſectam palliare ſatagebant. Idem Ioannes prædeceſſor in conſtitutione ſua incipiente; Sancta Romana & vniuerſalis Eccleſia, &c. ſectam, ritum, & ſtatum eorundem reprobans, & ſub excommunicationis pœna eo ipſo incurrenda eis, & omnibus aliis perſonis inhibuit, ne ſectam, ritum, ſiue ſtatum huiuſmodi ſectarentur vlterius, vel ipſum aſſumere quoquo modo præſumerent, prout in eadem conſtitutione plenè continetur. Et nonnulli timoratæ conſcientiæ, vt aſſeritur, dubitant, an ſorores veræ de tertio Ordine prædicto exiſtentes, iuxta illius regularia inſtituta in communi domo ſub vnius ſuperioris, earum Matris, ſiue Miniſtræ obedientia, cura & directione Prælatorum veſtri Ordinis, aut aliorum proborum religioſorum vitam ducentes,in conſtitutione prædicta includantur.

includantur. Paci conſcientiarum ſic dubitantium conſulere, & ſcrupulum de illis remouere volentes, ſorores prædictas vbilibet per vniuerſum mundum conſiſtentes etiamſi in communi viuentes, ad plura alia, quàm ordo ipſe exigat ſe propriâ voluntate aſtringant, & tria vota ſubſtantialia emittant in conſtitutione prædicta, non includi authoritate Apoſtolicâ præſentium tenore declaramus. Et eis vt velum nigrum aſſumere, & ſub perpetua clauſura manere, liberè, & licitè valeant, quotiens eis placuerit, & vobis, aut aliis earum ſuperioribus videbitur earum ſtatui expedire eadem auctoritate concedimus, non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Dat. Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris anno Domini 1484. die 22. Ianuarij Pontificatus anno 3.

Hæc Innocentius, ex quibus præter Eymericum confutatur etiam author Repertorij Inquiſitorū verbo, *Beatæ tertiæ regulæ ſancti Franciſci*, qui tam eas, quàm ipſum ſtatum per eam Ioannis conſtitutionem reprobatum fuiſſe contendit. Sed fortè quiſpiam reſpondit declarationem hanc tantùm referendam ad Tertiarios collegialiter viuentes, & qui tria monaſtica vota emittunt. Verùm id aſſerere friuolum erit, nam & Ioannes damnauit ſectam eorum, qui collegialiter viuebant, cōuenticula ſub ſuperioris obedientia inibant, cum reliquis approbatæ religionis vſurpatis functionibus: vnde eius conſtitutio potius referenda eſſet ad Tertiarios conuentuali familiæ aggregatos, quàm ad alios in priuatis domibus degentes, quod ſubindicat ipſe Innocentius ex particula aduerſatiua, *eximens, ſeu exemptas declarans omnes ſorores tertij ordinis, vbilibet per vniuerſum mundum conſiſtentes etiam in communi viuentes*, &c. Occurritur obiectioni.

Alij referunt ipſum Ioannem XXII. ſimilem declarationem edidiſſe in fauorem ſororum tertij Ordinis tam Dominicani quàm Franciſcani. Sed quæ dicta ſunt, ſufficiant; reſumam tandem, quod supereſt, narrationis Bzouianæ.

Bzouius, ſupra nu. 19. cum huiuſmodi nota marginali, *eorum horrendæ turpitudines & dogmata*, proſequitur mores Fratricellorum in hæc verba ex Prateolo.

B Z O V. *Hi vt, author eſt Prateolus, Anabaptiſtarum more, qui noſtra hac ætate in incertum vagantur, promiſcuos concubitus licitos eſſe ſenſerunt. In locis nempe abditis tale ab eis perpetrabatur ſcelus, vt vocatæ & de induſtria ab eiſdem ſeductæ ſpecioſiores quæque viduæ, vel virgines, cùm in ea antra venirent ſacerdotes, & eius ſectæ clerici ianuis clauſis, diuinas laudes ad comparandam fidem, ex Chriſtiano ritu cantabant. Quibus circa noctis medium peractis ſacrifici altâ voce commonebant binos debere, maſculum videlicet, & fœminam ſancto ſpiritu inuocato in copulam carnalem commiſceri. Quo dicto, & luminibus extinctis quilibet ſibi proximam mulierem proſternebat. Etſi ex tali concubitu mulier concepiſſet, infans recens genitus in eam ſpeluncam deferebatur, & per manus ſingulas tamdiu totiesque tradebatur, quoadúſque exhalaret. Iſque in cuius manibus expirabat,*

Maximus Pontifex creabatur. Docebant nihil proprium eſſe habendum, neque reſpublicas à Chriſtianis eſſe adminiſtrandas.

Oſtenditur corruptela. Prateolus. Mancum exhibuit Prateolum aduerſarius, ego integrum ſcribo, iudicet mox lector vtri teſtimonium perhibet, mihi, vel Bzouio. ita ille verb. *Fratricelli* lib. 6. *Fratricelli ſeu fratres de paupere vita in partibus Italiæ, ortum habuerunt Alberti I. Cæſaris Germani, & Benedicti huius nominis XI. ſummi Romanorum Pontificis temporibus, circa annum Domini* 1304. *Hi planè Anabaptiſtarum more, qui noſtra hac ætate in incertum vagantur, ſenſerunt promiſcuos docentes concubitus. In locis nempe abditis tale ab eis perpetrabatur ſcelus, vt vocatæ & de induſtria ab eiſdem ſeductæ, ſpecioſiores quæque viduæ, vel virgines, cùm in ea ipſa antra venirent ſacerdotes, & eius ſectæ Clerici, ianuis clauſis, diuinas laudes ad comparandam fidem, ex Chriſtiano ritu cantabant. Quibus circa noctis medium peractis, ſacrifici alta voce commonebant binos debere, maſculum videlicet & fœminam, ſancto ſpiritu inuocato, in copulam carnalem commiſceri. Quo dicto & luminibus extinctis, quilibet ſibi proximam mulierem proſternebat: &, ſi ex tali concubitu mulier concepiſſet, infans genitus in eam ſpeluncam deferebatur, & per ſingulas manus tamdiu, totieſque tradebatur, quouſque animam exhalabat: iſque in cuius manibus expirabat inde maximus Pontifex creatus habebatur. Docebant etiam nihil proprij habendum, nec reſpublicas eſſe adminiſtrandas a Chriſtianis. Item viſionem animarum differri vſque in nouiſſimum diem, contra illud Chriſti ad latronem: Hodie mecum eris in paradiſo. Et ſimiles phanaticas opiniones habuere. De his in extrauagante Ioannis XXII. quæ incipit, Sancta Romana, ita dicitur: Nonnulli profanæ multitudinis viri, qui vulgariter Fratricelli ſeu fratres de paupere vita, Biſochi, ſiue Beguini, vel alijs nominibus nuncupantur in partibus Italiæ, necnon in Inſula Siculienſi, contra Canones habitum nouæ religionis ſumpſerunt.* & infra: *Et quia in errorum barathrum faciliter ruunt, qui conceptus proprios Patrum diffinitionibus anteponunt, ipſorum quamplurimi (ſicut fide digna relatione percepimus) a veritate Catholica fidei deuiantes, Eccleſiaſtica ſacramenta deſpiciunt, ac alios errores ſtudent multipliciter ſeminare,* &c. *Benè ergo in Oſeæ Prophetæ caput ſeptimum dicit gloſſa: Hæreticis eſt væ æternum, qui recedunt à Creatore, & vlulant in conciliabulis ſuis, quæ inde cubilia, & luſtra ferarum meritò appellantur, in quibus libidini, & ſtupris vacant. Quidquid tamen dicunt, putant ſe in laudes Dei dicere: quod nihil aliud, quam vlulatus luporum, & canum inſanientium ſonitus eſt. Hanc autem hæreſim Bonifacius VIII. damnauit, & vbique perſecutus eſt, cuius author fuit quidam Italus Hermannus nomine, de quo infra latius dicetur ſuo loco.*

Adiiciamus quæ hîc promittit amplioris teſtimonij gratia ex lib. 8. verb. *Hermannus Italus.*

Hermannus, inquit, *patriâ Italus, author fuit hæreſis Fratricellorum, quorum prius meminimus. Huius corpus apud Ferrariam iam viginti annis ſepultum, & qui pro diuo quodam colebatur, exhumari fecit, & in cineres redigi Bonifacius VIII. ſummus Romanorum Antiſtes, circa annum Domini*

Domini 1297. ſub Adolfo Cæſare Germano diligenti & accurata ſuper hac re habita prius inquiſitione. Nec tamen ob hoc hæreſis ea exterminari valuit, dicebántque eiſdem aſſectatores nec Bonifacium, nec quenquam eius ſucceſſorem, iure, & ordine creatum eſſe Pontificem. Vnde & clam conuenticulis initis ſummis Pontificibus aduerſari cœperunt: quanquam magis luxuriæ & libidinis blandimenta ſequi viderentur, quàm iuris Pontificij quatere fundamenta. Eſt verò hic annotandum diuum Auguſtinum diuerſis epiſtolis ſcripſiſſe, in quibus contendit hæreticos poſt mortem etiam anathematizandos eſſe, quamuis hac de re in vita ſua accuſati non fuerint. Talem enim, inquit, *eccleſiaſticam traditionem non ſolùm ſancta Romana Eccleſia aduerſus quoſdam Epiſcopos, ſed & alij Epiſcopi aduerſus alios ſeruauerunt. De hac re vide plura in Fratricellis.*

En completum Prateolum, non alium ab eo, quem diuiſit Bzouius, totum ei libenter conceſſerim; ille diuiſioni ſtudens truncum violentè rapit, aut verius contempta carne, quæ munda eſt, inſtar corui ad ſtercus, & ilia volat, turpitudinem, ſceleráque Fratricellorum aſſumpſit, reliqua dimiſit quæ Hermannum fundatorem ſectæ deſignant, quæ decretalem Ioannis contra ſectatores Hermanni conditam, & promulgatam exponunt, quæ eoſdem ſub Bonifacio VIII. antequam ederetur Clementina, *Exiui de paradiſo*, &c. aliquot luſtris præceſſiſſe docent, quæ oſtendunt oſſa hæreſiarchæ, eiuſdem Bonifacij mandato exhumata, atque igni tradita eſſe, quæ vltionem hæreſis vbique ſub Bonifacio deſcribunt viguiſſe. Hæc, inquam, omiſit Bzouius. Hæc commiſit in Franciſcanos ea arte, qua Clementinam contra hæreticos, & ſectam Fratricellorum ab ipſis collectam finxit emanaſſe, damnatóſque Franciſcanos in præmiſſa Ioannis extrauagante, atque in ſectarios præfatos lata, & ne quid ad infamiæ complementum Franciſcanis deeſſet, aut minus ſeriò fidei, & veritatis zelum ſub pectore geſtaſſe deprehenderetur Bzouius; velut iam ſæpius damnatos, & Decretalis ſententia comprehenſos, perculſos, inuiſos, atque ad ſua latibula confugientes errones ſiſtit, trahenſque inuitos ad tribunal, ſcelera propalat, vt iam inſtitutam extenſo digito actionem proſequeretur. *Hi*, inquit, *vt author eſt Prateolus Anabaptiſtarum more qui noſtra hac ætate in incertum vagantur, promiſcuos concubitus licitos eſſe ſenſerunt*, &c.

Saluâ pace, author non eſt Prateolus eos, quos tu deſignas, ita ſenſiſſe, in hoc te lectorem non agnoſcit, nec ſuum optaret magnus Hilarius, apud quem *optimus lector eſt, qui dictorum intelligentiam expectat ex dictis potius, quàm imponat, & retulerit magis, quam attulerit, neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præſumpſerit intelligendum*, &c. hac tota narratione non obſeruaſti, intelligentiam decretalium non expectaſti ex dictis, ante lectionem ex teipſo impoſuiſti; attuliſti ex tuo, non ex ſenſu literæ retuliſti; cogis id videri in dictis contineri, quod ante lectionem intelligendum præſumpſiſti; & religioni fuit, quidquam omnino detrahere. Quid interim de Prateolo dicam, qui velut in ſcenam fœdè raptatus, mutilatis auribus decurta ſupra verecundiam veſte, præter meritum caſtigatus, in Franciſcanos 1. de Trin.

teſtimo

teſtimonium dixit te interprete ? neſcio vbinam gentium talis præſumptio, & corruptela trahi poſſit in exemplum; ſi ſingularem eam tibi effectas, poſſide ſecurè cognata ſtemmata & detractoris nomen,& meritum falſarij; quo ipſo primùm titulo admoneatur lector, quibus annis, & artibus in Franciſcanos moueat Bzouius. Quid precor aliud reſtat? Decretalibus Clementis, & Ioannis Pontificis figmentum ſuppoſuiſti, falſaſti Prateolum vt authoribus in noſtros agere,idque hiſtoriæ currentis neceſſitate videreris, cùm totius narrationis nullum veritate fulciatur adſertum. Ad ignominiam tuam conſpice totius ſtrophæ compendium, & in tabulas variis criminibus relatum artificium.

1. Verba regulæ contra verum ſenſum torquere.
2. Sodales in errorem ſeducere.
3. Sectam Fratricellorum colligere.
4. Doluiſſe Clementini decreti promulgationem.
5. Paſſim per ciuitates & curias Regum detrahere Pontificibus
6. Multa nimis procaci dicacitate auribus Catholicis indigna ſpargere.
7. Quod damnationis ſententiam neceſſium fuit in impios ſtatuere
8. Anabaptiſtarum more promiſcuos cubitus licitos docere.
9. Speciosiores quaſque viduas & virgines ſeducere.
10. Diuinas laudes hypocritarum more ianuis clauſis ad comparandam fidem obtendere.
11. Nefandiſſimas libidinationes committere per inuocationem ſancti Spiritus, eas committendas docere.
12. Infanticidium committere.
13. Pontificum ſuperſtitioſa, & fantaſtica creatio.
14. Docere nihil habendum proprium.
15. Reſpublicas à Chriſtianis non eſſe adminiſtrandas.

Hunc fructum produxit Franciſcana religio in tabulis Bzouianis:non ſuccenſeat ergo lector, ſi veram radicem inueſtigantes, tantam ex ſinu abominationem excuſſimus, & Ingeſtas extrinſecus ſordes ad propriam reiecimus ſentinam.Non ſuccenſeat etiam Bzouius,quòd minutim ſcopas circumduxerim per remotos etiam angulos, quia meminiſſe debet, hîc reliquarum iniuriarum ſemina primum ſe ieciſſe, quæ vberius deinceps germinant per reliquum tomum; ideo diligentiorem adhibens manum in vnum cumulaui verſiculum, ne amplius ſuccreſcant ad perniciem. Progrediamur deinceps ad reliqua.

Sed me immemorem ? penè mihi excidit interrogare, quorſum inter reliquos errores Fratricellorum,vnum & illum præteriuit de animarum viſione,quæ ex eorum ſententia vſque in diem iudicij differebatur, & quem deſcripſit Prateolus, quamquam fortè non conceſſerim eam Fratricellorum opinionem fuiſſe ? forſitan Ioanni Pontifici parcere voluit, cuius ea fuiſſe ſententia perhibetur, ne impar viribus certamen importunè pro illius honore ſuſcipiendum eſſet. an tam inermis ſcriptor Annalium, vt defendere non poſſit, id quod primum opinio fuit, poſt definitionem Benedicti ſucceſſoris, tranſiiſſe in errorem; ſed hoc

repoſitum

repoſitum eſſe voluit in maioris & certaminis & gloriæ monumentum, quod infra anno 1332. excitabit de Ioanne Pontifice & Franciſcanis erecto ad oſtentationem in gloriam ſui ordinis titulo, pluſquàm triumphaturus. Sed ibi nos etiam applaudemus victori.

Anno 1318. num. 1.

B Z O V. *Si quo vnquam alio, hoc præſertim tempore, impletum eſt in Eccleſia orthodoxa illud ſolemne propheticum; qui manducat panem meum, leuauit ſuper me calcaneum ſuum. Quidam enim ex Ordine fratrum Minorum, cum omnium bonorum religionis ſuæ dominium Romanæ Eccleſiæ attribuerent, nec ſe alios quàm vſufructuarios rerum tam mobilium, quam ſtabilium eſſe profitentur comedentes panem (ex illorum ſenſu) Eccleſiæ, contra Eccleſiam inſurgere, & tum ſchiſmati viam aperire materiámque miniſtrare, tum hoſtibus Apoſtolicæ Sedis occaſiones non modicas ſuppeditare. Præſtat ea ipſa ex literis Pontificis cognoſcere, vt qualis ſtatus rerum tum fuerit certo certius perſpiciatur. ita habent: Ioannes Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei,* &c. *Glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, quam Chriſtus dilexit*, &c. reliqua apud authorem ad longum vide. Prædictis autem hæc marginalis adiecta eſt nota, *Fratrum quorundam Minorum pertinacia dogmata, & blaſphemiæ*, &c.

Hunc annum ingreditur author non immemor Minoritarum, eis primitias conſecrat ſui laboris, atque initium inuentionis, quaſi nihil aliud ſcribendum offerretur. Opportunè etiam occurrit decretalis, quæ in Henricum de Seua Eccleſiaſticæ diſciplinæ mucronem ſtrinxit, oblata videtur; quæſita tamen occaſio eſt; quam raptim, extensiſque manibus captauit aduerſarius, totámque mox cum fœnore repoſuit, arte & ingenio diues, vt vno dicam verbo, loquentior apud Bzouium quàm ex propriis monumentis, Pontifex. Aduerſarij improba induſtria.

B Z O V. Cœperunt apud Bzouium fratres Minores *ſchiſmati viam aperire, materiámque miniſtrare, tum hoſtibus Apoſtolicæ Sedis occaſiones non modicas ſuppeditare. Sed præſtat*, inquit, *ea omnia ex literis Pontificis cognoſcere, vt qualis ſtatus rerum tunc fuerit, certo certius perſpiciatur.* Tempeſtiua ſanè occupatio; ſi enim ex literis Pontificis hæc omnia cognoſcantur, & certo certius perſpiciantur, ſuſpicio omnis concidit, nulla aduerſus authorem obiectio præualet, aut valet exceptio. Verùm neſcio quo meo fato, ſeu verius infirmitate cœcutiam in tanta claritate, & lumine demonſtrationis, certitudiniſque Bzouianæ, vt quæ etiam certo certiora ſunt illi, & vel ipſo ſole clariora, mihi ne vmbra quidem appareant: Veruntamen ille extenſo non ſemel indice, decretalem obiicit, atque ad eius lectionem quo illa *certo certius perſpiciantur*, me prouocat. Et ego viciſſim non ſecus ad hoc ipſum inuito lectorem, nihil verens, quin abundantiæ Bzouianæ ſcaturigines ſit agniturus, quas vano

conatu emiſſas, atque in liberiore veritatis occurrente aura diſſipatos, recidiuus mox in proprium fontem lapſus natiuo pondere reduxit. Multa quidem ille, vt ſolet, imponit decretalibus, quas hæ non agnoſcunt; nec mirum videri cuiquam debet ſi in præſentiarum eas aduerſus damnatos producat, quas ſæpe ſæpius contra inſontes torſit.

Duo igitur potiſſimum (vt rem aggrediar) in diſceptationem veniunt. Primò diluendum erit crimen quod fallaciter tanquam ex decretali notum adſcribit aduerſarius. Secundò expendendum, quid ex parte, de ipſa ſentiendum ſit decretali, atque probandum falſæ informationis obtentu, quoad aliqua, emanaſſe. Primùm tamen admoneo, nec me patrocinium Henrici de Seua, vel adhærentium aſſumere, nec quæ præter ius, & æquitatem vel is ipſe, vel alius quiſquam patrauit, tanquam iure factum ſuſtinere. Verum enim verò quia ex iis perperam corpori, & ſtatui inuidiam non ſine fraude procurari, eorúmque facta maiori aggeratione, quàm veritas, aut ratio permittit, aggrauari, nouáque præter fidem ſcelera video comminiſci, quam profiteor, veritatem defendam, modúmque tantæ libertati ſtatuere non verebor, ne maleuolentia, quæ ex ſilentio efferatur, ceruicem excutiens, plus æquo attollatur, aut inuidentia, quæ in malè affectis & tabidis membris continuo velut in vlceribus quibuſdam paſcitur in reliquum ſerpere corpus, aut, quæ ſana ſunt, carpere præſumat. Quanquam & hoc ipſum ex Baſilio obiicere iure merito poſſem, tantíque Patris interponere iudicium aduerſus eum, qui offenſionem in paucis toti conatur multitudini ſtatuere, cætera omittens, quæ laudem, & commendationem merentur. *Vultures*, inquit Baſilius, *ad maleolentia corpora præteritis amœnis, & odoriferis locis feruntur, & muſcæ ſana præteruolantes, ad vlcera feſtinant: ſic inuidi ſplendida, & magna, & præclara facta ne intuentur quidem, ſed putrida inuadunt.*

Deliquiſſe Seuam, & reliquos ſodales, nec morem Prælatis, aut Pontifici debitum geſſiſſe, certum; idque ad plauſum concedimus aduerſarij. Schiſmati tamen viam aperuiſſe, vt is imponit, hoſtibus Sedis Apoſtolicæ occaſiones non modicas ſuppeditaſſe, materiámque miniſtraſſe, criminationes ſunt authoris, quibus ſufficiens deeſt probatio, & teſtimonium. *Præſtat*, inquit, *ea omnia ex literis Pontificis cognoſcere*, &c. imò & *certo certius perſpicere.* Præſtat vtique, & reſtat certè, vt ex aliis ea cognoſcamus præter has, quas ille inſerit, quæ tale non continent; nihil porrò aliud iam dictis obiicit Pontifex, niſi inobedientiam, & apoſtaſiam ab ordine cum diuiſione ſui à reliquo corpore, nouitatem in forma habitus, & expreſſas inibi hæreſes, quæ tamen, vt mox videbimus, per errorem, & malignam informationem irrepſerunt in ſententiam; ne verbum quidem Pontifex aut decretalis de aperta via ſchiſmati, aut de occaſionibus illis non modicis ſuppeditatis hoſtibus Sedis Apoſtolicæ, materiáque miniſtrata: illa proinde Bzouij perſpectiua certo certius fefellit, & cognitio defecit. Aliæ ergo perquirendæ litteræ, hæ nihil confirmant. Verùm quoniam iam prolatæ refragentur narrationi,

Iniqua criminatio.

tioni, reliquum eſt, vt ego meas produxero quæ ſchiſmatis authores, & cauſas veras; veras dico, non fictas, manifeſtè docebunt. Hæc pauca tamen præmitto.

Schiſma, de quo agimus, notum eſt fuiſſe illud, quod inter Imperatorem Ludouicum Bauarum, & Pontificem, mox inter hunc, & intruſum Corbarium viguit, & hoc etiam intendit aduerſarius, cuius originem, & cauſas in fratres Minores libentius, quàm veriùs refert. Cauſas, & originem huius ſchiſmatis alij in Imperatorem, alij in ipſum Pontificem, alij in vtrúmque, pro ſuo quiſque affectu, coniiciunt; nulli autem in fratres Minores. Cauſæ fuerunt quòd electo Ludouico Ioannes Pontifex negarit confirmationem, intentans abrogationem: Ille verò contra in ordinem redigi nolens, perſeuerarit in accepta ſemel poteſtate, quam ſolo electionis titulo dari adſtruxit. Quiſque ſuas hincinde allegat cauſas, ille in ſententia aduerſus Ludouicum; hic verò ſuis aduerſus Ioannem appellationibus; cuius cauſam acerrimè defendit magnus Heruartus. De hac controuerſia videri poſſunt Villanus, Rebdorfius, Cuſpinianus, Mutius Argentinenſis, Blondus, Nauclerus, & alij paſſim hiſtorici, qui acta ſcripſerunt illorum temporum ab an. 1314. vſque ad 1333. & amplius, quiſque ſchiſmatis originem à præſcriptis iam fontibus deducunt. De hac re author Chronici aulæ regiæ, qui tum vixit ſuámque hiſtoriam ſcripſit, ita habet. Schiſma veraque eius cauſæ.

Hoc anno ſcilicet 1314. *inter Ioannem Papam X X I I. & inter Ludouicum Regem Romanorum diſcordia, quæ latuerat, omnibus innoteſcit, & ex hac, in Sancta Matre Eccleſia cum ſcandalo maximum ſchiſma creſcit. Hi contra ſe alterutrum proceſſus faciunt, quos vbique publicant, & ipſis proceſſibus (vt patet ex legentibus) leges, & iura allegant. Papa in proceſſu ſuo Ludouicum non Regem, ſed occupatorem Imperij nominat. Ac vice verſa Ludouicus Papam hereſiarcham in quadam, quam formauit, appellatione: ex hoc periculoſo litigio ſcandalum ſurgit in populo, turbatio fit in clero*, &c. Chronicon aulæ regiæ.

Rebdorfius ad annum 1314. *Sed ſopito*, inquit, *hoc ſchiſmate* (quod fuit inter electos Ludouicum & Fredericum Auſtriacum) *& turbatione, per captiuitatem Frederici, & obitum ipſius, ad fratrum ſuorum Leopoldi, & Henrici Ducum Auſtriæ, grauius cœpit in Italia, & Alemannia, maximè in clero, ex eo quòd Eccleſia graues proceſſus fecit contra dictum Ludouicum anathematizando eum & hereſi condemnando, perſonas, & loca, interdicto Eccleſiaſtico ſupponendo*, &c. Rebdorfius.

Blondus dec. 2. lib. *Ludouicum Bauariæ Ducem ideo recuſare dixit* (ſupple, Pontifex) *quòd præter admiſſum in conſobrino, ſecum in controuerſia electo, ſcelus, multa præſumpſerit facere, & concedere Imperatoris Romani legitimè per omnes gradus inſtituti, excedentia poteſtatem*, &c. Eadem Nauclerus & alij, ſed vt os aduerſario obſtruam, ſuos profero. Blondus.

Ciaconius in Ioannem X X I I. *Tres legatos miſit* (ſupple, Pontifex) *qui iuberent eum* (Imperatorem nempe) *Imperij ditione excedere, neque eius iura violare, eum legitimum eſſe Imperatorem haudquaquam eſſe affirmantes*; Ciaconius.

mantes; nihil proinde in Italia iuris habere, quod ab Eccleſia non eſſet adhuc confirmatus; admirari verò ſe, cùm ipſe auderet hæreticis, & excommunicatis Vicecomitibus Mediolanenſibus auxilium præſtare. Eo reſponſo irritatus Ludouicus ſubſidium oppreſſis Vicecomitibus etiam inuito Pontifice miſit, &c. ſubiunxit idem author fuiſſe excommunicatum, appellationem autem ab illo interpoſitam fuiſſe.

Anton. Antoninus 3.p.hiſt. tit.22.cap.5. §.8. *Anno 1323. menſe Octobr. Ioannes Papa in publico conſiſtorio Auenione protulit ſententiam excommunicationis contra Ludouicum Bauarum, electum Regem Romanorum, ex eo quòd miſerat copias ſuas in adiutorium Domini Galeatij, & fratrum eius qui tyrannicè dominabantur Mediolano, & alijs ciuitatibus pluribus in Longobardia contra pugnatores pro Eccleſia, opponendo eidem Ludouico, quod non erat ei licitum, vti officio Imperatoris, quouſque foret confirmatus ab Eccleſia, deditque ei terminum trium menſium infra quem teneretur renunciari electioni de ſe factæ*, &c. & paulò inferius. *Ludouicus autem præfatus poſtquam recepit litteras proceſſum huiuſmodi continentes, habito conſilio ſuorum appellauit ad ipſum Papam malè informatum, benè informandum & etiam ad Concilium generale quando eſſet Romæ in Sede Petri*, &c.

BZOV. Idem ipſe author Bzouius ſui vbique immemor anno 1316. nu.4. ſeu veras, ſeu fictas cauſas huius diſcordiæ edocet: *Facile, inquit, fuit Matthæo Vicecomiti ferociam in aduerſarios Guelphos explicare, quod is à Ludouico Bauaro titulum Vicarij Imperij in vniuerſa Italia ſibi rite collatum eſſe putaret. Nam & hic, quo ſibi, ſuiſque in Italiam iter aperiret atque adeo ad Imperij inſignia totius Italiæ dominium aſſequendum facilitatem præoccuparet inciiantibus Germanica caſibus Henrici mutatis, nihil aliud animo verſabat, quàm vt Gibelinos contra Guelphos armaret, ac vtráſque factiones ad inuicem committeret; ſpecie quidem Gibellinos defendendi; reuera autem Italiæ, & vrbis Romanæ per abſentiam Pontificum occupandæ*, &c. Congerit alia ibidem plura, adiiciens legatos tum miſſos à Bauaro qui expoſcerent confirmationem, ac tandem ſubiicit: *Non potuit* (ſupple, Ioannes) *quicquam Ludouico tum properè concedere, quod Fredericus competitor à ſaniore parte electus*, &c. *illud etiam Ioannem Pontificem aliquantulum offenderat quòd Ludouicus armis, non iure, de iure Imperij, cum Frederico decerneret: & præcipiti temeritate prouinciis, & vrbibus Italiæ Gubernatores, Vicariòſque præponeret, adeòque ius ad Imperium præoccuparet*, &c.

Sed proferamus Ioannis litteras atque Ludouici appellationem, & videamus quænam prætendant motiua. Ita imprimis habet monitorium datum Idibus Octobris anno 8. Pontificatus.

Monitoriū Ioannis contra Ludouicum. *Attendentes quod dum errori*, &c. Poſtquam vacationem Imperij refert ex morte Henrici Imperatoris, electionémque dictorum Frederici, & Ludouici in diſcordia, loquens de hoc ſubiicit; *Verùm præfatus Ludouicus à nobis ad quem ſuæ electionis huiuſmodi, ſicut præmittitur, in diſcordia celebratæ, ac perſonæ ipſius examinatio, approbatio, ac admiſſio, repulſio quoque, & reprobatio noſcitur pertinere, electione prædicta nequaquam admiſſa, nec eius approbata perſona*, &c. *Præfati Romanorum*

norum Regni nomen ſibi, & titulum Regium vſurpauit; quamuis priuſquàm alterutrius eorum per Sedem Apoſtolicam fuiſſet approbata perſona, neutri electorum ipſorum aſſumere licuit nomen, & titulum prælibatum, cùm nec interim Romanorum Reges exiſtant, ſed in Reges electi; nec ſint habendi pro Regibus nec Reges etiam nominandi. Ecce motiuum primum.

Secundum motiuum quod ſe immiſcuerit regimini Imperij ante confirmationem obtentam. Ita porrò Pontifex:

Idem etiam Ludouicus eodem præſumpto titulo non contentus, adminiſtrationem iurium Regni, & Imperij prædictorum, in grauem offenſam, & contemptum ac manifeſtam iniuriam Romanæ Eccleſiæ matris ſuæ, ad quam eiuſdem vacationis tempore, Imperij regimen, ſicut, & in præſentiarum vacat, pertinere dignoſcitur, &c. *Séque illi immiſcere irreuerenter, ac indebitè præſumpſit hactenus, & præſumit exigendo, & recipiendo ſub præfato titulo Regio fidelitatis in Alemannia, & nonnullis Italiæ partibus*, &c. *Iuramenta*, &c.

Tertium motiuum eſt, quod auxilium ſubmiſerit hoſtibus Eccleſiæ Vicecomitibus. Hæc tria motiua expreſſit Pontifex in decreto ſuo monitorio, quibus non interueniunt fratres Minores, eadem ipſa in pluribus aliis epiſtolis eiuſdem Pontificis habentur; quas videre poteſt lector apud Bzouium ad annum 1324.

Quid autem Ludouicus Imperator in ſua appellatione? *Nos Ludouicus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, dicimus, aſſerimus, & proponimus, quod licèt Domino noſtro Summo Pontifici, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ matri noſtræ ſynceræ deuotionis affectum, cum debita reuerentia ſemper exhibuerimus, & honore: Ad noſtrum tamen quod contra præmiſſa, minimè ſperabamus, recenter peruenit auditum, eundem in Romana Curia quoſdam proceſſus contra nos minus gratioſos publicaſſe, imò, quod ſaluâ reuerentiâ dicamus, animoſos nimis, odioſos, & iniurioſos, ex cauſis non veris, & contra iura, & rationem habitos, & confictos, vergentes in noſtrum, & ſacri Imperij diſpendium, & iacturam, & ſcandalum plurimorum, vnde diſſidiis, & ſchiſmatibus materia præparatur. Cùm tam patenter cernitur indiſſolidationem integritatis Eccleſiæ iniurias inde procedere vnde debet fons iuris, & iuſtitiæ deriuari*, &c. Hæc Imperator. **Appellatio Ludouici.**

Ex dictis itaque initium, & cauſas ſchiſmatis inter Pontificem, & Imperatorem conſtat, ex vtriuſque diſſidio, atque poteſtatis circa res Imperij æmulatione, emerſiſſe; nec lego Minores quoſdam Bauaro áut tum adhæſiſſe, aut occaſiones miniſtraſſe, aut viam ſchiſmati aperuiſſe. Imò vt ex ipſa apparet appellatione, inuiſos fuiſſe videtur, dum cōmentū aduerſariorum in dicta appellatione ſequutos, tanquā ſacrilegos agit de reuelatione ſigilli ſacramentalis, omiſſionémque debitæ caſtigationis in Pontificem tanquam conſcium, & conſentientem torquet. Huius criminationis (licet Franciſcanos à prætenſa actione abſoluat) fateor me latere originem; eam porrò in ſola Ludouici appellatione inuenio: ſcio tamen mendicantes omnes religioſos tum multa paſſos à Clero potiſſimum Gallicano; quibus acceſſit ſcriptum Ioannis de Polliaco Pariſienſis Doctoris condemnatum à Ioanne XXII. Is porrò docuit plura

quæ populum auerterent à confeſſione facienda religioſis Ordinum Mendicantium, vt quòd confeſſi fratribus tenerentur eadem peccata Parocho iterum confiteri: Quod Papa non poſſit generalem poteſtatem audiendi confeſſiones dare fratribus; Imò nec Deus, quin confeſſus iterum teneatur eadem proprio Parocho confiteri. Item quod ſtante decretali, *omnis vtriuſque ſexus*, &c. edita in Concilio Generali non poſſit Papa facere, nec Deus ipſe quin teneantur Parochiani confiteri proprio Sacerdoti ſemel in anno. Nec defuerunt tum etiam fortè Ludouico Ioannes de Ianduno, & Marſilius à Padua, toti Eccleſiaſtico ordini infenſiſſimi, qui hoc idem imponerent, ſicut & plura alia aduerſus ipſam fidei veritatem ſeminarunt, vt conſtat ex damnatione in eos lata & authoribus, Prateolo, Lutzemburgo, & aliis paſſim. Vide illam apud Bzouium ad annum 1327. de iis ita Rebdorfius ad annum 1324. *Item idem Papa quendam Magiſtrum Peruſiis Ioannem de Ganduno, & alium Marſilium de Padua, qui aliquos libros peſtiferos, & contra honorem Eccleſiæ compoſuerant, condemnauit, quos prædictus Ludouicus in ſua familiaritate tenuit, de quorum conſilio appellationem contra proceſſus interpoſuit, cui multos articulos inſeruit*, &c. Potuit etiam Iandunus Doctor Peruſinus ſpecialem contra Franciſcanos rancorem decoxiſſe, quod fortè illi, penes quos in iis partibus, atque circa vallem Spoletanam inquiſitionis munus demandatum, perſeuerauit emeritam tantis ſceleribus pœnam intentarint, quam fuga euaſit. Sed quidquid ſit, non is fuit Ioannes, nec ea eius in Franciſcanos obſeruantia, vt tam atrox facinus, ſi aliquâ ſubſiſteret firmitate, in perniciem animorum diſſimularet, nihil tamen hac ex parte paſſos eos fuiſſe proditum reperio. Regredior itaque ad propoſitum & concludo crimen de aperta ſchiſmati via falſum eſſe.

Errores Poliiaci.

Calumnia refutata.

2. Crimen.

Aliud obtruditur nobis crimen, quod videlicet, *fratres Minores occaſiones non modicas ſuppeditarint hoſtibus Apoſtolicæ Sedis*. Hoſtes autem Sedis Apoſtolicæ ſoli tum fuerunt Ludouicus Bauarus, & Vicecomites Mediolanenſ. cum adhærentibus, prout illum narratio concernit iam ſatis profligata eſt, nec ſtabilior eſt, ſi alteram partem ſpectet: de hac enim nihil decretalis præmiſſa, imò, ſi in Vicecomites promulgatam ſententiam intueamur, eos nonnullam Franciſcanis exhibuiſſe moleſtiam conſtabit; nam inter reliqua quæ obiicit Matthæo Vicecomiti, ſunt hæc: *Interdicit etiam præfatus Matthæus tam Prælatis eiſdem, quàm religioſis Prædicatorum, & Minorum Ordinum ac Eremitarum Sancti Auguſtini fratribus, & aliorum Ordinum paupertatis, ne Synodos, aut Concilia, vel Capitula qualibet audeant congregare, vel in eorum ſubditos viſitationis officium, aut aliàs prædicationis miniſterium exercere præſumant*, &c. Perpercisset ſaltim Matthæus Franciſcanis, dum occaſiones non modicas ſuppeditaſſent, ſi non virtutis beneficiique ſtudio, obſequij ſaltem fiducia, captandæque non modicæ occaſionis: nam quod apud bonos honeſtas obtinet, hoc idem apud malos affectus vtilitatis præſtat, qui radicem proprij commodi, aut lucri haudquaquam exſcindit, ſed omni labore, & induſtria colit, nutrit, fouétque.

Accedit

Accedit vt iis, contra quos hæc decretalis emanauit, nec tempus, nec locus, nec facultas quantumuis minima rei fuerit tentandæ, aut perpetrandæ; nam, vt ex ipſa decretali liquet, pauciores erant fratres vnius Prouinciæ Tuſciæ, qui ſub Clemente V. prætextu ſtrictioris obſeruantiæ, ſeu, vt ipſi prætendebant, neceſſitate, ſeipſos à corpore Prouinciæ diuiſerunt, & vitam æmulari arctiorem, ſeorſim ab aliis occupatis locis quibuſdam Prouinciæ idoneis degebant: Vnde mox cùm ex mandato Clementis (quod edita Clementina, *Exiui de Paradiſo*, emanauit) ad reliqui corporis priſtinam compagem redire cogerentur, fugam arripuerunt in Siciliam, vbi deinceps vſque in Ioannis electionem hæſerunt, à quo pridem tota factio diſſipata eſt, ſcriptis litteris ad Regem Fredericum, & Prælatos Inſulæ; dilapſi mox partim in Græciam, partim in ſolitaria & inuia regni loca ſe contulerunt, de quibus nihil amplius proditum reperimus. Quid ergo his commercij potuit eſſe cum hoſtibus Ioannis, Vicecomitibus Mediolani, aut Ludouico Bauaro etiam tum in Germania exiſtente? nihil ſanè potuit fuiſſe, aliàs in tantis perſecutionibus, deficiente omni ſubſidio, ad illorum patrocinium, quibus non modicas occaſiones ſuppeditarunt, magis erat confugiendum, quàm fugiendum in Orientem. Humilior etiam ſors fratrum, diſtantia locorum, interiecti hoſtes, domeſtica afflictio, imminens perſecutio, ſolicitudo euentus, defectus poteſtatis & authoritatis, inanes occaſiones exciderunt, non ſuppeditarunt. Videat quæſo ipſe aduerſarius, ac tandem redeat ad cor; videat, inquam, quàm ridiculum ſit, vt ij quibus propriæ cladis nullum conceſſit remedium, tantis Principibus occaſiones potuerint ſuppeditaſſe, velut ſi muſca aranearum implexa laqueis in auxilium leonis aduolaſſet. Quod ſi illi ſuppeditarunt, & hi proculdubio acceptarunt, nullus enim quantumuis imprudens occaſiones non modicas contemnit, niſi ſe peſſum ire maluerit. Dic ergo ſodes quænam illæ? arma fortè vel equos? ſed hoc ridiculum eſt. Pecuniam aut commeatus? nihil minus in tanta inopia, alios Principes vocarunt fortè in ſubſidium? dic, quinam illi, caſtra hoſtium, aut municiones prodiderunt? conſilia explorarunt? authorem profert, rebus arduis interuenerunt conſiliarij? quid ais? expugnarunt ipſos hoſtes? video, quænam ergo? dic, ſi poteſt, quænam illæ occaſiones? illæ nempe ſolæ, quas tu fingis, & nulla induſtria, vulgari pingis artificio, quo omnia incommoda horum, aliorúmque temporum in fratres Minores congeras, atque ab iis omnium malorum iniecta primordia, adiecta fomenta perſcribas: ita ſcilicet obliquo cedis ictu, vt incautum, minúſque circumſpectum ferias; ſed nobis quaqua verſum oculi voluuntur ne dormientibus, & improuiſis aduenias.

Ad alteram interim criminationis partem accedo, eo quidem grauiorem, quo maiori obiicitur authoritate decretalis Pontificiæ, non vulgaris perſonæ, nec accuſatoris, ſed ipſius iudicis ſententia, quæ omni teſtimonio ſuperior, acceptiórque euadit. Verumtamen licèt ea ſupremi tribunalis ſit authoritas, vt ei reſiſtere, aut refragari omnino nefas habeatur, is tamen veritatis cultus, atque iuſtitiæ ratio, vt in iis, quæ facti

Diluuntur ea quæ ex decretali obiiciuntur.

facti ſunt, & quibus informatio, inſtantiáque partium interuenit, ſi quando iniquitas, aut maligna fraus ſurrepat, veritati tardius etiam aduenienti ſemper deferatur; & hoc quidem ſine vlla inconſtantiæ, aut erroris nota. Sanctæ nimirum Sedis eſt, leges præſcribere, ius dare, in quibus falli nequit, vel fallere, aut à vera rectitudinis norma, vel modicum recedere: partium verò, informare, cauſas exponere, grauamina allegare, quibus paſſio, commodum, ſtudium priuatum, non rarò ſubeſt, à veritate abſtrahit, ad mendacia, improperia, falſas criminationes, conficta pericula, malos dolos attrahit, eo vtique damnoſius, quo non veritati modò, ſed tanti iudicis ſacræ imponit maieſtati. Huiuſmodi itáque informationis falſæ interuentu, obreptionis etiam, quo ad aliqua, atque ſurreptionis, quæ conſtitutiones vitiant, decretalem obtentam fuiſſe, operæpretium eſt probemus.

Probatur ſurreptio decretalis quoad aliqua.

In primis non leue, ſed euidens argumentum eſt falſæ informationis nimia acerbitas, & inuectio ſtyli ſine vlla perſonarum exceptione aduerſus eos, qui regulari obſeruantiæ, & puritati adhærebant; eandémque in alios transformare ſatagebant; ſpecialiter námque perſtringit fratrem Petrum Ioannis, qui ſub Nicolao I V. incurrit aliquorum (quibus via latior placuit) indignationem, ex ſtudio veræ diſciplinæ, & ſeruandæ paupertatis, quæ poſt Concilium Lugdunenſe paulatim defluebat. Nec obtuſiores aculeos coniicit in eos Patres, qui in Concilio Viennenſi reformationis negotium conſtanter peregerunt, his promiſcuè inurens, *Quòd altiora ſe petierint; quòd præpoſteris, & perturbatis gradibus in magnis, & mirabilibus ſupra ſe ambulare conarentur, quòd peſtilentiſſimas nouitates inducerent*, &c. Quæ nullo veritatis fulcimento ſuſtineri, aut de iiſdem potuerunt dici. Nam vt Petrum Ioannis (cuius innocentiam infra latiùs demonſtrabo) omittam, illa locum non habent in iis, qui reformationi incubuerunt ſub Clemente, ne dicam verè, ſed nec apparenter, cùm abuſus quos in regulam committi aiebant, & maximè quo ad paupertatis obſeruantiam, declaratum fuerit à Pontifice, & Concilio peccata eſſe in regulam; ergo eorum contrarium procurare, inducere, in eo ambulare, non eſt ſupra ſe ambulare in magnis, & mirabilibus, aut nouitates peſtilentiſſimas inducere; aliàs declaratio Pontificia mater tam iniquæ ſobolis, & peſtilentiſſimæ nouitatis foret, contra expreſſum ipſius Ioannis Papæ teſtimonium, in extrauaganti quam edidit ſuper eâdem regulâ anno ſecundo ſui Pontificatus, atque incipit; *Quorumdam*, &c. de ea enim ſimul cum declaratione Nicolai loquens, refert, *ſalubriter editas, ſolidas quidem, claras & lucidas, multáque maturitate digeſtas.*

Narratio decretalis.

Verùm vt ſubreptionem informationis amplius oſtendamus, placet eam cum Clementis epiſtola conferre, ita nempe poſt generalem illam inuectiuam ſubiicit narratio.

Sed horum (ſupple, Petri Ioannis, & ſequacium) *nouitates hoc remedio compreſſas fuiſſe, potius quam extinctas, rediuiuus error enunciat, & triſtis experientia manifeſtat. Nuper enim nonnulli factionis ſuperſtites memoratæ, adiunctis ſibi quàm pluribus è dicta Prouincia. Prouinciæ, &*

Prouinciæ

Prouincia Tuſcia, & aliis diuerſarum fratribus nationum, coram pia memoria Clemente Papa V. prædeceſſore noſtro, diuerſas regulæ quæſtiones, diuerſáſque contra vniuerſitatem dicti Ordinis propoſuere querelas; & quaſi ipſi ſoli ipſorúmque complices, Beati Franciſci regulam, & perſpicacius intelligerent, & efficacius adimplerent, notam actionis contrariæ in vniuerſitatem præfati Ordinis impiè detorquebant. Qui Clemens prædeceſſor huiuſmodi homines benignitate magis, quàm ſeueritate ſatagens emendare, illorum peſtiferos conatus, patientiæ virtute tolerans, prædictas quæſtiones, atque querelas pluribus Archiepiſcopis, &c. *examinandas commiſit, & ad ſuam audientiam perferendas*, &c. Huculque decretalis: ſed in pluribus declinat.

Et primò quidem deficit, quòd hos Patres zelatores, aſſerat ſuperſtites factionis Petri Ioannis; hi námque tantum abeſt, vt fuerint eius ſectatores, vt potius ad vnum eorum Raymundum Ganfredi Generalem tum Miniſtrum, fuerint directæ litteræ Pontificis Nicolaij IV. de quibus litteris ita ipſe Ioannes in præcedentibus; *Quorum*, inquit, (ſupple, Petri, & adhærentium) *vipereos partus in ſui exortu felicis recordationis Nicolaus Papa IV. prædeceſſor noſter, ne in multorum perniciem alerentur, ad veritatis petram elidere cupiens, Generali Miniſtro, qui tunc temporis memorato Ordini præſidebat, diſtrictè præcipiendo mandauit, vt huiuſmodi præſumptores, diſciplina debita coërceret, prout in litteris ipſius prædeceſſoris noſtri plenius continetur*, &c. Datæ ſunt anno 3. Pontificatus Nicolai: Raymundus autem electus eſt Generalis Miniſter anno ſecundo eiuſdem Pontificatus, ad quem directæ ſunt litteræ vel Bzouio teſte ad annum 1290. num.4. *Per eoſdem dies*, inquit, *Nicolaus Raymundo Generali Miniſtro Ordinis Minorum per litteras mandauit vt in quoſdam fratres familiæ ſuæ ageret, qui in Gallia Narbonenſi*, &c. *deprehenſi ſunt ſeditiones per Prouincias, offenſionéſque concitare*, &c. Marianus lib.3. cap.10. *Hac tempeſtate idem Generalis* (loquitur de Raymundo) *recepit a Domino Papa Nicolao litteras, contra quoſdam fratres qui in Prouincia Prouinciæ ob doctrinam, & ſequelam fratris Petri Ioannis ſchiſma videbantur inducere*, &c. Bzouius. Marianus.

Antonin. 3. part. titul.24. cap 9.§.1. de hoc eodem Generali agens: *Item Papa miſit litteras dicto Generali; vt contra quoſdam fratres qui in Prouincia Prouinciæ ſchiſma videbantur inducere*, &c. *procederet*, &c. Eadem Marcus Vliſiponenſis 2. part. lib. 5. cap. 18. in fine. Author Chronicorum viginti quatuor Generalium in dictum Raymundum. Dicti etiam omnes ferunt inquiſitionem, & examen cauſæ fratri Beltrando de Cigotorio fuiſſe commiſſum, quo peracto, deciſionem eius diſtulit Generalis in proximum Generale Capitulum, quod habitum eſt Pariſiis. Quid autem circa hæc peregerit Generalis in Capitulo referam inferius acturus de Petro Ioannis, cuius confeſſionem inſeram, in qua fatetur ſe nunquam dixiſſe, docuiſſe, aut ſuſtinuiſſe quo ad regulæ intellectum, aliter, quàm docuerit Nicolaus III. & declarauerit. Falſum ergo eſt dictos fuiſſe illius factionis. Antonin. Marcus. Chron.24. General.

Secundò falſa eſt tota præmiſſa narratio in quantum attribuit iis peſtilen-

S

ſtilentiſſimos conatus, & ad Clementem tanquam ex propria acceſſiſſe contendit præſumptione, quæſtiones mouiſſe, à ſe ſolum regulam obſeruatam, perſpicacius intellectam fuiſſe, *&c.* Hæc inquam falſa eſſe ex litteris Clementis audiamus quæ huius ſunt tenoris.

CLEMENS EPISCOPVS, SERVVS ſeruorum Dei; Dilectis filiis Generali Miniſtro cæteríſque fratribus tam Prælatis quàm ſubditis Ordinis fratrum Minorum præſentibus, & futuris ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Marian. lib. 4. cap. 4.

DVdum ad Apoſtolatus noſtri præſentiam frequenter & ſecretè & tandem in Conſiſtoriis tam publicis, quam ſecretis, noſtris & fratrum noſtrorum auribus extitit frequentius intimatum, quod nonnulla erant corrigenda in Ordine veſtro, quæ omnino matura, & celerrima correptione Sedis Apoſtolicæ indigebant, cùm per Prælatos ipſius Ordinis remanerent penitus incorrepta; licèt ſolemniter, & frequenter fuerint ſuper hoc requiſiti. Cùm autem exiſtentibus in Conſiſtorio publico, nominarentur per fide dignos quædam ſolemnes perſonæ eiuſdem Ordinis, ac magnæ, & ſolemnis authoritatis, & zeli, per quas plenè poteramus, vt dicebatur ſuper his informari, ne talis, ac tanta moles negocij ſuper conſcientia noſtra penderet; deliberauimus deſcendere ad inquirendum de propoſitis, fratrem Gondiſaluum Miniſtrum ipſius Ordinis Generalem, dictáſque perſonas, & quaſdam alias nobis notas, quas in eiuſdem Ordinis regulari obſeruantia, zelo fidei feruere credimus. per litteras ſecretas ad noſtram præſentiam fecimus aduocari, videlicet dilectos filios fratres Raymundum Gaufredi, Sacræ Theologiæ Doctorem, & Ordinis veſtri olim Generalem Miniſtrum, Raymundum de Giniaco dudum Prouinciæ Aragoniæ Prouincialem Miniſtrum, Gulielmum de Cornelione Cuſtodem Arelatenſem. Guidonem de Leuis, Vbertinum à Caſalio, Bartholomeum Siccardi tunc deffinitorem Prouinciæ ad Capitulum Generale, Gulielmum de Agantico Lectorem Biterris, Petrum Raymundi de Corneliano, Petrum Malolij Lectores cum quibuſdam aliis ſociis eorundem, & poſtmodum ab ipſo Miniſtro ſecretè exquiſiuimus veritatem, & à prædictis aliis pluries ſubſequenter. Et cum nos occupati diuerſis, & variis, non in propria perſona vacare poſſemus, prout deſideraſſemus, & negotio expediſſet; de communi tam tui Miniſtri, & ſociorum tuorum, quam etiam prædictorum per nos vocatorum concordia, Venerabilem fratrem Petrum Preneſtinenſem Epiſcopum. & dilectum filium noſtrum fratrem Thomam tituli Sanctæ Sabinæ Preſbyterum Cardinalem, ſuper ipſo negotio dedimus auditores. Debilitato verò poſtmodum infirmitate corporea Epiſcopo Preneſtinenſi prædicto, & ſe excuſante, quod dicto negotio intendere non valebat, nos venerabilem fratrem Beringarium Epiſcopum Tuſculanum & dilectum filium noſtrum Gulielmum tituli S. Pudentianæ Preſbyterum Cardinalem in dicto negotio adiunximus adiutores.

adiutores. Verùm quia dictum negotium nondum habuit finem ſuum, timebant prædicti ad nos vocati (vt dicebant) ex veriſimilibus coniecturis ſibi magna pericula imminere a Prælatis, & ſubditis Ordinis antedicti. Et quia non debet ad noxam imputari, quod factum eſt ad medelam, nos de fratrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu fratrem Raymundum, Gulielmum de Cornelione. Guidonem, Vbertinum, Batholomæum, Gulielmum de Agantico, Petrum Raymundi, & Petrum Malolij ſupradictos ob omni obedientia & iuriſdictione veſtra fili Miniſter, ac Prælate, ac ſucceſſorum veſtrorum prorſus eximimus durante negotio ſupradicto. Verùm quia vitiis fauere non intendimus ex præmiſſis, nec viam claudere obſeruantiæ regulari volumus, quod ſi fortè dictos fratres Raymundum, Gulielmum, Guidonem, Vber. Bartol. Gull. Petrum, & Petrum Malolij ſupradictos, vel aliquem ex eis, quod abſit, interim committere contigerit aliquod inhoneſtum ipſi, & eorum quilibet per auditores corrigantur, prout Canonicum fuerit, & eis videbitur expedire. Et licèt nonnulli dicti Ordinis fratres in diuerſis partibus conſtituti in præfato negotio, ſeu contingentibus illud idem in toto, vel in parte ſaltim cum dictis fratribus Raymundo, Gulielmo, Guidone, Vbert. Bartol. & Guliel. Petro Raymundi, & Petro de Malolij ſentire dicantur. Nolumus tamen fratres ipſos, ſicut & ſentientes propter hoc maiori libertate gaudere, vel maioris correctionis ſubeſſe rigori, authoritate Apoſtolica ſtatuentes quod dicti fratres præmiſſi occaſione negotii, vel ex cauſis aliis prætextu ipſius, per ſuos Prælatos grauius nullatenus puniantur, nec tractentur, quàm ſi ſæpe dictis fratribus, vt præmittitur nominatim expreſſis in ipſo negotio minimè adhærerent, ſeu quod idem vt præmittitur, ſentiunt cum iiſdem, nec etiam a ſuis promotionibus, conſolationibus, ſeu gratiis excludantur Ordinis ſupradicti, vel etiam retardentur: niſi per Sedem Apoſtolicam aliud ſuper hoc extiterit ordinatum. Præmiſſa quidem omnia vniuerſis, & ſingulis veſtrûm dicti Ordinis fratribus, in virtute obedientiæ, necnon & ſub pœnis aliis, quas ſicut proteruia inobedientium, & contrarium præſumentium exegerit. authoritate Domini infligemus, eiſdem præcipimus inuiolabiliter obſeruari, decernentes ex nunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam fuerit attentatum. Volentes inſuper ſtatui eorundem de ſubſequente ſalubri remedio prouidere. vniuerſis, & ſingulis veſtrûm tam Prælatis, quàm ſubditis, & officialibus quibuſcumque authoritate præſentium diſtrictius inhibemus, vt dictos fratres ſuperius nominatos authoritate noſtra vocatos ad nos, vt prædicitur. propter materiam huiuſmodi negotij, vel contingentia ipſum diffamare, grauare, vel offendere, vel à proſecutione huiuſmodi quomodolibet impedire, nunc vel in poſterum præſumatis, nec mutetis eoſdem Prouinciis, vel Cuſtodiis, ſeu locis ipſis conſolatoriis. nec priuetis eos gratiis, & licentiis, ſeu aliis competentibus eis, ſecundùm gradum, & aſſuetis ipſis, aut ſimilibus dari in Ordine à Prelatis. Si qua verò poſt huiuſmodi inchoationem negotij, eis, vel eorum alicui contraria, ex cauſis huiuſmodi alicubi ſunt illata, ipſa reuocamus, & mandamus totaliter reuocari. Nullum etiam eorundem à promotione quacumque vel ſtudio. aut electione ad quemcumque ſtatum, vel officium, ſi ei aliàs idoneitas ſuffragetur, impedire quomodolibet præſumatis. Et vt

breuiter omnia comprehendantur, in omnibus volumus, ac præcipimus qu[illegible] vos habeatis ad ipſos quoad exhibenda conſolatoria, & cauenda moleſtia ſicut habuiſſetis ſi de prædictis, & contingentibus ipſa dictum, vel factum aliquod nullatenus extitiſſet. Verùm quia ex his vt præmittitur non intendimus fauere vitiis, nec viam claudere obſeruantiæ regulari, ſi forte, quod abſit, contingeret aliquem de fratribus qui in diuerſis partibus Ordinis idem ſentiunt, in aliquo crimine legitimè deprehendi: volumus quod ſicut fratres cæteri poſſunt à Prælatis ſuis, ſine calumnia corrigi, & puniri ſecundum æquitatem iuſtitiæ & Ordinis inſtituta, ita tamen quod occaſione di[illegible] negotij, & ipſum contingentium in nullo alicuius culpa grauetur amplius nec acrius, nec durius puniatur contra eos, quàm alias probabiliter fa[illegible]um fuiſſet, ſi nunquam hoc negotium contigiſſet: Quinimo ex hoc propter reuerentiam Sedis Apoſtolicæ, & ad omnem ſuſpicionem vitandam debet à vobis agi miſericordius cum eiſdem. Ad hæc quia fratribus ſuperius expreſſis pro proſecutione negotij antedicti maius poſſet periculum immin[illegible] ne ſub colore iuſtitiæ aliquid contra ipſos in futurum contingeret attentar[illegible], præcipimus, & diſtrictius inhibemus, ne quis ipſorum propter aliquam culpam præteritam, præſentem, vel futuram verè, vel falsò impoſitam vel imponendam, pro qua eſſet pœna notabili puniendus, poſſit à quibuſcumque puniri, vel pro talibus iudicialiter conuenıri, niſi coram nobis, vel ſuccoeſſoribus noſtris, aut auditoribus ſupradictis, vel aliis deputandis à nobis, etiam ſub defenſione noſtra, & protectione ſuſcipimus, & ab omni alterius ſuperioritate eximimus, vt non poſſint in proſecutione negot[illegible] huiuſmodi quomolibet impediri. Vt autem prædicta omnia integraliter obſeruentur, vos, ac omnes, & ſingulos Ordinis veſtri fratres, Prælatos, & ſubditos, & officiales quoſcumque, qui in præſentiarum, vel in poſterum contra prædicta quibuſcumque occaſionibus, ſeu coloribus quæſitis ſcienter venire præſumpſerint ex nunc excommunicationis ſententia, quam in omnes & ſingulos contrarium facientes ferimus, & decernimus ſubiacere, abſolutione ipſorum nobis, & noſtris ſucceſſoribus ſpecialiter reſeruata. Et nihilominus quidquid contra prædicta, vel aliquid eorum attentatum fuerit, decernimus irritum & inane, ac illis fratribus, contra quos in præmiſſis aliquid graue propter cauſas huiuſmodi præſumptum fuerit, recurrendi ad ſedem prædictam, abſque alicuius ſui ſuperioris licentia petita vel obtenta liberam tribuimus facultatem. Quia verò negotium illud quod corde gerimus, ſecundùm honorem Dei intendimus terminare, volumus quòd ex fratribus ſuperius nominatis, vel ex eis adhærentibus in prædictis quatuor vel ſex apud prædictam ſedem remaneant cum ſociis opportunis, quos accipiendi eiuſdem intentionis ſecum eis authoritatem, & licentiam impertimur, ad prædictum negotium liberè proſequendum. Qui etiam de licentia prædictorum auditorum aſſignatorum, vel alicuius eorum ad quem recurſus habuerint, mutari poſſint & licentiari, pro neceſſitate ipſorum, & illis alij ſubrogari, pluriéſque vocari, prout prædicti auditores, aut eorum aliquis, ad quem recurrerint ad proſecutionem dicti negotij viderint expedire. Et ne quis prædictorum ignorantiam contra prædicta faciens allegaret, præcipimus per te Generalis Miniſter, vel per Procuratorem

Ordinis,

Ordinis, Prouincialibus miniſtris, & per ipſos cæteris fratribus tenore præſentium abſque tarditate aliqua fideliter publicari. Et has literas vobis. & veſtrum alteri præſentatas, integras, & illæſas, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub prædicta excommunicationis pœna mandamus, abſque mora reſtitui prædictis fratribus in quorum ſecuritatem prædicta noſtra prouiſio emanauit, & penes ipſos, prout expedire viderint, conſeruari. Non obſtantibus ſi Ordini prædicto, ſeu perſonis eiuſdem à dicta ſit Sede indultum, quod perſonæ ipſæ interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes expreſſam, & plenam de verbo ad verbum, de indulto huiuſmodi mentionem, & quibuſlibet aliis priuilegiis, literis, & indulgentiis eis ab eadem Sede ſub quauis forma conceſſis per quæ affectus præſentium impediri valeat quomodolibet vel differri. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum inhibitionum, reuocationis, mandatorum, voluntatum, præceptorum, ſuſceptionis, exemptionis, prolationis, conſtitutionum, & conceſſionum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Auinione 18. Kalend. Maij Pontificatus anno 5.

Hæc Pontifex: quam de verbo ad verbum tranſcripſit Marianus lib.4.cap.4. de ea mentionem faciunt Antoninus, & alij authores, quos ſupra præmiſimus.

Ex hac multa elici poſſunt quæ ad rem noſtram faciunt atque narrationem præmiſſæ decretalis infringunt, qualis eſt ipſarum perſonarum gradus quorum ſinguli alicuius præcipuè in Ordine digniratis gradu fuerunt inſigniti, earundem etiam perſonarum commendatio; vt quod fuerint, *ſolemnes perſonæ, magnæ ac ſolemnis authoritatis, & zeli, in ſui Ordinis regulari obſeruantia, ac zelo Dei ferventes*, &c. Tertiò vocatio eorundem Patrum per literas ſecretas non ſemel tantùm, ſed pluries expreſſa. Quartò exemptio, cum tam fauorabili immunitate, & aduerſum pericula prouiſione, vt maior aut ſecurior dari, vel expectari non potuerit. Quintò reſtitutio authoritatis Prælatorum, & reſeruatio integra cauſæ controuerſæ, ita vt, nec directè, nec indirectè in quemquam eius prætextu animaduertere, aut inquirere iis licitum, aut liberum eſſet. Sextò quod iidem in conſiſtorio publico tanquam idonei partim à fide dignis fuerint nominati, partim ab ipſo Pontifice ex certa ſcientia electi in hoc munus, *ne talis ac tanta moles negotij ſuper conſcientia eius penderet.* Vtrinque proinde adciti, non propriæ præſumptionis ſuggeſtione irruſi fuerunt. Septimò quod negotij quod voluebatur periculum ſæpius tam Pontifici, quàm Cardinalibus in publicis, & priuatis conſiſtoriis fuerit intimatum, antea etiam, quàm vllum circa illud ſcrutinium inquiſitionis tentaret Pontifex, aut dictos Patres informationis ergo vocaret. Non ergo ij patres ſuperſtitioſi & diſcoli homines, vt habet narratio extrauagantis, ſed ſolemnis authoritatis, & zeli; non ſuperſtites alicuius ſeditioſæ factionis, ſed primaria dignitate, regulari obſeruantia, atque zelo Dei feruentes, quorum aliqui inquiſitionem in eam, quæ obiicitur, factionem inſtituerunt, vt Raymundus Gaufredi, atque

confeſſionem Petri Ioannis, qui caput & author turbatum deferebatur, in totius Ordinis Comitiis generalibus Pariſiis excepit anno 1292. atque à prætenſo abſoluit crimine,& criminoſos ſeuerè correxit. Non ergo, inquam, nouitates inuexerunt, ſed inuectas contra regulæ obſeruantiam vocati à Pontifice, atque rogati prodiderunt caſtigandas, quibus ſub iuramento, obedientiæ præcepto, atque pœna excommunicationis, vt ſyncerè veritatem proferrent, edixit Clemens. ita Marianus loco citato & Marcus Vlyſiponenſis 2. p.lib.7. c.18.inductus autem ad hoc fuit per preces Caroli Regis Siciliæ, & Neapolis, qui ad eundem, in eo negotio ſcripſit, quatenus Ordinis vnionem, eſt reformationem procuraret, hinc Pontifex prædictos Patres vocauit, quibus illud informationis commendauit munus conceſſa exemptione.Dubia etiam illa, & quæſtiones mouerunt, de quibus Ioannes in decretali,in quorum declarationem, remediúmque contra abuſus edita & Clementina. ita citati & Memoriale Ordinis.His adiũgo alterius Pontificis teſtimonium ſupra allatum, nimirum Leonis X. quod in dictorum Patrum non paruam cedit commendationem; *Poſt hos*, inquit agens de reſtaurationibus diſciplinæ regularis in ordine ſecundùm diuerſa tempora, *veluti hora ſexta prodierunt ſpiritu ferventes fratres nonnulli, qui a ſacro Viennenſi Concilio, tanquam a Deo miſſi, & confortati, eneruatam pene diſciplinæ cenſuram ad ſua principia reuocarunt*, &c. Accedit ad hæc, quod iidem non in ſe ſolis conſiſtere regularem obſeruantiam prætenderint (vt decretalis inſimulat) ſed regulam quidem obſeruari ab ordinis communitate, eos tamen abuſus quos exprimit Clementina, in diuerſis partibus, & Prouinciis mala conſuetudine irrepſiſſe. ita ſcripto eos tradidiſſe, ita verbotenus informaſſe refert Marianus; quorum ſententiam in hoc ſecutus eſt Pontifex in ſua declaratione. verba Mariani ſunt; *Præfati autem fratres inſimul conuenientes, maturo conſilio, & diligentia maxima tranſgreſſiones Ordinis conſiderantes & examinantes Domino Papæ verbo. & ſcripto reſponderunt, quod quantum ad ſubſtantiam per communitatem Ordinis dicta regula & declaratio ſeruabatur, licet particulares impuritates inter fratres eſſent, vel in aliquibus Prouinciis quam reſponſionem Dominus Papa per fratrem Vitalem Miniſtrum Aquitaniæ, & Magiſtrum Theologiæ miſit Domino Ioanni Portuenſi Ordinis Protectori, & fratri Gondiſaluo Generali Miniſtro velociter conſcribendam quas reſponſiones & ſcripta poſt exemplum ſumptum à Protectore, & Miniſtro Domino Papæ reportauit, & in Archiuis Camerarij ipſius Papæ fuerunt repoſita*, &c. Hucúſque Marianus, cuius narratio non facti modò veritatem, ſed particulares perſonas, accidentia, & modum eſt aſſecuta, in maximum veritatis argumentum. Quæ verò de particularium, aut locorum aut Prouinciarum, aut quorundam fratrum defectibus exponuntur, longè veriſſima fuiſſe, ex noſtris monumentis conſtat: iſque ſolus dubitabit, qui ea ignorat. Sola nempe priuilegia aduerſus regulam pridem obtenta, rem monſtrant, de quibus ſuperius aliquantulum diſſeruimus. Verùm pro maiori certitudine adiungam literas Generalis Miniſtri Gondiſalui, quæ plenam huic rei fidem facient, ita habent;

In Bulla vnionis.

Marianus.

habent; *In Chriſto ſibi chariſſimo Fratri patri Miniſtro fratrum Minorum in Prouincia Tuſciæ Fr. Gondiſaluus Generalis Ordinis Minor. Miniſter*, &c. *Licèt contra monſtruoſam redditaum abuſionem, quam ad fundamentalem noſtri ſtatus ſubuerſionem, filij ſæculi huius, in Ordinem noſtrum; proh dolor, à nonnullis introduxerunt diebus, remedium diſtrictis, & grauibus vallatum ſententiis Venerabilis anteceſſor meus cum Capitulo Generali prouiderit. Quia tamen plures Prouinciæ, quod abſque verecundia ipſarum dici non poteſt, illud ſalubre remedium contempſiſſe, huciſque vel ſaltem neglexiſſe, inueniuntur; reditus, ac alias prouiſiones, ſeu penſiones, domos quoque cenſuales, vel ſeparatas à locis fratrum, & interdum etiam poſſeſſiones agrorum, vinearum, & rerum aliarum, donationes inſuper inter viuos, & ſucceſſiones hæreditarias ſuſcipiendo, vel retinendo, ſeu vindicando illicitè, quamuis ſub fallaci colore liciti, quandóque nitantur hoc agere, conniuentibus oculis tranſire non valeo, quin ratione incumbentis mihi officij cum effectu laborem, ne Generalium Capitulorum edita ſuper hac ſtatuta, cum continuo animarum periculo, vlterius contemnantur. Tenore igitur præſentium tuæ dilectioni in virtute ſpiritus ſancti diſtrictè præcipiendo mandamus per obedientiam ſalutarem, quatenus Deum, & regulæ puritatem quam vouimus, ac declarationis verbum (vbi nobis, rerum etiam noſtro competentium vſui, receptio, ſub colore prouidentiæ in futurum interdicitur) habendo præ oculis: conſiderando etiam quod ſi talia, ſic poterunt, quod omnino exterminabitur illa ſancta mendicitas, quam nobis regula memorata imponit, omnes redditus annuos, vel perpetuos, ſeu prouiſiones, eleemoſynas, ac penſiones certa obligatione perſoluendas annuatim, aut in perpetuum, conuentibus vel perſonis, necnon & poſſeſſiones quaſcumque cum donationibus inter viuos, & ſucceſſionibus hæreditariis. Ac domibus ſeparatis a Fratrum habitatione, ſequeſtres, per totam Prouinciam tuam, facias ſine dilatione moroſa plenariè alienari à fratribus; ita quod, quæ licitè diſtrahi poſſunt, ſic quod ipſorum pretia prædictorum fratrum neceſſitatibus applicentur diſtrahantur ſimpliciter. Quæ vero licitè ſic diſtrahi nequeunt, publicè coram illis, ad quos pertinere noſcuntur, abſque omni fraude, vel dolo, ſub inſtrumento publico, vel authenticis literis in præſentia vocatorum ad hoc teſtium, qui non ſint de ordine reſignentur*, &c. Datæ ſub 6. Kalend. Nouembris 1310. Ecce, hic legis eaſdem tranſgreſſiones inductas contra paupertatem, quas in ſua declaratione expreſſit, & caſtigauit Clemens, tanquam vera in regulam peccata; informatio itáque vera fuit, quam ſæpe nominati Patres exhibuerunt, communitatem ordinis abſoluens (cui concordat vtérque Pontifex) particulares abuſus (quos ipſe etiam Generalis agnoſcit) & qui in tantum regularis diſciplinæ cultum ſubuertebant, vt omnino (verbis Clementis loquor) *matura & celerrima correptione Sedis Apoſtolicæ indigerent*. Non rectè ergo ſubſiſtit, quod obiicitur in decretali Ioannis, *quod Clemens huiuſmodi homines benignitate magis, quàm ſeueritate ſatagens emendare, illorum peſtiferos conatus patientiæ virtute toleraret*. Quid quòd ipſi vocati à Clemente? Quòd iuramento, præcepto, & aliis pœnis ad veritatem edicendam ab eodem adſtricti? Quid, quòd informatio verax in omnibus ſit reperta, quam Pontifi

Gondiſalui literæ ad Prouincialē Tuſciæ.

Pontificis declaratio, & prouiſio eſt ſequuta ? quòd ea, quæ deferebantur, matura,& celerrima Pontificis indigerent correptione ? ad eúmque ſpectaret corripere ? quid ergo hic ficta benignitas flagrante iuſtitia, atque in neceſſaria obſtrepit correptione ? quid peſtiferi conatus, vt ax & ſalutaris appelletur informatio?quaſi tacere liceret vrgente præcepto, vel falſum proferre, aut veritatem abſcondere in tanto communi boni detrimento ? Hæc nempe crimina, maligno concepta arbitrio fraus peperit, fallacia ſuppoſuit, quo Pontificis vniverſim ab omni Ordinis reformatione animum abſterreret, atque ab ipſis alienaret reformatoribus, & reformatis.

Quod ſi eo ergo vſque proceſſit malitia contra inſontes, quid contra ſontes machinatam putas ? ſi tanta finxit aduerſus illos,qui ſub obedientia vixerunt, eis adurens peſtilentiſſimos conatus, nouitates & ſimilia,ipſúmque perſtringat Clemens Pont. quaſi debitæ ſeueritatis immemorem, non erit mirum ſi ex parte criminoſos, faciat etiam criminoſiores, imò verò ad extremum deducens infamiæ gradum criminoſiſſimos proclamet,ex quibus conſtat malignitas informationis, maximè quoad crimina,quæ obiicit, nimiúmque ceſſiſſe affectui ſupplicantium, ac proinde in reliquis non incorruptæ fidei eſſe.

Secundò, nonnullam, imò & maximam ingerit ſuſpicionem, quod expreſſæ inibi hæreſes eædem illæ ſint,quæ falsò Petro Ioannis con[illegible]uerunt(vt euidens cuiuis infra facturus ſum) opponi ab aduerſariis: imò & nihil tum frequentius ab indiſciplinatis tentatum eſt,quàm huiu[illegible]odi regulæ veros obſeruatores, & zelátores de hæreſibus, & aliis cri[illegible]nibus infamare,quo à ſancto abſterriti propoſito reſilirent, & affectatæ licentiæ modum exemplaris conuerſatio nequaquam ſtatueret, nam & ad præſentiam eius, quod abhorret, boni, verecundatur improbit[illegible] nulla conuerſatio lucis ad tenebras, virtutis autem ſeuerum non f[illegible]t nequitia vultum. Ad præmiſſorum igitur manifeſtationem legenti Annales innumera paſſim exempla occurrent. Hac enim tempeſtate iactati ſunt dictus Petrus Ioannis, Beatus Thomas Tolentinus cum ſoc[illegible] martyribus,& Beato Conrado Offidano viro ſanctiſſimo,Angelus cri[illegible] Clarenus, & qui eúm ſequuti ſunt, frater Liberatus, & ſocij in quos deſcribit Marianus lib. 4. cap. 4. in princ. pluſquàm belluinam cuiuſdam fratris Thomæ de Aduerſa Inquiſitoris perſecutionem,in eund[illegible] ipſum authorem ſeuero Dei iudicio conuerſam & vindicatam. Hi omnes regulæ & profeſſionis ſuæ zelatores multa in hoc genere paſſi quæ ex variis ordinis monumentis liquent. Nec ab eadem ſorte im[illegible]is certè fuit noſtra obſeruantia, in quam quidam declamauit aliquot horis, coram Cardinalibus maligno & virulento conceptam ſtylo inuectiuam, quæ nihil aliud præter conficta mendacia ſonabat, quem Beatus Ioannes Capiſtranus illico & ex tempore confutauit : ſed præſtat ad antiquiora tempora regredi, eorúmque non tam exemplis, quàm fide dignis rem teſtibus æquè confirmare.

De perſecutione indigna proborum atque acerbitate temporum ita Aluarus Pelagius Pontificis Ioannis XXII. Pœnitentiarius lib. 2. de

planctu c.67. *Hodie, inquit, & iam diu in ordine puritatis regulæ Zelatores, & præuaricationum regulæ contradictores perſecutionem ſæpe à Prælatis ordinis quibuſdam, & carnalibus fratribus patiuntur, ne dum verbales, ſed reales, quia fratres zelotypi regulæ ſpirituales, & pœnitentiam facientes niſi ſileant, & de præuaricationibus fratrum aliorum aliquoties conniuendo ſe non intromittant, aut incarcerantur, aut de Ordine expelluntur, aut diuerſis tribulationibus affliguntur, per quoſdam malos Prælatos, vt & ipſi cogantur quaſi de Ordine recedere, & deſerta, & diuerticula quærere, ſicut & ego ſcriptor frequenter expertus ſum in me ipſo, maximè cum morarer in monte Aluernæ, vbi Almus Franciſcus recepit ſtigmata Chriſti. Exempla patientiæ quærantur in Prouincia Prouinciæ, in Prouincia Tuſciæ, in Prouincia Marchiæ & Beati Franciſci*, &c. Hæc Aluarus referens perſecutionem tam grauem aliquando excitatam contra obſeruantes regulam, vt cogerentur quaſi de ordine fugere, deſerta & diuerticula quærere, patientiæ autem exempla petenda eſſe ſpecialiter in dictis Prouinciis, inter quas enumerat Prouinciam Tuſciæ, ex qua dicti fratres, contra quos impetratum eſt præſens decretum, tranſmiſerunt in Siciliam. Ob eiuſmodi etiam cauſas datæ ſunt litteræ Clementis, quas ſupra tranſcripſimus; ex quibus obſeruandum eſt inter reliquas cautelas prohiberi, ne quiſquam dictos patres diffamare, grauare, offendere attentet, aut propter aliquam culpam præteritam, præſentem, vel futuram verè vel falsò impoſitam, vel imponendam poſſint à quibuſcumque puniri, vel conueniri niſi coram ipſo Pontifice, eius ſucceſſoribus, aut aſſignatis àb eo iudicibus. Videantur reliquæ cautelæ, prouiſiones & exemptiones in dicta iam decretali expreſſæ, quas triſtis experientiæ dura neceſſitas proculdubio ſuggeſſit, & cōtrarios exceſſus non obſcurè perſtringit minutula, &c, penè dixerim, ſuperſtitioſa grauaminum cum ſua prohibitione expoſitio, atque integra cæſim inducta enumeratio. Licet nec in hoc exempti ab inſultu aduerſariorum tuti manſerint, vt Marianus, & Marcus Vlyſipponenſis locis citatis ferunt: Nam & fratres Prouinciæ Tuſciæ, (ait Marianus) *quia videbatur ſibi fratres de communitate non ſeruare præceptum Domini Papæ, quo præceperat ne eis iniuria inferretur, de conſilio cuiuſdam fratris Martini Senenſis Canonici regularis rebellarunt ab obedientia Ordinis, elegerunt ſibi Generalem Miniſtrum, & alios Prælatos, vt mos eſt Ordinis, & hoc fecerunt, quia dictus frater Martinus ſe obtulit eos defenſurum coram Domino Papa affirmans diuiſionem huiuſmodi eſſe ſanctam, & iuſtam, & electionem Miniſtri canonicam*, &c. Hinc ergo ortum habuit diuiſio illa & electio Prælatorum de quibus decretalis, de his Vlyſſiponen. 2. part. lib. 7. cap. 18. Ad hæc adiicit Marianus eandem ſubiiſſe aleam Patrem Vbertinum à Caſali, quem de hæreſi ſuſpectum, hæreticorum, & ſchiſmaticorum fautorem, & defenſorem proclamabant aduerſarij in præmiſſa ſuperius controuerſia, quod is ſcripta Apologia Petri Ioannis, in quem acriter ibant, ſcriptorúmque eius patrocinium ſuſcepiſſet, quæ calumniæ non minimam conceſſæ exemptionis, editæque decretalis anſam ſuppeditarunt. Ex his igitur aliiſque multis, inducta in conſilium, atque ſyncerum veritatis examen ratione,

Marcus.
Marian.
Clarenus.

Qua via ſeducti ſunt fratres Prouinciæ Tuſciæ, de quibus decretalis?

T æquus

æquus iudicabit lector quibus fundamentis obiecta hic crimina,& ſpecialiter illæ hæreſes ſubſiſtunt, quæ ex aliorum, quos fide dignos Pontifex aſſerit (vt qui nihil perperam actum, aut ſubeſſe putaret) aduerſariorum tamen relatione opponuntur, quorum interuentu decretalis emanauit, qui namque contra dignitatem Clementis Pontificis tam manifeſtam veritatem, tantorúmque Patrum debitam æſtimationem, plura confinxerunt, quid eis in reliquis fidei remanſiſſe putandum,trahente in deterius paſſione, & arridente nonnihil occaſione, maximè dum eorum, in quos agunt, infamis apoſtaſia, & peruicax rebellio vrgentem de quouis ſcelere comitem haberet præſumptionem? Verùm ſicut præſumptio aliquando fallax eſt, ita nec ſemper ex malo peiorem efficit, aut quoduis iuris aut probationis fulcimentum circumſcribit: cauſam itáque preſſim attingentes in ſcopum certius collimemus, & tertiam adiungamus rationem, quæ fallaciam obiecti criminis diluet.

Tertia probatio ſurceptionis. Nemo neſcit conſuetudinem ſanctæ Matris Eccleſiæ, eámque ab ipſa infantia, vt ita dicam, creuiſſe ſegregandi paleas à tritico, hœdos ab ouibus, immundum à mundo, corruptum & putridum à ſano, hæreſes à fide, hæreticos à fidelibus, nec lupos intra caulas ad ouium ſtragem & internecionem permittendi aut recipiendi, donec in ouium naturam, abiectâ truculentiâ, abiurato errore, tranſierint: hoc ſacri Canones, hoc diuina & humana lex præcipit, ipſáque in tanto periculo præſcribit ratio. Quid ergo Clemens Pontifex præter morem, præter æquitatem, contra paſtoralis officij vigilantiam, & curam, contra Canones, contra omnem legem dictos fratres mandaret vniri Ordini Minorum, congregationi fidelium, his idem rogantibus, & ſolicitantibus, ſi de huiuſmodi hæreſibus, aut verè, & cum fundamento traducti, aut ſuſpecti, aut reipſa, quod magis eſt, fuerint conuicti? Si quiſquam hoc confingat aduerſarius; pro dignitate Pontificis ſto; non admitto calumnias. Præcepiſſe tamen coniunctionem iis fratribus, vt reliquis aggregarentur conſtat; docétque Antoninus titulo 24.cap.9.§.13. in Generalem Gondiſaluum:(in aliquo tamen non eſt aſſequutus rei exitum) Marcus Vlyſſippon. Marian.lib.4.c.5.agens de Alexandro, ab Alexandria electo Generali in Capitulo Barchinonen. celebrato anno 1313. *Miniſter*, inquit, *expleto Capitulo aſſumptis aliquibus Miniſtris venit ad Dominum Papam Clementem, à quo petiit in Protectorem Ordinis Dominum Arnaldum de Pelangra tituli S. Mariæ in Coſmedin Diaconum Cardinalem, conſanguineum eiuſdem Domini Papæ, quem ſtatim obtinuit. Cuius mox fauore impetratæ ſunt literæ ſpeciales ad quoſdam Prælatos Italiæ, vt deberent illos fratres rebelles compellere ad obedientiam, & vnitatem Ordinis, & ſic quibuſdam eorum obedientibus in charitatis receptis viſceribus; alij multi ex ipſis ſpiritu præſumptionis euecti abierunt inſimul nauigio in inſulam Siciliæ*, &c.

Sed & hæc eadem ipſa decretalis Ioannis clarè docet, exprimens perſonas, ad quas directæ ſunt litteræ, videlicet Ianuenſem Archiepiſcopum, Lucanum, & Bononienſem Epiſcopos, qui compellerent

dictos

dictos fratres, *locis per eos occupatis omnino dimiſſis* (verba ſunt decretalis) *ad ſuorum ſuperiorum obedientiam, qualibet exceptione, & occaſione poſtpoſitis reuerterentur, moraturi vbicumque, & ſicut iidem ſuperiores ducerent, diſponendum*, &c. Hæc decretalis, ſubiiciens quomodo dicti rebelles facti mandatis Apoſtolicis, & Ordinis inſtitutis, ſe ad inſulam Siciliæ tranſtulerint. Nulla ergo tum hæreſi notati fuerunt, alioquin non ad vnionem cùm reliquo corpore; ſed ad pålynodiam primum morum, deinde errorum, vrgeret eos Pontifex.

Quartò denique narrationi obſtat authoritas Frederici Regis, & Prælatorum dicti regni, qui ante receptas Ioannis Pontificis literas defenſionem, & patrocinium iis fratribus conferebant, & cum affectu velut profeſſionis ſuæ perfectos zelatores, & paupertatis obſeruatores fouebant, de quorum fauoribus ita Marianus loco allegato: *Vbi*, inquit, (ſupple, in Sicilia) *à Frederico Rege Siciliæ fratre Regis Aragoniæ & à quibuſdam Prælatis tenebantur*, &c. Quapropter animum non induco meum, quod talium dogmatum, & maximè contra dignitatem Prælatorum, & Eccleſiæ, prædicatores ab ipſis Prælatis & Chriſtiano Rege ſic accepti fouerentur. Concludamus itaque hoc, ſicut & alia ſuperius præmiſſa, ex aduerſæ partis iniquâ ſuggeſtione ſurrepſiſſe quo magis inuiſos redderet Apoſtatas, & Pontificem ad vltimum perditæ factionis excidium, atque apoſtaſiæ iuſtam excitaret indignationem; coniicere etiam poſſumus non defuiſſe cauſam quæ acerbiores animis ſtimulos ſubderet, & fœcundius iniuriam acceptam, & contemptum reprenderet; vt quod ij apud Regem, magnates, & Prælatos inſulæ, famam aliorum ſolitis obloquiis, & querelis denigrarent, vt propriam ſtatuerent; tantúſque apoſtatis impenſus ex errore cultus, proteruiæ maiores accéderet faces, & priſtini ſceleris honeſtam in ſchiſmatis fomentum prætenderet excuſationem. Acceſſit metus, ne tanti Regis, & aliorum patrocinium, eoúſque procederet, donec eius diuiſionis approbationem à Sede Apoſtolica impetraret. Hinc ergo vt Pontificis animum maturior præuentio occuparet, adiectæ veritati iſtiuſmodi criminationes, & quæ olim in Petrum Ioannis expoſita ſunt, malignè tamen, hìc ad maiorem coniecta eſſe conſtat exaggerationem, tanquam in diſciplinæ eius ſectatores, vt quæ aduerſus illum ſub hoc Pontifice præualuit, in hos etiam redundaret inuidia, quæ non minimum ex mandati Apoſtolici contemptu robur ſuſcepit: ita mihi perturbatus illorum temporum ſtatus, cum adiunctis ad hoc rationibus ſuadet, atque perſuadet narrationis præmiſſæ manifeſtata ſurreptio, quæ fidem labefactat conſtitutionum. Si quid autem aduerſum hoc lectoris induſtria meditari & adducere voluerit, lubens permitto, modò id veritatis ſtudio fiat. Cæterùm alia præter decretalem media aſſumat neceſſe eſt, neque eos etiam authores obiici patiar, qui ſine delectu ſolam decretalis fidem ſequuti, cauſæ radicem exquirere contempſerunt, vel aliàs affectui indulſerunt, aut certè ex malè affectis ſua tranſcripſerunt, quibus, vt occurram, ſequentem paragraphum diſſertationi adiiciendum putaui.

§. VNICVS.

Confutatur error Franciſci Pennæ circa intelligentiam præmiſſæ decretalis.

Penna. FRanciſcus Penna ad calcem Directorij Inquiſitorum à ſe notis, & commento illuſtrati, quem Romæ emiſit, adiicit etiam litteras Apoſtolicas ſactæ Inquiſitionis, atque inter eas iam præmiſſam, *Glorioſam Eccleſiam*, &c. præfixo argumento, cùm ergo primum confutaſſet errorem Emerici authoris Directorij, & meritò, ex propria opinione decretalem interpretatus, ſic præfatur; *Res ergo ita ſe mihi videtur habuiſſe, vt ex initio etiam huius reſcripti non obſcurè colligitur; tempore Nicolai IV. ad annos Domini 1290. diaboli aſtutia contra ipſos fratres Minores nitens ſeminare zizania, æmulatores agitatos inuidia, & iracundia, & indiſcreta inſcitia concitauit, mordentes fratres, eorum regulam quaſi inobſeruabilem, & diſcriminoſam, caninis latratibus lacerantes. ita docet Nicolaus IV. in cap. Exiit. tit. de verb. ſign. lib.6. (quod Capitulum in vulgatis codicibus malè tribuitur Nicolao III. nam vt hinc colligitur, Nicolai IV. eſt) & propterea idem Nicolaus prædicto capitulo, Exiit qui ſeminat. regulam beati Franciſci explicans, à maleuolorum iniuriis conatus eſt tueri. Cæterùm vt in principio huius extrauagantis §. quorum vipereos; docet Dominus Papa Ioannes XXII. iniquorum nouitates compreſſæ fuerunt per Nicolaum, ſed non penitus extinctæ, & ſublatæ. Inde verò paucis annis interpoſitis, tempore Clementis V. circa annos 1310. iidem illi maleuoli, qui tantiſper quieuerant, aduerſus eandem ſanctam regulam, & religionem Beati Franciſci acriùs inſurgentes, diuerſas propoſuère querelas, vt hìc etiam indicat Dominus Ioannes paulò poſt principium §. ſed horum. At Clemens V. horum iniquas voces patienter tolerans, eorum difficultates contra prædictam regulam explicuit, & denuo regulam approbauit, vt docet hìc Ioannes, & conſtat apertiſſimè ex Clementina, Exiui de paradiſo. tit. de verb. ſignif. Attamen cùm nullo modo contradictores huiuſmodi vellent obtemperare, ſe à vera regula, & ordine Beati Franciſci ſeparantes, nouum ordinem inſtituere nituntur in partibus Italiæ, Siciliæ, & alibi, aſſerentes ſe veram regulam Beati Franciſci ſeruare, ac ſeſe Fratricellos, ſeu fratres de paupere vita, ac Biſochos, ſiue Beguinos nominarunt. Contra hos ergo qui Henricum de Seua ſibi primum conſtituerunt Miniſtrum Generalem Ioannes XXII. anno Domini 1317. die 23. Ianuarij, hanc dedit decretalem, ac tandem in fine eiuſdem anni 1317. die 30. menſis Decembris, ordinem & ſtatum ipſorum pleniùs & clariùs condemnauit per decretalem incipientem; Sancta Romana. quæ habetur inter extrauagantes Ioannis XXII. de relig. dom. ac tale quidem eſt huius extrauagantis argumentum.* Hæc Penna.

Mirum profectò quàm longè proprius conceptus eum coniectura abripuerit; plures enim errores breui contraxit compendio, vt tot ſint, quot aſſerta.

Primus

Primus error Nicolaum I V. authorem eſſe decretalis, *Exiit qui ſeminat. Quod caput*, inquit, *in vulgatis codicibus malè tribuitur Nicolao I I I. nam vt hinc colligitur, Nicolai I V. eſt*, &c. Reſtat ergo vt verum dicere vulgatos codices probemus, aduerſarium verò lapſum, quem licèt huius erroris primum cenſeam authorem, alij tamen ſequuti ſunt, vt Illuſtriſſimus Bellarminus de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 14. & hunc eadem fide ſequutus eſt Seuerinus Binius in vitam Nicolai I V. & Ioannis XXII. & Iacobus Gualterus in Chronol. hær. 14. ne longius itaque diffluat, obiecta veritate curſum eius ſiſtamus, quamquam de authore parum refert, cùm conſtet decretalem editam eſſe per Pontificem Romanum, ac proinde, ſiue huius, aut illius ſit, eandem ſortiri authoritatem. Sed vt prætenſam opinionem ſuam ſtatuat Penna in Commento quæſtionis 17. ſecundæ partis Directorij ſuper reſponſione ad ſecundam obiectionem, præter rationem deſumptam ex extrauaganti, *Glorioſa*, &c. (ex qua colligit Capitulum, *Exiit*, attribui Nicolao I V.) alias duas annectit. Prima quia in pluribus manuſcriptis in initio huius decretalis pro Nicolao I I I. habetur Nicolaus I V. Secunda ratio, quia quartus fuit Ordinis Minorum: vnde veriſimilius eſt, regulæ ſui Ordinis dubia declaraſſe.

Tu verò lector ne leui fundamento veritatem deſeras: quæ ſua ſunt Nicolao I I I. adſcribas: Author porrò eſt decretalis, *Exiit qui ſeminat*, &c. & quamquam hoc plurimis rationibus liqueat, longiùs nequaquam excurram, ipſam ſub oculis produco conſtitutionem, quæ parentem agnoſcat ſuum, atque citra fucum exponet. *Nos autem* (inquit Pontifex) *qui à teneris annis ad ordinem ipſum affectus noſtros ereximus in illis ſuccedendo cum aliquibus eiuſdem Confeſſoris ſociis, quibus eius vita, & conuerſatio nota erat: ſuper ipſa regula, & ſancta ipſius Beati Franciſci intentione, frequenti collatione tractauimus. Et tandem Cardinalis, ac poſtmodum eiuſdem Ordinis per prædictam Sedem gubernator, & protector, & corrector effecti, conditiones prædicti ordinis ex imminenti nobis cura palpauimus, in Apoſtolatus officio, tam de pia intentione Confeſſoris prædicti, quàm de his, quæ regulam ipſam, & eius obſeruantiam contingunt ex prædictis longa etiam experientia informati, noſtros ad ordinem præfatum conuertimus cogitatus*, &c. in fine Conſtitutionis additur; *Datum Suriani 18. Kalend. Septembris Pontificatus noſtri anno ſecundo.* c. Exiit.

Ex his tres veritati confirmandæ adduco rationes. Prima quod de ſeipſo loquatur Pontifex tanquam de perſona extranea regulæ inſtituto, & profeſſioni. Nam vt oſtendat ſe etiam ante aſſumptum Pontificatum veram regulæ intelligentiam aſſecutum fuiſſe, docet quibus ad eam mediis peruenerit, duóque tantùm aſſignat, collationem nempe frequentem cum ſociis Beati Franciſci, à quibus vitæ, & conuerſationis notam rationem, ſimul, & ipſius ſancti intentionem accepit. Secundum verò medium, quòd Protector exiſtens conditiones eiuſdem ordinis ex imminenti cura palpauerit. Ex quibus duobus longa experientia ſe informatum aſſerit. Quod ſi verò eiuſdem regulæ profeſſor,

aut totius Ordinis Generalis Miniſter extitiſſet, ſicut Nicolao IV. cu-nit, electus enim eſt in Capitulo Lugduni celebrato 1274. Ordinem rexit quinque annis, ſi illud adiunxerimus tẽpus quo exiſtens Cardinalis gubernauit, vſque ad electionẽ ſucceſſoris in Capitulo Aſſiſino; non erat prætereundum, cùm hæc regulæ adipiſcendo intellectui magis, vel non minus ſaltim accommoda cenſentur; ad nullum Prælatum æquè vt ad Generalem Miniſtrum ſpectat Ordinis ſtatum perfectè cognoſcere, eiúſque experientiæ, & praxi longè cedit, ea, quæ Protectori ex officij cura conuenit, dum hic rebus Ordinis indirectè tantum ſe immiſceat. Si itaque vel Generalis vel profeſſione frater Minor extitiſſet conditor decreti, id expreſſiſſet, dum reſpectiuè ad Ordinem ſuum expoſuerit ſtatum. Vnde grauamina ab æmulis accepta, regulæ & fundatoris ſenſum, totius denique corporis omnes conditiones agnouerit.

2. Ratio. Secunda ratio, eáque euidentiſſima eſt, quòd conditor decretalis fuerit, vt de ſe fatetur, per Sedem Apoſtolicam conſtitutus Ordinis Gubernator, & Protector, & cotrector; Hæc autem de ſolo Nicolao III. non autem IV. dici poſſunt, nam ille (antea dictus Ioannes Caietanus tit. S. Nicolai in Carcere Tulliano Diacon. Cardinalis factus eſt Ordinis Protector, mortuo Alexandro IV. non verò per ipſum Alexandrum, vt habet Ciaconius; ea enim fuit dilectio Alexandri in Ordinem (vt ſcribit Fr. Philippus de Peruſio Prouincialis Prouinciæ Tuſciæ, qui tum vixit in ea, quam edidit, relatione de Ordinis Protectoribus) vt etiam aſſumptus ad Pontificatum officium Protectoris deponere, aut ſe viuente alteri committere noluerit, licèt rogatus à Ioanne Parmenſi Generali Miniſtro. Mortuo itaque Alexandro in eo Capitulo Generali Ordinis, quod celebratum eſt 1263. Piſis, ordinatum eſt, vt Generalis, qui fuit S. Bonauentura ex parte Ordinis ſupplicaret Vrbano IV. quatenus prædictum Dominum Ioannem Protectorem Ordini concederet, idque obtentum eſt, quamuis ſuum nepotem Pontifex offerret, vt ſupra citatus refert, Dominum Ancerum: ſed non acceptantibus eum fratribus Dominum Ioannem Caietanum petitum contulit, huic verò aſſumpto ad Pontificatum (qui etiam mox fratrem Hieronymum Aſcalanum dictum Nicolaum IV. promouit Cardinalem Preſbyterum tituli S. Pudentianæ anno 1278.) ſucceſſit eius nepos Dominus Matthæus Vrſinus dictus Rubeus, tit. Sanctæ Mariæ in Porticu Diacon. Cardinalis, de cuius electione in Protectorem ita dictus frater Philippus tum præſens: *Fr. Bonagratia*, inquit, *Generalis expleto Capitulo*: (celebrato nempe anno Domini 1279.) *cum Miniſtris & diſcretis aliquibus ad hoc aſſumptis ad eum* (ſupple, Nicolai III.) *ſe præſentiam conferentes (inter quos, ego fui vnus, qui licèt indignus, eram fratrum Tuſciæ tunc temporis ſeruitio deputatus) Miniſtri ipſi, qui præſentes erant ex parte Miniſtrorum omnium Cardinalem ſecundum regulam petierunt. Et tunc ipſe Pontifex ſingulorum votis per priuatum ſcrutinium diſquiſitis, Ordinem Domino Matthæo Rubeo nepoti ſuo commiſit, & commendauit, tanquam Ordinis præcipuo dilectori, cuius commiſſionis modum ſi ex parte tetigero, credo quod ipſius Domini Papæ magis oſtendetur affectus.*

Nicol. III. fuit Protector, non autem IV.

Ciaconius.

Philippus de Peruſio.

Aſſumpto ad Pontificatum Nicolao III. ſucceſſit Protector Matthæus Vrſinus.

affectus. Conſtitutis igitur in ipſius præſentia Generali, ac Prouincialibus Miniſtris, qui ad hoc venerant, ac ipſo Domino Matthæo Sanctæ Mariæ in Porticu Diacono Cardinali, Dominus Papa in Cardinalem intendens ſic exorſus eſt. Ad te ſermo noster dirigitur. Si beneficia, quæ tibi prouenıunt, per nos recenſere vellemus, inuenirentur magna, vtilia, & numeroſa: ſed in nullo ſic è vicino dedimus tibi arrham vitæ æternæ, ſicut in illo, quod modò præſtamus: damus enim tibi, quod introducent te in Paradiſum S. ſuffragia, & merita omnium fratrum iſtius Ordinis, damus tibi melius, quod habemus; damus tibi cordis noſtri deſiderium, pupillam oculorum noſtrorum. Tanta tunc cum his verbis eliquata eſt amoris dulcedo, à corde Pontificis, tanta ob oculis lachrymarum abundantia profluit, tantus ſingultuum impetus profluit à pectore, me teſte, qui narro, vt quaſi intercluſo anhelitu non ſolùm loqui non poſſet, ſed nec tanti viri maturitas ab eiulatu vocem potuerit refrænare. Vnde factum eſt, vt omnes, qui aderant, laxatis lachrymarum riuulis, cum flente flerent, cum eiulante eiularent, & non parua temporis mora cum tacente tacerent. Tandem vtcumque ſpiritibus quietatis, reaſſumptâ voce, Pontifex ait, non poſſumus nos in hac materia dilatari, quia natura non patitur. Et extenſa manu proprium annulum Cardinali cum oſculo manus recipienti, porrexit, dicens; Committimus tibi Ordinem fratrum Minorum, & conuertit ſe ad illa vocabula declaranda, quæ ponuntur in regula S. Vt ſit gubernator, protector, & corrector iſtius fraternitatis, & dixit; Tua gubernatione ordo non indiget, quia ſapientibus, & prudentibus perſonis abundat, quod ad ſe gubernandum benè ſufficit ſibi ipſi. Correctioni quoque te non oportet inſiſtere: quia inter fratres ſunt taliter prelaturæ diſpoſitæ, quod in hac parte non videtur eſſe defectus, &c. *Vnum eſt in quo tuo patrocinio opus habent: ſunt enim imbecilles & pauperes, & multos habent frequenter, qui eos indebitè inquietant, quibus per ſe repugnare non poſſunt, & ideo indigent fortitudine, & brachio protectoris, hoc eſt potiſſimum, in quo tua cura ipſis debet aſſiſtere,* &c. Hæc eadem habet Ordinis Memoriale in Generalem prædictum, qui fuit decimus. Marianus lib. 3. cap. 4. S. Antoninus titul. 24. cap. 9. §. 8. Chronolog. 24. Generalium in eundem. Marcus Vlyſſipponenſ. 2. part. lib. 4. Toſſignianenſis verò in 2. lib. de eodem Generali perplexè rem agit. Matthæum inſtitutũ protectorem refert, ſed quod dicat eum nepotem Nicolai IV. illapſum puto vitio impreſſoris, textúmque eſſe corruptum, & aliqua deeſſe, quæ ad integritatem faciunt narrationis. Infra namque Capitula Ordinis generaliâ recenſens, agénſque de præfato Capitulo Aſſiſino, in quo electus eſt Bonagratia (quod apud eum quidem decimum ſeptimum, apud alios decimum nonum numeratur) nihil à veritate diſcordat; *In hoc*, inquit, *Capitulo Nicolaus III. Pontifex maximus monuit Generalem, & Patres in Capitulo commorantes, vt prouiderent, ac conſulerent ſi quid à Sede Apoſtolica impetrandum ſit, & petierunt protectorem Ordinis, referente fratre Philippo Peruſino, tunc Miniſtro Tuſciæ: Pontifex verò nominauit Matthæum Rubeum Protectorem, & Cardinalem Sanctæ Mariæ in Porticu, cui Ordinem ipſum commendauit tanquam pupillam oculorum ſuorum*, &c. Gonzaga eundem Matthæum inter Protectores

Memoriale. Marianus. Antonin. Chron. 24. Gener. Marcus. Toſſignianenſ. Gonzaga.

Ciaconius. tectores ſubiicit poſt Nicolaum III. Item Ciaconius eum Protectorem Minorum aſſerit. Idem verò Matthæus Rubeus attigit initium Pontificatus Clementis V. vt conſtat tam ex eodem quàm aliis. Nicolaus autem IV. quinque ante id annis eſt mortuus anno ſcilicet 1292. inter eum, & Clementem interceſſerunt tres Pontifices, extant etiam in ſpeculo Ordinis quædam Matthæi decreta circa regimen Monialium, directa ad ſuperiores Ordinis data anno 1297. anno 3. Pontificatus Bonifacij VIII. ex quibus conſtat Nicolaum IV. nunquam Protectoris officio functum eſſe, cùm eidem longè ſuperuixerit Matthæus à Nicolao III. inſtitutus; imò nec inter Protectores Ordinis Nicolaum IV. aliquis hactenus conſtituit; hinc euidens ex dictis fit eum non fuiſſe conditorem illius decretalis, *Exiit qui ſeminat*; cùm author decretalis fuerit conſtitutus à Sede Apoſtolica *gubernator, protector, atque corrector Ordinis.*

Tertia ratio, quòd ipſa conſtitutio edita ſit Suriani, quem locum ſæpe poſt Pontificatum eius amœnitate illectus Nicolaus III. frequentabat, & in eo tandem mortuus deceſſit. Nicolaus verò IV. ab inito Pontificatu non legitur fuiſſe Suriani, nam poſt coronationem (quæ facta eſt 6. Kalend. Martij 1288. in feſto Sancti Matthæi Apoſtoli) ſubortâ Romanorum ſeditione, ex Vrbe ſeceſſit Preneſte, quo loci primam habuit Cardinalium creationem; mox poſt annum ſopitis turbis rediit Romam, Sedémque ſuam deinceps fixit ad Sanctam Mariam Maiorem, ſiue de præſepi, vbi pro reliquo vſque ad mortem tempore habitauit. Vide Ciaconium, & alios.

Quartò tandem veritas conſtat ex litteris plurimorum Pontificum quibus illa conſtitutio ſoli Nicolao III. adſcribitur, vt declaratione Ioannis XXII. ſuper regulam noſtram, quæ incipit; *Quorundam exigit.* Item ex alia extrauaganti, quæ incipit; *Quia quorundam.* In declaratione etiam Clementis V. ſuper eadem regula articulo primo de obſeruantia conſiliorum Euangelicorum. Item ex authoribus ſuprà allatis & omnibus noſtris monumentis, expoſitione Petri Ioannis, qui ſub Bonifacio VIII. mortuus, ſub vtroque Nicolao floruit, & dictam decretalem tribuit Nicolao III. tam in dicta expoſitione, quam ſuper regulam edidit, quàm etiam confeſſione emiſſa in Capitulo Generali Pariſienſi 1292. quo anno mortuum diximus Nicolaum IV. Imo & præſens fuiſſe à quibuſdam aſſeritur, dum fieret decretalis, atque duodecim quæſtiones ex mandato ſui Miniſtri in eius apparatum ſcriptas ſuppeditaſſe. Bartholomeus etiam Piſanus in ſua compilatione, Aluarus Pelagius, ſed & ocularis teſtis Fr. Philippus de Peruſio aſſerens Pontificem Nicolaum III. mox ab inſtitutione Matthæi Cardinalis in Protectorem, duobus quaſi menſibus, eidem ſoli declarationi condendæ ſepoſitis quibuſcumque curis incubuiſſe: *Non ſine admiratione,* inquit, *totius curiæ, cùm omnino quid ageretur, preter eos, qui ad hoc erant vocati, nulli hominum eſſet notum.* Eandem decretalem, poſtquam edita eſt, per viros doctiſſimos Dominum Petrum Vicecancellarium (qui dicebatur Peregroſſus factus Cardinalis Diaconus Sancti Georgij in Velabro per

Nicolaum

Nicolaum IV. anno 1288. in vigilia Pentecoſtes) & Dominum Comitem Auditorem Mediolanenſem, & Dominum Angelum famoſiſſimum Curiæ Aduocatum, & Dominum Benedictum Caietanum Protonotarium (qui poſtea fuit Cardinalis nempe tituli Sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconus, & à Martino II. alias IV. aſſumptus 1281. poſteà verò euaſit Bonifacius Papa VIII.) exactiſſima diligentia plurium dierum diſceptationibus elimatam, primò coram Cardinalibus, deinde coram totius Curiæ frequentia per dictum Dominum Benedictum, qui eam dictauerat, fecit ſolemniter promulgari anno Domini 1279. qui rectè incidit in annum ſecundum Pontificatus, quem codices vulgatæ editionis exprimunt, die verò Auguſti 14. contigit facta promulgatio. Hæc hiſtoria conditæ decretalis, & vera eſt, quam præſens dictus frater Philippus ſummariè conſcripſit, & omnes facti particulares etiam circumſtantias attingit. Confirmationi dictorum accedunt vulgatæ iuris editiones, atque interpretes qui eandem decretalem Nicolao III. adſcribunt, non verò IV.

Vltimò tandem quod inſtar omnium eſt, in Archiuio noſtro Aracælitano in Vrbe extat tranſumptum ipſius decretalis litteris Nicolai IV. promulgatum, authorem inſcribit Nicolaum IV. non ſeipſum. Quæ verò aduerſus hæc pro prætenſa opinione excogitauit Penna minoris ſunt roboris; nam quòd dicat in aliquibus etiam manuſcriptis inſcribi Nicolaum IV. id facilè potuit ex errore contigiſſe; neque illa aliqua volumina, (vt cætera, quæ manifeſta ſunt, omittamus) contra communem, & vulgatam editionem receptam in ſcholis, vbique & communi authorum illuſtratam expoſitionibus, quam ſequuti ſunt hactenus in hoc etiam Doctores, & communis ſententia præſcribit; quidquid vitio Typographi, aut ſcriptoris incuriâ irrepſit; illi námque codices qui particulares fuerunt, ad communem reduci, caſtigaríque normam magis conueniebat, vt qui nec antiquitatem, nec authoritatem vulgatæ editionis aſſequuti ſunt? facili ergo conjecturâ, à communi ſua ſchola dilapſus eſt, non inſpecto ipſius decretalis textu, & veritate hiſtoriæ. Sed & hoc parum referret, niſi in vulgatæ editionis margines error ſerperet, & niſi me fallit opinio, eodem authore: nam ea editio, quæ caſtigata exiit ſub Gregorio XIII. hunc errorem mutuauit ab eo, quicumque ille fuerit, marginatore; quem ſanè ex verbis ipſis conſtat Pennam fuiſſe, aut eius fidelem diſcipulum. *Et videtur*, inquit, *hæc decretalis Nicolao IV. tribuenda, vt colligitur ex extrauaganti Ioannis XXII. incipiente, Glorioſam Eccleſiam, quæ extat impreſſa inter litteras Apoſtolicas, pro officio ſanctiſſimæ inquiſitionis*, &c. Vnde clarum eſt animaduerſionem ſaltim deſumptam eſſe ex adnotationibus ad dictam decretalem appoſitis, à præmiſſo authore, ſed de errore huius fundamenti in ſequentibus. Rubrica.

Interim neſcio, quid ſibi velit altera eius ratio; quòd nempe Nicolaus IV. fuerit Ordinis Minorum, ac proinde ad eum potius ſpectarit dubia ſuæ regulæ declaraſſe; quid portendat hæc ratio, neſcio; alterum duorum intendere videtur, vel declarationem ex affectu priuato

Pontificis (quia ſcilicet frater Minor) emanaſſe, illúmque olere, & hoc quidem iniuſtum foret ſentire, atque erroneum, vel quòd reſolutio dubiorum & explicatio regulæ, atque adeo dicti ſtatus ad ſcientiam priuatam Pontificis, quam olim frater Minor acquiſiuit, ſpectet non verò ad claues; ſed abſit vt ego in huiuſmodi veniam ſuſpicionem, aut præſumam tale quid ſenſiſſe authorem; hoc tamen fateor vim rationis me latere. Cæterùm quocumque ea ſenſu prolata eſt obiectis aliorum plurimorum exemplis corruit. Gregorius enim I X. Innocentius I V. Alexander I V. Clemens V. Ioannes X X I I. Martinus V. Paulus I V. & multi alij Pontifices regulæ noſtræ dubia explicuerunt: horum autem nullus fuit vnquam profeſſione Franciſcanus. Quid ni ergo & hæc etiam à Pontifice non Franciſcano promulgaretur, ſicut reuera factum demonſtrauimus? ad tertiam rationem reſpondebit ſequens clauſula.

Pontifices qui regulā explicarūt.

Secundus error Pennæ conſiſtit in præcipuo fundamento, quod in opinionis defenſionem adduxit; operæpretium erit verba ipſa recenſere, quæ propoſito exiſtimat fauere, ſuntque eadem ipſa, quæ ſuperius adſcripſimus, cùm ſurreptionem decretalis probaremus: *Quorum,* inquit Pontifex Ioannes, *vipereos partus in ipſo ſui exortu fel. rec. Nicolaus Papa IV. prædeceſſor noſter, ne in multorum perniciem alerentur, ad veritatis petram elidere cupiens Generali Miniſtro, qui tunc temporis memorato Ordini præſidebat, diſtrictè præcipiendo mandauit, vt huiuſmodi præſumptores diſciplinâ debitâ coërceret, prout in litteris ipſius prædeceſſoris noſtri plenius continetur,* &c.

In primis ſupra ex authoribus demonſtratum eſt, has litteras priuatas fuiſſe, & directas ad Generalem Raymundum Gaufredi, in cauſa controuerſiæ excitatæ in Prouincia Prouinciæ, de qua ſupra egimus, & latius inferius: manifeſtum ergo eſt non fuiſſe eas litteras datas per modum expoſitionis in regulam, imò quoad hoc impertinentes eſſe.

Sed nec fuiſſe hanc decretalem, de qua eſt controuerſia, probatur cum euidentia ex iis, quæ in ſuum finem adſcribit author: dicit porrò illa conſtitutio, quæ incipit, *Glorioſam Eccleſiam.* Nicolaum I V. ſcripſiſſe ſuas litteras ad Generalem Miniſtrum. Item eidem diſtrictè mandaſſe vt huiuſmodi præſumptores diſciplinâ debitâ coërceret. Item hæc planiùs in litteris ipſis contineri, hæc tria continet tranſcripta iam clauſula primum implicitè, reliqua duo explicitè. Nos ergo ex aduerſo aſcendentes alia tria opponimus ex declaratione illa, *Exiit qui ſeminat,* &c. quia neque hæc ad Generalem, neque ad vllam particularem perſonam dirigitur, ſed ſuper regula, & circa eam emergentia dubia eſt abſoluta expoſitio, & præcisè in iis explicandis ſiſtit, nullam tranſmiſſæ ad aliquem epiſtolæ rationem habens; deinde præceptum, quod adiicit, omnes vniuerſim reſpicit detractores regulæ, & ſtatus. Item profeſſores, lectores, & qui vel ipſam regulam, ſeu declarationem contra expreſſum,& intentum explicarent intellectum, adeo vt nullam particularem perſonam concernat, ad quam ex ſpeciali inſcriptione, præſcriptione, ſalutatione, clauſula, aut præcepto dirigatur.

Secundò nullum omnino præceptum imponit Generali, nec vllos

caſtigandos

caſtigandos eidem diſtrictè mandauit, imò nec vlla huiuſmodi rei mentio in tota decretali. Tertiò denique tantum abeſt, vt tale præceptum in decretali pleniùs contineatur, vt ne tacitè quidem; cùm oppoſitum manifeſtè doceat; ergo litteræ illæ de quibus mentionem habet Ioannes in extrauaganti; *Glorioſam Eccleſiam*; diuerſiſſimæ ſunt ab illa noſtræ regulæ declaratione, quæ incipit, *Exiit qui ſeminat*; ac proinde conſtat nouitatis huius inuentorem gladium aduerſario porrexiſſe, nec legiſſe attentius hanc, vel illam decretalem. Adiicere poſſemus ex Bzouio (ſi quid huic fidendum) litteras Nicolai IV. datas fuiſſe anno 1290. qui fuit tertius Pontificatus huius Pontificis, electus enim fuit anno 1288. decretalis autem *Exiit*, promulgata eſt anno ſecundo Pontificatus conditoris.

Tertius error, quod eoſdem cenſeat dediſſe cauſam promulgandæ decretalis *Exiit*, in quos Ioannes Pontifex inuehitur, tanquam inſurgentes aduerſus religionem, nouitatum inuentores, *&c.* ſub Nicolao IV. & Clemente V. turbarum concitatores; huius falſitas ex vtriuſque decretalis ſuperficietenus collatione manifeſtatur; nam ij, qui deſcribuntur per decretalem *Exiit*, inuidiâ dæmonis ſeminaſſe zizania, non fuerunt de corpore religionis, aut regulæ ipſius profeſſores, ſed æmuli, externi ſtatus inuidiá concitati, qui ſtatum impugnabant, ipſam regulam quaſi illicitam, inobſeruabilem, & diſcriminoſam aſſerentes, vt habet decretalis *Exiit*. &c. & idem author etiam tranſcripſit. Verùm illi, de quibus Ioannes in ſua extrauag. *Glorioſam*, & quorum caſtigationem commiſſam refert Generali Miniſtro ex Nicolai præcepto, fuerunt ipſius religionis, & regulæ profeſſores; *Nonnulli*, inquit, *huius ſacræ religionis* ſupple, Franciſcanæ *ſolo nomine profeſſores*, &c. nec hi dicebant regulam inobſeruabilem, illicitam aut diſcriminoſam, ex teſtimonio Pontificis, ſed dumtaxat à ſe ſolis obſeruari; *Et ſe ſolos*, inquit Pontifex, *ſuóſque complices de obſeruantia regulæ Beati Franciſci mirâ vanitate iactantes, reliquam multitudinem de tranſgreſſione regulæ perperam iudicando notabant*. Contra manifeſtam igitur litteram, & textum hi, & illi pro iiſdem cenſentur; nam qui dicunt ſe de regulæ vera obſeruantia eſſe, non dicunt illicitam, & inobſeruabilem.

Quartus error propriâ authoris inuentione ſuccreuit, videlicet eos, qui querelas & dubia coram Clemente V. expoſuerunt inſurrexiſſe aduerſus eandem regulam, nihil enim tale Ioannes.

Quintus error, quod iidem, qui coram Clemente diſceptarunt, nullo modo voluerint obtemperare Clementinæ; ſe à vera regula Sancti Franciſci ſeparauerint, nouum Ordinem inſtituere enixi in partibus Italiæ, Siciliæ, & alibi, aſſerentes ſe veram regulam Beati Franciſci ſeruare, ac ſe Fratticellos, ſeu fratres de paupere vita, Biſochos, ſiue Beguinos appellaſſe; contra eoſdem promulgatam fuiſſe hanc decretalem, *Glorioſam*; ac ſimul etiam extrauagantem, *Sancta Romana Eccleſia*, & *tale quidem*, inquit, *eſt huius extrauagantis argumentum*. Sed, vt verum fateor, tantum abeſt, vt ſit argumentum, vt inane potius ſit figmentum, nulla formatum ratione, vel authoritate, & hæc omnia

ſuperius monſtrauimus; qui ſcilicet fuerint illi, qui ſub Clemente dubia, & quæſtiones circa regulam agitarunt; nam hi Clementinæ obedierunt, omnes etiam in vniuerſum reformati, exceptis paucis admodum vnius Prouinciæ Tuſciæ, de quibus etiam falſum eſt aſſerere, aut nouum Ordinem inſtituere enixos in Italia, Sicilia & aliis partibus, qui tantùm fuerunt in Sicilia, vt conſtat ex decretali, *Glorioſam*; aut ſeipſos à vera regula ſeparaſſe (licèt in eam, neglectâ obedientiâ, præuaricati ſint) aut ſectam Fratricellorum inſtituiſſe (nam hæc longè antiquior extitit) aut contra eoſdem promulgatam fuiſſe illam extrauagantem, *Sancta Romana Eccleſia*, &c. quæ viros profanæ multitudinis ſeu dictam Fratricellorum reprobauit ſectam, non verò aliquos in religione approbata profeſſos, nam de huiuſmodi nullam facit mentionem; ſed longè ſeriò probat eos nullam Sedis Apoſtolicæ approbationem habuiſſe; de his omnibus ita ſeriatim actum eſt ſuperius, vt ſuperuacaneum ſit, modò iiſdem hîc iterum longius inſiſtere, ac proinde diſſertationem lubet concludere.

Adnotabo nihilominus vnam, aut alteram propoſitionem Bzouij, quas præterire nolo. *Cùm omnium bonorum religionis ſuæ dominium Romanæ Eccleſiæ attribuerent, nec ſe alios, quàm vſufructuarios rerum tam mobilium, quàm ſtabilium eſſe profitentur comedentes panem (ex illorum ſenſu) Eccleſiæ*, &c. Loquitur de Franciſcanis.

Bzouius.

De his inferius longior erit, & aptiori loco diſputatio, ideo ea hîc annotaſſe placuit, ne pro conceſſis, & datis omiſiſſe putarer. Pontifices in Sedem Apoſtolicam aſſumpſerunt illud dominium, non religio attribuit, cuius ipſa ex præſcripto regulæ incapax eſt, & nemo dat, quod non habet; ſeu vt iure præſcribitur, *Nemo poteſt plus iuris transferre in alium, quàm ſibi competere dignoſcitur*; Non omnium tamen rerum tam mobilium, quàm ſtabilium proprietas, & dominium tranſit in Eccleſiam (vt vniuerſim aſſerit hiſtoricus in rebus Franciſcanis verſatiſſimus) dum illud ſibi reſeruat proprietarius dominus, & dator; hoc verum eſſe didiciſſet ille ex litteris Pontificum, quæ hanc exceptionem ſemper exprimunt, quando rerum ordini conceſſarum dominium ad Eccleſiam vel ſpectare exponunt, vel reipſa aſſumunt.

De reg. iur. in 6. reg. 79.

Sed heus tu, bone vir, quis tibi author eſt fratres Minores profiteri ſe vſufructuarios rerum tam ſtabilium, quàm mobilium? vel in hoc ſaltim honori noſtro parce. Simplices facti vſuarios voluiſti fortè, ſi rigor ſermonis ſpectetur; at ſonantior vox ſpectabili ornatus nouitate placuit, non quadrat tamen ſignificatio, in fructuarium enim tranſit vera proprietas, & dominium fructuum, non ita dicendum de ſimplici facti vſurario, quales ex profeſſione ſunt Franciſcani.

Vtinam ſubſequentium verborum myſteria exponeres; *Comedentes*, ais, *panem (ex illorum ſenſu) Eccleſiæ*, &c. indicare videris illorum ſenſum particularem eſſe, & erraticum, verum hoc iure ſtatuere non poteras: is enim ſenſus Eccleſiæ eſt, Pontificum, & ſaniorum Doctorum, vt inferius demonſtrandum ſuſcipio, ipſa Pontificum verba producturus, quibus hic ſuperſedeo, ne prolixius agam.

Anno

Anno eodem & numero ; numero item 2. in princip.

B Z O V. *Hæc Ioannes aduerſus peruicaces ſanciebat. Ex his nonnulli Etruſci ſub deſpecto habitu, paruiſque caputijs recèns inuentis, viri fugitiui, nec minus apoſtatæ in Siciliam traiecerant*, &c. *Secundum iſtud Ioannis Pontificis edictum, tam Epiſcopi, quàm ſacræ fidei quæſitores, in Etruria, Sicilia, Prouincia Prouinciæ, Aragonia, & apud Inſubres magnam diligentiam adhibuerunt in his, & aliis hæreſi eorum inquinatis, inueſtigandis, & ad ſanam fidem ac mentem reuocandis, vel etiam caſtigandis. Quanquam ex magnatibus non deforent, qui eorum tutelam ſuſciperent; hi videlicet, quibus tam opes, & facultates Romanæ Sedis, & aliarum Eccleſiarum inuiſæ, quàm authoritas, & poteſtas Romani Pontificis, aliorúmque Præſulum ſuper animas ouium Chriſti exoſa. Inter hos Matthæus Vicecomes Mediolanenſis Tyrannus non modò ſuſpectus, verùm etiam conuictus*, &c. *Corius in hiſtor. Mediolanenſi.*

Vt ſummariò comprehendamus quæ nos concernunt, huius narrationis quatuor potiſſimum eſſe inuenio; nonnullos videlicet damnatorum ex ſententia præmiſſa Conſtitutionis fuiſſe Etruſcos, & traiciſſe in Siciliam, quaſi plures alij ſuperfuerint præter dictos. Secundum eſt tam præfatos damnatos, quàm eorum infectos hæreſi inquiſitos fuiſſe in Etruria, Sicilia, Prouincia Prouinciæ, Aragonia, & apud Inſubres; quatenus per hæc intelligi daretur, tam multos fuiſſe, vt per illa loca tam ipſi, quàm per eos ſeducti, paſſim reperirentur. Tertium defenſores, & fautores habuiſſe magnates, quibus authoritas Romani Pontificis, & aliorum Prælatorum fuit exoſa, inuiſæ facultates, & opes. Quartum denique, inter fautores numeratum Matthæum Vicecomitem de hæreſibus multis conuictum, & inter cætera, quòd Gulielmam quandam Beghinam, & meretricem in numerum ſanctorum retulerit. His omnibus ſubſcribitur vnus Bernard. Corius in 1. p. hiſt. Mediolan. tanquam author fuerit hiſtoriæ.

In primis Corius ne mentionem quidem facit Franciſcanorum, aut illius præſtiti eis fauoris, vel patrocinij ſiue à Matthæo, ſiue à quouis alio, ergo in hoc Corius diuiſus eſt à Bzouio. Verùm quod minus non eſt, conuincitur impoſturæ, ex præmiſſa decretali, quæ contra illos fratres Prouinciæ Tuſciæ, qui fugerunt in Siciliam, dumtaxat eſt promulgata, eóſque ſolos damnat, vt conſtat ex §. *Qui Eccleſiaſtica vincula non verentes*, &c. & ſubſeq. fraudulenter ergo Bzouius adiicit, *nonnullos damnatorum* fuiſſe Etruſcos, cùm hi ſoli fuerunt ex manifeſto ſenſu decretalis, eáque quam ſubdit narratione facti; & hiſtoria.

B Z O V. *Secundum iſtud Ioannis Pontificis edictum, tam Epiſcopi, quàm ſacræ fidei quæſitores in Etruria, Sicilia, Prouincia Prouinciæ, Aragonia,*

gonia, & apud Inſubres magnam diligentiam adhibuerunt, in his, & aliis hæreſi eorum inquinatis, inueſtigandis, & ad ſanam fidem, ac mentem reuocandis, vel etiam caſtigandis, &c.

Improbum, & ridiculum laborem imponit Prælatis, & Inquiſitoribus, tanquam ſi piſces in ſaltibus expiſcantes, feras etiam in mediis venarentur fluctibus, & quod maioris impoſturæ eſt hoc factum contendit; *ſecundum iſtud Ioannis Pontificis edictum*, quod fugitiuos illos vnius Prouinciæ dumtaxat concernit, vt eſt dictum, contra quos dum peruenerint litteræ Pontificis ad Regem Fredericum, eas hic mandauit officialibus exequendas, ij verò fugâ elapſi ſunt partim in terras infidelium ad partes tranſmarinas, partim in ſecretiora ipſius inſulæ loca diſperſi. ita ipſa decretalis. *Quæ*, inquit, *præſentientes peſtiferi memorati, cùm ad ſinum piæ matris redire, ſaltem Eccleſiaſticâ diſciplina coacti humiliter debuiſſent*, &c. *fugæ præſidio declinarunt, nonnullis eorum in locis abditis, & latebroſis dictæ Inſulæ derelictis, qui ſuis fautoribus, ſub quorum defenſione conſiſtunt, pro mercede iniqui fauoris peruerſi dogmatis venena rependunt; alij verò per loca infidelium diſcurrentes, mare, & aridam circumire feruntur, vt vnum ſaltem faciant proſelytum*, &c. Si itaque, dum daretur decretalis, fuerint vel in ſola Sicilia, vel in partibus infidelium, vt ipſa fert conſtitutio, vt quid tanta fieret eorum inquiſitio in Etruria, Aragonia, Prouincia Prouinciæ, Inſubria? ad quas partes, poſtquam diuiſi ſunt ab ordine, non redierunt, neque redire fuit integrum, ex Prælatorum & ordinis in eos perſecutione; multo minus in iis partibus quenquam infecerint, demus ipſos infectos fuiſſe. Hinc etiam corruunt reliqua eius figmenea, quæ de fautoribus horum refert, & ſuperius confutata ſunt: quid namque Matthæo Vicecomiti interiecta Italia, cum latitantibus in Sicilia, aut diſperſis ad partes infidelium: indecoræ ſunt inuentiones quarum non meminit quidem Bernard. Corius. Verum tamen eſt obiecta fuiſſe contra Matthæum Vicecomitem teſte Corio ea reliqua, quæ Bzouius adducit. De quibus ille in 3. p. tractat. non in 2. accuſatum refert Corius à Bonifacio de Fatra Doctore, & Laurentio Gallina: Mediolanum tamen hos adueniſſe, & ibidem cenſuras in eundem latas affixiſſe, nec veriſimile eſt, illo rerum ibidem potiente, nec talia Corius, ex quo enarrat Bzouius, ſicut nec conuictum fuiſſe (vt idem refert) ſed factis aliqualibus probationibus, ſuper obiectis condẽnatum. Accedit quòd conuinci is non potuit, vt qui abſens fuit accuſatus ab aduerſariis & damnatus nullo præſente, qui reſponderet aut patrocinium cauſæ ſuſciperet. Vt cætera etiam omittam, illud quod eidem obiiciebatur circa Gulielmam Beghinam longè aliter narrat Corius, & ex Corio Bzouius: Ille enim dicit obiectum Matthæo eum conſeruaſſe dictam hæreticam Beghinam: Bzouius in ſanctorum numerum retuliſſe, quæ diuerſiſſima ſunt. Ita ſcilicet ſcriptor Annalium allegare, & ſequi debet authores? Verùm ſi tam foret apud hunc fides Corio in purgationem Matthæi loquenti, quàm curæ fuit eundem ipſius producere præter ſententiam accuſatorem, rem aliter compeiiſſet. Idem

Falſatus Corius.

porrò

porrò Corius in ſecunda parte hiſtoriæ refert ſub anno Iubilæi Pontifice Bonifacio VIII. detectam fuiſſe eam ſynagogam, quam Gulielma ſimul cum Andrea Semarita infra terram & ad portam nouam inſtituit inauditæ exercendæ libidini, prout illius fert conſuetudo ſectæ; deprehenſa eſt hæc nequitia à quodam Conrado Cappa mercatore ſex annis poſt mortem Gulielmæ, is ſimul cum aliis rem diuulgauit Matthæo Vicecomiti Principi ciuitatis, hic verò re cum Inquiſitore communicata ex eius conſilio mandauit comprehendi tam Andream, quàm omnes complices & ſequaces; hi ſubiecti tormentis confeſſi ſunt vltra vndecim annos hoc ſceleris duraſſe. In fine tandem omnes ſimul damnauit ad rogum cum oſſibus peſſimæ Gulielmæ, *&c.* Hæc eadem cum tota rei hiſtoria ad literam penè tranſcripſit Bzouius ex eodem Corio ſupra anno 1300. num. 12. citans prætereaChronicon Baſſian. (quibus concordat Bergomas in ſupplemento) ſed ea eſt eius conſtantia, vt quem immunem alibi reddit, alibi damnat, & quod longè atrocius eſt, in eadem vbique cauſa.

Quoad reliqua, quæ obiiciebantur in cauſa hæreſis, idem Matthæus apud Corium 3. part. immunem ſe probat emiſſa fidei profeſſione publica coram clero, adiiciens ſub proteſtatione nunquam ſe aliter credidiſſe, & ſi aliud fuerit impoſitum, falſo accuſatum fuiſſe, de qua re curauit fieri publicum inſtrumentum, nec deinceps ſe immiſcuit adminiſtrationi aut rei publicæ, aut priuatæ, omniáque reſignans in manus ſui filij Galeatij exiuit mox Mediolano viſurus Modœciæ templum ſancti Ioannis Baptiſtæ, & ibidem infirmatus paulo poſt Cartenzagi extinctus eſt, in cuius mortem pluſquam Scythicâ feritate inuehitur Bzouius infra ad annum 1322. aſſerens conuerſionem eius fictam, non veram fuiſſe, adnotánſque in margine, periculorum timore fractum petiiſſe abſolutionem, ſed diuinâ vindictâ morte præuentum, atque (vt in narratione ſubiicit) *ab vltore numine extinctum, per tormenta animi animam efflauiſſe.* non aduertit, quàm præſumptuoſum & graue piaculum ſit diuinæ iuſtitiæ & miſericordiæ occulta rimari,& tremendis myſteriis, quæ ſibi ſoli Deus reſeruauit, velut in triuialia quædam ſe intrepidè, & irreuerenter ingerere; nihil etiam contingere præter conſuetam diuinæ miſericordiæ clementiam, (quæ non mortem vult peccatoris, ſed magis vt conuertatur) ſi peccatorem non derelinquat, ſed vocet ad pœnitentiam in nouiſſima etiam hora, quæ nullius cenſuræ admittit reſeruationem,quidni ergo & in Matthæo Vicecomite quantumuis peccatore, & veram conuerſionem, & pœnitentiam admittere liceat, cùm & hoc pietati magis congruat, nec abhorreat veritas, & hoc ipſum Corius, quem in teſtimonium adfert,concedat? ſed excommunicatum, & cenſuris innodatum Sedi Apoſtolicæ reſeruatis obiicit, & morte præuentum ante harum relaxationem. Quid tum? hæc enim miſericordiæ diuinæ viſcera reſipiſcenti non occludunt,vnde, & frequenter poſt mortem remittuntur, & in tali articulo à quouis ſacerdote tolli poſſunt: nec veriſimile eſt tum Matthæo defuiſſe copiam ſacerdotis, vt qui tertio die ab acceſſu [illegible] obierit. Ex his autem patrocinari nolo

Mors Matthæi Vicecomitis perperam damnata.

iis, quæ aduerſus iuſtitiam, vel Eccleſiam commiſit; ſed quia pietati magis congruunt, & ſaluum hominem malo, quàm damnatum, eámque Bzouij arrogantiam præterire non expediat, qui nec authores, quos adducit, ſequitur, nec rationem habet dictorum, aut perſonarum, in quoſuis debacchans, idque vt plurimum friuolis de cauſis, iiſque obumbratis, vt qui nobilis viri pœnitentiam arroganter non contemnat modò, ſed abſque fundamento crudeliter damnet, ipſúmque ſimiliter condemnatum velit, eò quòd abſolutionem cenſurarum à legato Pontificio petitam, mors eius præuenerit.

Anno Domini 1321. num. 7.

B Z O V. *Præter proſcriptos graſſatores, ſcriptorum quoque contra Pontificiam poteſtatem, nonnulla pars id temporis, bonas horas malè conſumebat; & tum Ludouicum Bauarum, tum omnes Gibellinos Romanæ Sedi aduerſarios atro calamo aduerſus Ioannem inflammabat. Dolebat Ludouico, & illius aſſeclis Pontificis Romani, & reliquorum Eccleſiaſticorum non contemnenda ex poſſeſſione bonorum potentia. Quamobrem vt eam, quam vehementius timebant, totis viribus conuellerent; quorundam zelo non ſecundum ſcientiam flagrantium, de Chriſti, & Apoſtolorum paupertate, hæreſim totis brachiis complexi ſunt, eo fine, vt Romanum, & reliquos Pontifices bonis omnibus exuerent: namque inferebant non æquè eſſe vicarium, & ſucceſſores maioribus, & anteceſſoribus ſuis Chriſto & Apoſtolis; ditiores eminere, ſi Chriſtus atque illi nihil peculij poſſediſſet*, &c. & inferius poſtquam intermediâ narratione quoſdam fabuloſos angores Ludouici Imperatoris animum confingit inuaſiſſe, tanquam is confirmationem neceſſariam ſibi à Pontifice iudicaret, ſupremámque illi, & Imperij, & regnorum in temporalibus poteſtatem deferret, quæ planè in ſuis appellationibus negabat, eóque prætextu cauſæ ſuæ iuſtitiam fulciebat. Subiicit tandem Bzouius; *Itaque quod inter ſuſpectos de hæreſi, & fautores conſimilium ſeſe eſſe non ignoraret*, (ſupple, Ludouicus) *manipulum malè feriatorum, maléque Doctorum incitauit, qui & voce, & ſcripto enunciarent in primis Pontificem Romanum locupletem non ſectatorem Chriſti egentis videri, Imperatorem ex vi electionis à ſolo Deo. ius, & poteſtatem in imperium accipere; neque à Romano Antiſtite, quicquam aut habere, aut expectare debere, quinimo ipſum in Romanum Præſulem, ſi ille exceſſerit, ius, & poteſtatem vindicandi habere à Deo, & ab Eccleſia. cuius defenſor audit, collatam. Paupertatis Chriſti aſſertor præcipuus fuerat frater Michaël Ceſenas Generalis Miniſter, & nonnulli ignari ex ordine Minorum, Begardorum, & Fratricellorum hæreſim profeſſi, Pontificiam poteſtatem imminuebant. M. de Paterna, Ioannes de Ianduno*, &c. *His ſe adiunxerunt Gulielmus Ochamus Minorita, Marſilius Patauinus medicinam Doctus, & Bonagratia Bergomas Franciſcanus. Hi epiſtolis, & libris malè conſcriptis, & vbique terrarum malè diſperſis Romani Pontificis authoritatem in Imperium, & Imp. eleuabant, & Ludouici aſtruebant*, &c. *ex variis Ioan. XXII. annorum ſequentium inferius adiunctis epiſtolis.*

Sicut

Sicut ſementem feceris, ita & metes, non mirère igitur ſi fructum colligas debitum. Non legiſti præclarum Memnonis dictum, & factum? cùm is pro Dano aduerſus Alexandrum bellum gereret, militem quendam mercenarium nimium huic conuitiantem haſta percuſſit; *Ego*, inquit, *te alo, vt pugnes aduerſus Alexandrum, non vt illum maledicas.* lucrari debuiſti, quem gloriaris te comedere panem, pugnando, non conuitiando. Quid in te peccauit Ludouicus Imperator? quid Minoritæ? quid tandem ipſa veritas, vt huiuſmodi crimina in eos confingas, & pares Beguinis opinione, & doctrinâ facias? non eſt quærenda alia huius ratio præter infirmitatem tuam, quæ maledicentiâ, & virulentis dictis impendio alitur, & delectatur. Vides vt narrationis impoſturam, & rixas ſimul magnus compeſcuit Heruartus, & inconditam molem excuſſis fundamentis vno dumtaxat ictu proſtrauerit. *Placet*, inquit, *omnia Bzouij pronunciata, hoc vno pronunciato noſtro complecti; in ijs epiſtolis nos nihil horum inuenimus hoc anno geſtum. Reſtat ergo vt ſint meræ calumniæ Bzouij, donec illud monſtrauerit*, &c. ego eidem ſubſcribo; imò pro confirmatione ſententiæ oppoſitum haberi certa fide contendo. Dictum Memnonis rectè torquetur.

In primis in monitorio Ioannis Pontificis, quod octauo Pontificatus anno duobus ſcilicet poſt hunc annis vel circiter, promulgauit, expreſſa à Bzouio crimina non habentur, vt quòd Ludouico doleret potentia Pontificis, & Eccleſiaſticorum, quòd hæreſim de Chriſti, & Apoſtolorum paupertate complexus, eo fine, vt illos bonis omnibus exueret; quòd aſſereret non æquum eſſe Vicarium, & ſucceſſores Chriſto, & Apoſtolis ditiores eminere; quòd locuples Pontifex Chriſti egentis ſucceſſor non videretur; quòd Imperator à Deo & Eccleſia ius habeat caſtigandi, & vindicandi in Pontificem ſi deliquerit: hæc crimina non habentur in monitorio quamuis in eo exponi deberent neceſſitate ſtyli, & ex ſcopo ipſius conſtitutionis, quæ omnia crimina obiicit in finem emendationis, & ideo appellationem ſortitur, quia de iis admonet; ſi voluntaria fortè reſipiſcentia, tranſgreſſor debitam caſtigationem anteuerteret. Nec etiam crimina illa in ſententia ipſa continentur, quæ in eadem cum monitorio incidit motiua; ergo falsò, & immoderatè de iis tantus princeps traducitur, atque eidem ex Ioannis epiſtolis opponuntur. Vbi enim magis erant exprimenda quàm in ſententia damnationis? Conficta crimina.

Accedit minimum horum, quod fingit Bzouius, atrocius eſſe, quàm vel aliquod, vel omnia etiam ſimul, quæ in monitorio obiiciuntur Ludouico; magíſque idcirco illa poſceret remedium, vtpote hæreſes, quam hæc, inter quæ vnum tantùm de hæreſi ſuſpicionem non benè affecto interpreti ſuggerere poteſt; quòd nempe Galeacio, & adhærentibus condemnatis à competentibus iudicibus de hæreſi cum ſuſpectis, fauorem & defenſionem præſtiterit, quod optimè in ſua appellatione diluit Ludouicus: reliqua verò omnia, vt quòd aſſumpſerit titulum Imperij electus à maiori parte ſuffragantium; quòd illud adminiſtrauerit ſolo iure electionis abſque vlteriori approbatione confiſus, &c. ne dum fidem non lædunt, ſed magnorum virorum Catholicorum, Theologo-

rum, & Canoniſtarum Eccleſiæ, & iuri Pontificio in reliquis tuend deuotorum, iudicio, & ſententia ritè, & iuſtè factum pronunciatur, qu omnes ex vi electionis totum id iuris concedi electo conſtanter aſſerût, de qua re conſuli poteſt vnus Nauarrus in releɛt. in cap. Nouit. de iudiciis. notabili 3. qui præmiſſis in fauorem illius aſſertionis ſeptemdecim argumentis, numeroſam Doctorum turbam idem cum ipſo ſentientium adducit. In his ergo epiſtolis Ioannis, monitorio videlicet, & ſententia aduerſus Ludouicum nullæ hæreſes obiiciuntur, in quibus literis eorum mentio, accuſatio, improperatio contineri maximè omnino deberet, nec certè Pontifex eas omiſiſſet, nec æmulis excidiſſent, ſi vel tenui tum famâ, vel ſolâ vulgi opinione iactari dumtaxat contigiſſent.

Audiamus & ipſum Ludouicum, ſi is fuerit, qui iura Eccleſiæ violare, opes eius diripere, Pontificum frangere potentiam, eóſque tandem ad Chriſti, & Apoſtolorum redigere penuriam voluerit. ita ille proteſtatus Nurnbergæ coram Epiſcopo Ratiſponenſi & aliis idoneis teſtibus, & Notariis. *In primis,* inquit, *proteſtamur, quòd ſanctam Eccleſiam Romanam, magiſtram fidei Catholicæ, matrem, & alumnam noſtram colere, diligere, & fouere, ſtatum eius ſolidare, & iura ſeruare ſemper intendimus bona fide. Item quòd hoſtes eius, & rebelles quoſlibet, quos ſcimus vel à profeſſione dictæ fidei aberrantes, tanquam fidelis aduocatus, & fidus Chriſtianæ fidei zelator, hoſtiliter perſequi, & exterminare volumus, toto poſſe. Item quod non credimus contra ipſam Eccleſiam in aliquo exceſſiſſe, & ſi quando excederemus. parati ſumus, ad eius correctionem humiliter emendari, & ſub regula diſciplinæ ſuæ obedienter conſiſtere, & ſuo conſilio, & regimine gubernari. Item quòd eidem volumus reuerentiam debitam, & honorem. Proteſtamur inſuper quòd Domino noſtro ſummo Pontifici, eam quam debemus, & quemadmodum Romanis Pontificibus Romanorum Imperatores, & Reges prædeceſſores noſtri obedientiam, deuotionem, & reuerentiam geſſerunt, & habuerunt, volumus ſimiliter gerere & habere,* &c. Hæc Ludouicus Imperator. Vide nunc vbinam legere poteris hæreſes Fratricellorum; quænam in hac proteſtatione clauſula derogat opibus, & poteſtati Pontificiæ, quam defendere, obſeruare, conſeruare, omniàque ipſi Eccleſiæ ſua reſeruare iura promittit, & pro poſſe ſpondet; ad correctionem eius emendari; Pontifici omnem obedientiam, deuotionem, reuerentiam, ad inſtar prædeceſſorum, ſe geſturum pollicetur. Vide quid hæc quadrant cum prætenſa poteſtate caſtigandi Pontifices, quam tu imponis, tanquam is talem ſibi à Deo & Eccleſia conceſſam præſumpſiſſet. Hæc autem proteſtatio (vt ſingula conferas lector) data eſt duobus annis poſt hunc, quo tot hæreſibus incuſat Bzouius Ludouicum, ſcilicet 1323. vt tradit Heruartus, vel vt ipſe Bzouius 1324.

Proteſtatio Ludouici Imper. Catholica.

Accedunt & litteræ Regis Daniæ, datæ ad Cardinales, quibus rogat, vt concordiam procurent Pontificis cum Imperatore. *Ne miremini,* inquit, *quod pro ipſo* (ſupple, Ludouico) *& bono ipſius certare volumus, & in ſuis iuſtis cauſis nos intromittere, quòd filius ſuus filiam noſtram duxerat*

in

in vxorem, nec aliud de ipſo ſentiamus, quàm quod de fideli Chriſticola eſt ſentiendum. Cui teſtimonium perhibent vita ſua, & operationes, nec non fama euſdem, non ſolùm quoad bonos & graues, verùm etiam vt intelleximus communiter apud omnes, &c. data eſt epiſtola anno 1325.

Vltimò tandem hæc obiicere audacius poſſet, ſi aliquo ea exemplo probaret, eúmque opes cleri, & Prælatorum ſiue in Germania, ſiue in aliis Imperij partibus, quæ ſuberant eius regimini, ſecluſa offenſione, & neceſſitate defendendi Imperij inuaſiſſe probaret, atque in ſuum intuliſſe theſaurum; accedit quòd nonnullæ ab eodem Eccleſiarum dotationes, & fundationes legantur factæ, vt Monaſterij, Ethalenſis, quod locupletiſſimè erectum, & fundatum dotauit, vt conſtat ex Hundio, & literis Epiſcopi Auguſtani cum Capitulo, quas vide apud Heruartum ad annum 1347. hæc igitur non cohærent improperiis obiectis. Ad quid enim tantæ in monachos collatæ diuitiæ, ſi omnes Eccleſiaſticos vellet pauperes, & inopes? ſi Fratticellorum hæreſes totis brachiis complexus eo fine, vt Eccleſiarum facultates depilaret. Inſulſæ ſunt hæ nugæ ſine ſale aut condimento, noſtra igitur in iis propellendis ſuperflua eſt impugnatio, felicem ad hæc & inuictum aduocatum nacta eſt inclyta domus Bauarica, magnum Cancellarium cui ſine iniuria noſtram adiicere opellam non poſſemus; nec enim ſoli quidquam lucerna, aut gutta confert flumini. Non diſplicebit tamen, ſi ex inſtituti noſtri propoſito calumnias haſce reiicimus quas in tantum Principem, ex noſtris prætenſâ, & conficta occaſione, communis detractor congeſſit, tanquam ille à noſtris ſubuerſus, vel ſuamet inclinatione ſeductus fuerit, quamquam nec hoc conſtanter aſſerat Bzouius, temulento inter contraria veſtigio, vt ſolet, claudicans. In initio namque narrationis refert nonnullam partem ſcriptorum (inter quos, aliquos collocat Minoritas) Ludouicum & Gibellinos aduerſus Ioannem incitaſſe; in fine verò mutato calamo ſtylum in ipſum conuertit Ludouicum, aſſerens eum incitaſſe, *male feriatorum manipulum, maléque Doctorum, qui voce, & ſcripto enunciarent Pontificem Romanum locupletem, non ſectatorē Chriſti egentis videri.*

Georgius Heruartus contra Bzouium.

Contradictio Bzouij.

Sed quis æquè ferat, quod prætextu controuerſiæ de paupertate Chriſti, & determinationis Capituli generalis Peruſini, quæ eſt ipſa Nicolai Papæ aſſertio, ſubinferat hæreſim Marſilij Patauini, velut à Minoritis defenſam, & quaſi negarent hi viros Eccleſiaſticos vllas diuitias poſſidere poſſe: *Voce*, inquit, *& ſcripto enunciarent Pontificem Romanum locupletem, non ſectatorem Chriſti egentis videri*, &c. & qui illi? nimirum Ceſænas & eidem adhærentes Minoritæ. *Paupertatis Chriſti*, inquit, *aſſertor præcipuus fuerat frater Michael Ceſenas, & nonnulli ignari ex Ordine Minorum, Begardorum & Fratricellorum hæreſim profeſſi*, &c. Grauiſſima hæc iniuria eſt, & infame commentum, qui leget determinationem Ceſænatis, & totius Capituli, quam anno ſequenti adſcribemus, inueniet eam eſſe Nicolai Papæ III. declarationem ſuper regulam B.P. noſtri Franciſci. Vocare autem determinationem Pontificiam hæreſim Fratricellorum, & Begardorū, vt reipſa ſonant verba aduerſarij, ſignum eſt malè affecti hominis, & in rebus fidei longè infecti, vel certè magnæ

præcipitantiæ, & non ferendæ audaciæ, quæ impetu effudit, quæ neſcit, rationémque ſua ſede emotam, peruertit.

Controuerſia, vt diximus, de paupertate nondum initium habuit, cœpta porrò eſt anno ſequenti, tantúmque abeſt, vt vel Ceſænas, Ocham, aut alij Minoritæ ſcripto aliquid aduerſus Pontificem hoc anno enunciarint, vt ſeptimo poſt hunc ſua prius monumenta ediderint, ſcilicet 1328. dum fugâ Auinione lapſi cōfugerint Piſas, vt ex ſententia damnationis eorum conſtat, & poſcente argumento inferius monſtrabimus etiã Bzouio teſte.

Verùm nec tum, nec aliàs hæreſes Fratricellorum eos docuiſſe, melius infra conſtabit, Marſilius tamen Patauinus eam hæreſim docuiſſe fertur.

Eodem anno num. 8. ſubſequitur.

BZOV. *Non potuit hoc anno Ioannes Pontifex malè Zelatorum illorum errores non damnare, ſingularitatémque Fratricellorum non notare, cùm i[illegible]i, & habitu ſeſe à reliquis diſtinguerent, nec quidquam, ac ne panem quidem vinum, aut granum reſeruare vellent, dominio rerũ omnium abdicato. Itaque huic eam quam adiungo ſcripſit conſtitutionem. ita habet ext. tit. de verb. ſignif. Quorundam exigit*, &c. his adiicit hanc notam marginalem; *Ioannes Papa Fratricellorum errores & hæreſim ſcripta conſtitutione damnat.*

Etiamnum hæderam ſuſpendes ad ludibrium lectoris vacuo penuario, vt viatores fallas? argumentum confingis decretalis, illudque præmittis, quaſi idem huic & Bzouio ſenſus foret, inſcitiã tantam, atque abſurditatem ſatis nequeo admirari, admirabitur fortè lector: ſed & ego nimium deteſtor irreuerentiam, quam in Pontificis conſtitutiones exerces, vt quoduis figmentum eis ſubſtituere non verearis, nihil penſi habens, quid litera, quid textus contineat, vt vel ſic Franciſcanos hæreticos proclames. Alij licèt propenſioni aliquando indulgeant, vt veritatem mutent in affectum; aliquali tamen id argutiâ, at verecundâ ſimulatione præſtant, vt non deſertores eius, aut perfugæ, ſed velut de induſtria exploratores quidam emiſſi appareant; colores ſuos præferant; argumenta perſuadendæ opinioni producunt; confirmant ex veroſimilibus, obiecta diluunt, & licèt pro vero falſum, adumbratum tamen, velut adſcito pigmento, vendunt. Tu verò haudquaquam ſimiliter, plumbi nobis maſſam, ipſóque naturalis ſuæ ingenito liuore ſuffuſam, ſqualore rudem, pro auro offers, pro albo nigrum, pro dulci amarum, fraudem ſine fuco, ſine condimento venenum; vt verè tandem ſingulari tuâ laude gloriari liceret, te vnum induſtriam, & artem, neceſſaria impoſturæ præſidia, in apertam commutaſſe violentiam. Vis ergo vt violentum te prædicemus? eam laudem vis decretalibus illata meretur. Superiùs vidimus qualem Clementinæ, & extrauagantis interpretem egeris, quàm diſcordia iis argumenta commentus es: hic verò idem ipſe es, iterum Sampſonis vulpes alligare tentaſti, pauperculam Franciſci vineam incenſurus: Verùm ſponſi oraculo tanquam nos concernenti obaudientes, capiemus vulpes tuas quæ demoliuntur vineam noſtram, maléque concordes facili negocio diſſoluemus.

BZOV.

B z o v. *Ioannes*, inquit, *Papa Fratricellorum errores & hæreſim ſcriptâ conſtitutione damnat.*

Hæc nota marginalis, quàm tituli inſtar appoſuit; quaſi extrauagans fidei cauſas tractaret; non eſt, quòd tam inani fallaciæ repugnemus, aut quidquam profundiori ſtudio elaboratum obiiciamus; ipſa conſulenda eſt decretalis, quæ expers eſt omnis litis, quæ ad cauſam fidei, aut hæreſis ſpectare directè poſſet, aut indirectè; nulla in ea eſt mentio cuiuſcumque aut hæreſis, aut hæreticorum, nulla fidei definita quæſtio, nullius erroris hac in parte damnatio? Quin imò ab huiuſmodi cauſis tam aliena eſt, quàm quæ alieniſſima. Vis lector breue ſummarium decretalis audire? approbat declarationes Nicolai III. & Clementis V. in regulam fratrum Minorum, obſeruandam in veſtibus, & ſpecialiter in habitu, menſuram, formam, humilitatem, remittit iudicio ſuperiorum determinandam. Item iiſdem ſimiliter remittit iudicium de neceſſitate eorum conuentuum, in quibus fieri neceſſum ſit prouiſionem vini, & grani tempore idoneo per anticipationem eius neceſſitatis, quæ aliàs per harum rerum penuriam, quotidianâ mendicationis ſubuentione leuari nequiret. Ac quartò tandem mandat fratribus, vt difformitatem habitus exuentes, ſuperiorum iudicio in omnibus, & expreſſis caſibus maximè, aliiſque ad regulam & Pontificum declarationes ſpectantibus humiliter obediant, pareant, intendant. Hoc verum, & integrum decretalis argumentum; præthereà verò nihil continet; ne ſemel quidem ipſum Fratricellorum nomen, minus autem hæreſes, aut earum damnationem. Quis ergo ferre poteſt liberum hominis ingenium non verens tam putida figmenta decretalibus Pontificiis componere, diſtortúmque penitus, & à vero ſuo intellectu peregrinum ſenſum affingere? Verùm ferox ille, & inquietus maledicentiæ ſtimulus, ſtudiúmque Franciſcanos inſectandi huc virum adegit, vt præcipitium non metueret, non declinaret. Sui námque prodigi homines nocere quærunt, non euadere, alieno ſe nocumento ita, penitúſque deuouent, vt nulla amplius proprij honoris, aut vtilitatis iis ſuperſit memoria, nullum remaneat deſiderium: quanta in his ſit aduerſarij impotentia, ex iis, quæ circa hanc decretalem ſcripta ab eo ſunt, conſtabit. Præfationem eius, & epilogum conſular lector virulento calamo depictum, & Franciſcanorum vbique conſperſum ſanguine.

B z o v. *Non potuit hoc anno Ioannes Pontifex malè zelatorum illorum errores non damnare, ſingularitatémque Fratricellorum non notare*, &c.

Nec ego ſine magna nauſea impoſturam huius ſtrophæ ſuboleo; decretalis nullorum damnat errores, atque alieni prorſus argumenti eſt à quæſtione fidei, & contrariis tranſgreſſionibus, vt legenti apparet, & modò præmiſimus. Verùm quinam illi malè zelatores, & Fratricelli? Michaëlem Ceſænatem, & reliquos adhærentes demonſtrat, quos præ-

 cedenti

cedenti numero hæreſis de paupertate Chriſti defenſores, Beghardorum, & Fratricellorum hæreſim profeſſos deſcripſit. Ecce aliud obtruſum figmentum, atque informe quidem monſtrum, quod nedum veritatis ſpeciem, ſed nec ipſius mendacij honeſtam (ſi ita dicere licet) ſeu excuſationem, ſeú fucum, & ſimulationem refert. Adeo ſcilicet nouitatem affectat author, vt conſuetum faſtidiat ſtylum, & neceſſariis fictionem indumentis exutam ad videntium horrorem magis proſtituat, quàm proponat oblectamentum.

Primò Ceſænas, & ſocij poſt ſeptem annos gratiâ Pontificis, facti rebelles, ſeu veriùs metu transfugæ, exciderunt; quid ergo hoc anno in iis potuit damnare Ioannes niſi culpam velis anteuertat pœna, & iuſtitia crimen? Secundò, ipſa quæ offenſionem inuexit controuerſia, initium habuit anno ſequenti, non potuit ergo quidquam ratione eius hoc anno damnare Ioannes. Tertiò, longè diuerſa fuit aſſertio ab hæreſi Berghardorum, nihilque differuit Ceſænas, niſi quod ante definitum eſt per Nicolaum Pontificem, vt ſequenti anno demonſtrabimus; non potuit ergo Ioannes in eo quidquam damnare, aut notare erroris. Quartò, decretalis Ioannis in illa de paupertate Chriſti quæſtione edita eſt ſequenti anno ſcilicet 1322. & Pontificatus anno ſeptimo, antea verò nihil ab eo exiuit huius rei decretum; non potuit ergo quemquam hoc anno, & ante rei deciſionem notare vel damnare. Quintò, non damnauit Ioannes aſſertionem Ceſænatis, vt planum eſt illa ſua conſtitutione, quæ incipit; *Inter nonnullos*, &c. ergo non potuit ipſum etiam damnare Ceſænatem ob aſſerta. Sextò, ſtylus non obtinet, vt nomina damnatorum & rebellium, cùm nota ſunt, prætereat ſupprimátque ſententia; in præſentiarum verò nulla eſt mentio Ceſænatis, aut adhærentium; ergo eos haudquaquam damnauit, ſicut reuera nullos. Parce obteſtor candide lector, iudicium ſuſpendere, nimium ſerius in re trita videor, & ſuperfluus, & ita reuera eſt. Venia tandem dignus, vt qui non demonſtrandæ veritati, quæ ſeipſa omnibus fit obuia, nec perſpicacitati atque iudicio tuo diffiſus, vel æquitati, præmiſſa conglobaui, ſed vt oculos mecum parumper in aduerſarium intendas, videáſque quàm languidè aſſumptam hiſtorici prouinciam adminiſtret, vt qui veritatem tot aliiſque incluſam rationibus elabi permiſit, vel certè diſſimulauit (ſi tamen elapſam ab eo dicamus, quam ſuæ poteſtatis nequaquam fecit.) Adhuc tamen prolixior fio, & vnam, bonâ veniâ, adiungo rationem, vel eo maximè, quòd nouam impoſturam deteget, ſimúlque ipſius decretalis hiſtoriam ſubiiciet.

Non potuit, inquit, *hoc anno Ioannes Pontifex malè zelatorum illorum errores non damnare*, &c. *illorum*, ſupple, Ceſænatis, &c. *hoc anno*, &c. (ſupple, præſcripto, qui eſt ſalutis 1321. Ioannis Pontificis quinto & ſexto) *damnare*, &c. ſupple, per Conſtitutionem, *Quorumdam exigit*, &c. de qua in præſentiarum. In vulgata editione iuris non ſubſcribitur huic conſtitutioni annus aliquis, aut dies. Hinc benigniùs omnia interpretatus Antagoniſta, ſibi liberum putauit decretalem adſcribere quocumque vellet anno. Hîc igitur eandem inſeruit, omnis enim alia

ſubtracta

ſubtracta eſt ratio Minoritas inceſſendi, ſed quatuor ab hinc annis edita eſt decretalis, ſcilicet anno 1317. nonis Octobris Pontificatus anno 2. ita ſpeculum Minorum impreſſum Rothomagi tractatu 3. cui concordat Marcus 2. part. lib.7. cap. 33. Item author Firmamenti 3. part. habetur ipſa decretalis Salamanticæ authentica, Roderiquez in bullario datam refert anno 2. Pontificatus, ſicut & ſummarium Pontificale inter Ordinis antiqua Chronica obſeruatum, dum agit de eodem Pontifice. Memoriale verò quod Miniſt. Generalium ſucceſſionem rerúmque ſub ipſis geſtarum compendium proponit, refert hanc decretalem in annum 1318. quem ſequitur Marianus lib. 4. cap. 5. idémque videtur dicere S. Anoninus titul. 24. cap. 9. §.15. licèt vitio impreſſoris in noua hac editione vnus numerus in alium fuerit commutatus, ſcilicet 1318. in 1328. quod facile accidere potuit ſubſtituendo numerum 2. pro 1. error iſte horum authorum exinde prouenit, quòd annus ſecundus Pōtificatus Ioannis,quo data eſt decretalis,magna ex parte incidit in milleſimū trecenteſimū decimum octauum,electus enim fuit 1316.7. vel vt alij volunt, 6. Idus Auguſti. Cæterùm prior ſententia vera, & tollenda, quæ ſuperuenit diſcrepantia: Nam litteræ quas Michaël Ceſænas tum Generalis exiſtens pro exequutione, & obſeruantia dictæ extrauagantis tranſmiſit ad Miniſtros Prouinciales,datæ ſunt Nonis Decembris 1317. duobus ſcilicet menſibus à die datæ extrauagantis, & de ipſa extrauagante mentionem inſerit. Litteræ incipiunt; *Cùm almus Christi confeſſor Franciſcus in regula ſua dicat, quod fratres omnes veſtimentis vilibus induantur,& felicis recordationis Dominus Clemens V. huius vilitatis iudicium Miniſtris, Cuſtodibus, ſeu Guardianis Ordinis noſtri duxerit committendum, eorum ſuper hoc conſcientias onerando, & ſanctiſſimus Pater noſter & Dominus D. Ioannes diuina prouidentia Papa XXII. in declaratione nuper per eum editâ, prouidè ſtatuerit, & diſtrictè præcipiendo mandauerit, quòd omnes & ſinguli fratres dicti Ordinis circa vilitatem veſtium, tam habitus, quam interiorum tunicarum arbitrium, determinationem, ſiue iudicium Generalis quidem totius, Prouincialis verò in Prouinciarum Miniſtrorum, Cuſtodum, & Guardianorum adminiſtrationibus, Cuſtodiis, & Guardianiis*, &c. *ſequi commodè, illúdque per omnia parere teneantur*, &c. Has litteras de verbo ad verbum tranſcripſit Marianus, eáſque ſignificat Marcus loco citato, cauſam autem conſtitutioni dederunt & fratrum circa puncta iam declarata altercatio, & diuiſio facta in Prouincia Narbonenſi (de qua ſupra eſt dictum) quorundam fratrum à corpore Prouinciæ, eorum námque vnioni inſtitit Generalis Michaël Ceſænas apud Pontificem, qui vt finem liti imponeret, dictam extrauagantem edidit. Ita omnes citati, Marianus, Marcus, Roderiquez, Antonin. antiqua Chronica. non ergo contra Ceſænatem promulgata eſt decretalis, cuius ipſe fuit exequutor, nec contra vllos Fratricellos, aut hæreticos, ſed fratrum quorundam concordiæ eſt edita, nihilque clarius, quàm hoc ipſum demonſtrat littera conſtitutionis, ne dicam ſenſus, ratio, finis, præſcriptum; nugæ ergo ſunt & cantilenæ quæ obiicit aduerſarius.

Speculum. Marcus. Firmamēt. Roderiq.

BZOV.

B z o v. *Non potuit hoc anno Ioannes*, &c. *ſingularitatem Fratricellorum non notare, cùm illi & habitu ſe a reliquis diſtinguerent*, &c.

Vide, ſi oculos habes, diſcurſus tui filum. Superius (vt prima narratio, quam exſcripſimus, docet) authores Fratricellos, à pleriſque Minoritis collectos, abrogatos, & damnatos ex ſententia Ioannis Pontificis, tanquam hæreticos, cum reprobatione etiam ipſius ſectæ, & prohibitione ſtatus; nunc verò poſt aliquot annos refers notatos ab eodem Pontifice de ſingularitate; quòd habitu ſe ab aliis diuiſerint, tanquam illi doleret hæreticorum, & iam dudum pro talibus damnatorum à Catholicis ſeparatio, nihilque grauius nota ſingularitatis in reprobos cenſeret ſtatuendum. Quinimo & ipſam à ſe reprobatam ſectam hactenus, & etiamnum permiſerit, notatam tamen de ſingularitate. Vide bone vir vt vbique ceſpites, vbique offendas, & ſiue regrediaris, ſiue progrediaris, nullum tibi eſſe planum iter.

Non fuerunt ij fratres, qui diſcrimen in habitu admiſerunt, Fratricelli; ſed viri Catholici, ſtrictioris obſeruantiæ rigorem affectantes, id docent authores ſupra citati, id docet ipſa decretalis, cum reſciſſa huiuſmodi difformitatis offenſione, mandet ſeruari communem formam, eandem omnibus quantitatem, & qualitatem habitus commendans, inducens, & præcipiens, quo vnius inſtituti par omnibus ſit cultus corporis, par vbique obſeruatio: Fratricellorum verò nomen, & dogma ignotum eſt decretali; ideóque in Commentarios Bzouij iſthæc referenda ſunt commenta, à quibus plurimum abhorret Ioannis extrauagans.

B z o v. *Neque quicquam, ac ne panem quidem, vinum, aut granum reſeruare vellent, dominio rerum omnium abdicato*, &c.

Hactenus perplexum me tenuit author, dubitaui nempe (nec ſine cauſa) an ſemel legerit ſaltem decretalem, cùm aſſeruerit editam aduerſus Fratricellos, hæreſes damnaſſe, atque errores; taléſque inuoluerit huic difficultates qualium planè eſt exors: Verùm præmiſſa iam clauſula extra dubium poſuit, quæ velut adhærentes reliquiæ quædam, index eſt tranſcurrentis, licèt non omnino deſignet fixum permanentis, aut ſtudioſè remorantis, & paſcentis veſtigium.

Improperaſſe præſumit grauia crimina; infamem atque inauditam aduerſus Franciſcanos exhibuiſſe querelam, putidas inueniſſe hæreſes; quod ij ſcilicet dominium cunctarum rerum abdicarint, nec vinum, granum, aut ipſum reſeruare panem voluerint; Expediuit ſcilicet, linguam in aſſuetas Franciſciadum maledictiones; illa tamen, priſtinâ infirmitate excuſsâ, atque longioris morbi excita callum, amarum in ſuaue mutauit, & quæ ad maledicendum venit, non ſecus ac Baal conuerſa eſt in benedictiones. In benedictiones, inquam, non quia benè, ſed bona dicit, & quaſi maledicendo benedicat; quòd tamen bona dicat, Franciſcanorum laus hæc virtutis eſt; quòd verò benè agentes, & in

In ipſo vituperentur bono, vitium eſt inſectantis; quid porrò ad commendationem alicuius magis præſtat, quàm virtutem ei vitio reddere, & in ipſo conuitiantis ore ipſiſque laudari opprobriis? quid è contra ad nequitiam adeo proficit improperantis, iudiciſque perturbationem, quàm virtuti cuiuſquam odio detrahere, virtuti calumnias ſtruere, virtutem vel in ipſo reprobare hoſte? æquiores ſanè Iudæi in Chriſtum, quàm Bzouius in Chriſtianos. Illi non effrænes adeo, vt de bono opere offenſam intentare ſimularent, aut mortem: reſponderunt enim, *De bono opere non lapidamus te*, &c. Hic verò quos lapidare nequit, lacerare non deſinit; & quidem de bono opere, quod ineſſe nolit, & quem conceſſum dolet, virtutis incuſat profectum, omniúmque vocibus celebratum præconium, in eius ore ſonat vituperium, obiicitur in opprobrium: Aduocatum nos tamen interponimus Magnum Gregorium moral. 13. *Dum electi*, inquit, *proficiunt, reprobi ad rabiem furoris excitantur, & bona naſcentia, quæ nolunt imitari, perſequuntur*, &c. Ioan. 10.

Abdicare rerum omnium dominium licèt Franciſcanis inter reliquos ſingulare fortè ſit, ſingularitatis nota caret: inſtituti námque id proprium eſt, regula mandat, atque ex eius ſenſu & præſcripto declarant Pontifices, ſentiunt alij expoſitores.

Regula præcipit; *Fratres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem*, &c. rectè ergo omnia abdicarunt. Nicolaus Pontifex, *Dicimus*, inquit, *quod abdicatio proprietatis huiuſmodi omnium rerum tam in ſpeciali quàm etiam in communi propter Deum meritoria eſt, & ſancta*, &c. & determinat hunc eſſe ſenſum regulæ tam ex propria, quàm prædeceſſorum Pontificum ſententia; rectè ergo profeſſores eius omnia abdicarunt; eadem determinat Clemens V. in Concilio Vienneſi, vtriuſque declarationes approbat, confirmat, & obſeruandas præcipit hoc præſenti decreto Ioannes Pontifex; plura ad hæc adiicere poſſemus, niſi quod eandem quæſtionem magis ſeriò inferiùs tractandam differamus.

Sed quod de non congregatione aut reſeruatione vini & grani obiicit, ignorantiam ſonat, alienúmque eſt à decreti intellectione; quæſtio fuit inter fratres an liceret tempore meſſis & vindemiæ huiuſmodi rerum prouiſione futuram præuenire neceſſitatem, aliis aſſerentibus, aliis negantibus: Reſpondet Clemens in Clem. exiui de Paradiſo; *Rurſus*, inquit, *cùm prædictus ſanctus exemplis vitæ, quàm verbis regulæ, oſtenderit, ſe velle quod ſui fratres, & filij diuinæ prouidentiæ innitentes, ſuos in Deum iacerent cogitatus, qui volucres cœli paſcit, qui non congregant in horrea, nec ſeminant, nec metunt; non eſt veriſimile voluiſſe ipſum eos habere granaria, vel cellaria, vbi quotidianis mendicationibus deberent ſperare poſſe tranſigere vitam ſuam. Et ideo non ex timore leui laxare ſe debent ad congregationes, & obſeruationes huiuſmodi faciendas: ſed tunc tantum cùm eſſet multum credibile ex iam expertis, quod non poſſint neceſſaria aliter prouidere. Hoc autem Miniſtrorum & Cuſtodum ſimul, & ſeparatim in ſuis adminiſtrationibus, & cuſtodiis cum Guardiani, & duorum de conuentu loci diſcretorum ſacerdotum, & antiquorum in Ordine*

Y *fratrum*

fratrum conſilio, & aſſenſu duximus iudicio relinquendum, eorum ſuper hoc ſpecialiter conſcientias onerantes, &c. Hoc idem confirmat præſens extrauagans Ioannis. *Eodem modo*, inquit, *eiſdem quodammodo rationibus inuitati, cùm præfatorum Miniſtrorum, & Cuſtodum ſub certâ formâ, ſimul ſcilicet, & ſeparatim in ſuis adminiſtrationibus, & Cuſtodiis cum Guardiani, & duorum de Conuentu loci diſcretorum ſacerdotum, & antiquorum in Ordine fratrum conſilio, & aſſenſu præfatus Clemens iudicio duxerit relinquendum, an ſit multum credibile ex iam expertis, quòd fratres ipſi abſque granariis, & cellariis non poſſint vitæ neceſſaria inuenire, quo caſu granaria, & cellaria, congregationes, & obſeruationes huiuſmodi eis ipſe conceſſit, prout in prædictis euſdem Clementis litteris pleniùs continetur: nos de præfatorum fratrum noſtrorum conſilio, eorundem Miniſtrorum, & Cuſtodum ſub eadem forma iudicio præſentium authoritate committimus determinare, videlicet arbitrari, atque percipere eo caſu, qualiter, vbi, quando, quomodo, & quoties granum, panem, vinum, pro vitæ fratrum neceſſariis, fratres ipſi quærere debeant, conſeruare ſiue reponere, etiamſi reponenda ſint in prædictis granariis, & cellariis conſeruanda*, &c. Ecce ſub eadem forma Ioannes ſtatuit hæc ipſa, quæ Clemens, nec permittit granaria, aut cellaria, niſi in caſu neceſſitatis, quam ſuperiorum iudicio, quoad omnes etiam circumſtantias penſandam, ſubiicit. Ergo his citra neceſſitatem vti, ipſius ſtatuti ſententia prohibet, tanquam voti, & regulæ tranſgreſſionem. Vbi iam tuæ hæreſes? vbi errores Fratricellorum notati à Ioanne in ſua extrauaganti; atque aduerſum Franciſcanos conſignati? obieciſti duo velut hæreſes, errores, ſingularitatem Fratricellorum, videlicet non reſeruare panem, vinum, granum, & non vti cellariis, & granariis, & omnium rerum abdicare dominium; dic, ſi audes, horum aſſertores Romanos Pontifices Fratricellos, & hæreticos eſſe. Dic, regulam Franciſcanam, omnéſque eius profeſſores, inuentorem, confirmatores, expoſitores, eſſe Fratricellos. Produc Euangelium, aut ſcripturam, in qua hæc offendunt aſſerta. Demus in his ipſis errorem contineri, ille circa intellectum regulæ fieret, non contra aliquid in diuina pagina reuelatum, aut propoſitum ſcripto, aut traditione fide diuina credendum; non ergo hæreſim, quæ circa reuelara tantum contingit, ſaperet talium aſſertio (demus, vt dixi, non vera eſſe) ſed iuris errorem, aut ignorantiam. Aſt certè quoniam tu nos ita cogis reſponſionem torquere notandus es hæreſis & erroris, qui determinationes atque declarationes Pontificum reipſa vocas hæreſes; qui circa intellectionem regulæ approbatæ non tantùm eos erraſſe ſed hæreſes docuiſſe reipſa aſſeris; qui ipſius regulæ ſtatum præ cæteris omnibus tot Pontificum approbatum declarationibus, tot expoſitorum qualificatum placitis, non tantùm directè impugnas, ſed velut hæreticum, hæreſes & errores, continentem reprobas, idque non hîc modò, ſed planius in ſequenti numero, quo paupertatem eius inuectam ais fuiſſe per dæmonem, quam omnis doli artifex ſathan te authore perſuaſit; Quique inferius eam doctrinam laudas, & confirmas, quæ manifeſtas continet hæreſes circa Pontificis, & Eccleſiæ poteſtatem in deciden-

Futilitas accuſatoris.

Nota in aduerſariū torquetur.

decidendis rebus fidei, atque concedit in Eccleſia poſſe eſſe errorem iudicialem ſequente definitione Pontificis in quæſtione fidei, & acceptante; vt talem Pontificem, Concilium generale, & totam Eccleſiam errare poſſe ſimili errore, atque erroneum docere, corrigi & reuocari quæ ab iis definita ſunt, de hac re longior nobis erit tecum ſermo infra anno 1335.

Eodem anno, & numero.

BZOV. *Hæc omnia Ioannes Pontifex contra temerarios quoſdam ſanciebat, vt in ipſo ſemine hæreſim maximo damno Eccleſiæ exurgentem opprimeret, atque religionem tam ſanctam, quàm vniuerſis fidelibus in exemplar virtutis natam, tum emacularet, tum ab interitu vindicaret. Artifex enim omnis mali ſathan, poſtquam paulò antè Templariorum militiam extinctam vidiſſet, etiam ſtellarum cœli Franciſcam tertiam partem. caudâ aculeatâ detrahere volens, ſemina extirpandæ huic religioni aſtu ſingulari per ipſos fratres, & ſimul per aliquos Doctores indoctos, ne dixerim malignos ſeminabat. Nimirum vt propter varietatem opinionum, habitu, & capite diuiſos, tanto facilius præcipitaret, quanto nihil commune cum hominibus (cùm nihil proprium in communi habere illis licitum fore perſuaderet) poſſiderent. res erat. Si Franciſcanæ regulæ profeſſores ex ea peſſima quam de Chriſti & Apoſtolorum paupertate conceperant, hæreſi, ſeſe dominio omnium rerum abdicaſſent, neque illis licitum foret aut ſacras confeſſiones excipere, aut verbum Dei ad populum proponere, aut piè defunctos intra clauſtra, & Eccleſias ſepelire, aut denique quicquam in conſolationem ſpiritualem fidelium conferre, & ex conſequenti neque vllam ex charitate opem expectare (quis enim aliquid dederit illi, à quo nullam vtilitatem ſperat) neque quicquam peculij poſſidere, neque in craſtinum aliquid reſeruare, neque quicquam à quoquam exigere, & hoc titulo ſeipſos omnibus meliores, & perfectiores, & propterea inuiſos facere, iſtud nihil aliud fuerat, quàm occaſiones extirpandæ religioni huic, & ſubſequenter alus paulò poſt abrogandis, miniſtrare. Námque Ioannes Poliacus non vni Franciſcanæ, ſed omnibus pœnè religioſis opponebat, fratres nullâ ratione poſſe confeſſiones audire, & reliqua plura exercere in commodum animarum, vt hoc modo omnes religioſos, & præſertim Franciſcanos inter ſe primò committeret, & ſchiſmate peſtilentiſſimo ſeparatos à capite, & inter ſe diuiſos, tanquam tumultuatores, & nullius frugi homines, pérque mutua diſſidia ad interitum vergentes proſterneret, & ex area Eccleſiaſtica eradicaret. Acceſſit & iſtud dum fratres Minores non niſi vſum rerum ſibi reſeruarent, & ad Eccleſiam Romanam totum directum dominium ſuarum rerum deferrent; ac propterea in vſurpatores earum Sedem Apoſtolicam armarent, & ex conſequenti propterea, eandem odio omnium exponerent, eandem quoque pariter, vnà ſecum in præceps traherent, &c.*

Neſcio quid irrationabilius dici potuit, quid malignius, ſi occaſionem ſpectes, ſi animum aduerſarij, atque ſiniſtrum affectum; ſi denique

ipſa conuitia; animum monſtrant calumniæ, & impoſturæ; cauſam verò ipſe prætendit Ioannis decretalem, tanquam illa cunctas huiuſmodi criminationes ſuggereret, à quibus aliena omnino exiſtit, vt ex ſummario eius ſupra declarauimus; Verùm non ſecus ac ſtriges in veneficium, & ſuperſtitionem ſancta conuertunt, ita iſte pontificiam conſtitutionem, in famoſos libellos, & calumnias velut in maleficium quoddam aduerſum nos obſignatum transformare conatur, licet autem hæc indigna alioquin reſponſione cenſeantur, ea nequaquam prætermittere viſum eſt, ſine aliquali caſtigatione, quo æquus lector ad iniuriam rei indignitate penſandam attentior, minus verò amicus reddatur cautior.

Bzov. *Hæc Ioannes Pontifex contra temerarios quoſdam ſanciebat, vt in ipſo ſemine hæreſim maximo damno Eccleſiæ exurgentem opprimeret, atque religionem*, &c. *tum emacularet, tum ab interitu vindicaret.*

Illi apud Bzouium temerarij ſunt Ceſænas, & adhærentes, contra quos decretalis, vt ſupra præfatus eſt, emanauit; decretalis data eſt anno 1317. Ocham verò & Ceſænas primùm damnati ſunt anno 1328. vndecim ſcilicet annis poſt datam decretalem, quibus pacificè ordinem hic rexit, & Pontificis gratiâ floruit; accedit nullos hic damnari, nullámque inflictam eſſe pœnam; ergo primum hoc membrum corruit; quod de ſemine hæreſis adiicitur, æquè vanum eſt, vt conſtat ex dictis. Imò, & controuerſia de paupertate Chriſti (de qua tamen nihil decretalis) quam hæreſis notat in propoſito, quinque annis poſt datam conſtitutionem, excitata eſt. Aduerto ad reliquum abſurditatis cumulum, idem eſſe hæreſim in ſemine, atque in ipſo ortu, & initio opprimere, ſeu verius in cauſis, nec radices igitur priùs egit, nec pullulauit. Videat Bzouius Fratricellorum hæreſim (de qua hîc ille) ex Bzouio longè antiquiorem eſſe,& creuiſſe,non aliter ſomniat epilepticus.

Bzov. *Et religionem*, &c. *tum emacularet, tum ab interitu vindicaret.*

Probandum priùs erat maculatam fuiſſe religionem, antequam emaculatam ediceres: nam ad priuationem non datur regreſſus niſi à forma, non tam leue eſt hoc crimen, vt de facili ſine vera probatione, aut ſaltim probabili obiici debuit, aut iuſtè potuit; de hæreſi, non autem de vulgari quapiam nota, religionem noſtram accuſas, ab eâque per hanc decretalem emaculatam refers, decretalis (vt toties, & non ſine faſtidio meo, reſponſionis tamen legem ſequutus, te vrgente atque ad idem confugiente, replicaui) neminem abſoluit, neminem hæreſis accuſat; quomodo igitur religionem ab hæreſi emacularit; talionem non vereris, & rectè; nihil enim auferre aut nocere poteſt; id habes, quod fama & ingenium peperit: illo potiaris, illo fruare, nemo inuidet. De interitu etiam tunc religioni incumbente nihil nos ſcimus, nec Patres noſtri

noſtri annunciauerunt nobis: neque loquuta eſt quidquam decretalis. Tu igitur, qui ſpectator adfuiſti, qui euentum ex cauſis, vel fortè diuini conſilij particeps in ſpiritu futurum proſpiciebas, rem pande; ſed populo tamen facili, & credulo: nobis enim amplius verba non dabis. Audiemus tamen differentem, quod illud periculum, quænam interimendæ religioni ſemina ſint ſparſa.

B Z O V. *Artifex enim*, inquit, *omnis mali ſathan, poſtquam ante Templariorum militiam extinctam vidiſſet, etiam ſtellarum cœli Franciſcani tertiam partem caudâ aculeatâ detrahere volens, ſemina extirpandæ huic religioni, aſtu ſingulari per ipſos fratres, & inſimul per aliquos doctores indoctos, ne dixerim malignos ſeminabat*, &c.

Tu nempe vidiſti aculeatum illũ, & incuruũ harpagonem rapientem, atque Franciſcæ incumbentem? vel ex Delpho hoc nobis oraculum attuliſti? eius rei ne conſcij ſunt authores: nec quidquam hoc anno motam ſuo loco Franciſcam ferunt. Verùm tu mihi inter ſtellas cœli aliquam inuenies, quæ vocetur Franciſca? parce roganti; quid velis, iam capio, in allegoriam nempe trahis, quod de dracone rufo aſſerit Ioannes Apocalypſis 12. qui & tertiam ſtellarum partem, caudâ in terram traxiſſe fertur, hoc autem Franciſcanæ familiæ quæ trientem Eccleſiaſticorum, teſte Pelbarto, & aliis comprehendit, viſum eſt accommodare: ſed Concilium Tridentinum non permittit ſcripturam ſacram eiúſve ſententias, ad fabuloſa, vana, adulationes, detractiones, torquere, eaſdem tamen fabulas, detractiones, & impoſturam aduerſus Ceſænatem, & ſocios hîc iterum reſumis, toties innouas, totieſque repetis, tanquam ſemina extirpandæ religioni dæmon per eos ſeminarit, doctores indoctos, & malignos: quia illi indocti, audiamus te doctorem, quàm rectè ſeruatis allegoriæ, tropíque regulis dæmonem tuum caudatum, & aculeatum mutaueris in ſeminatorem? *Caudâ*, inquit, *aculeatâ detrahere volens* (ſupple Franciſcam) *ſemina, ſeminabat*. Quænam hæc obſeruata rerum ipſarum proprietas, draco *cauda aculeata*, & *ſemina ſeminabat*? Vidiſti vnquam ſemina ſpargentem, aut arantem draconem? videbaris tibi ſingulari ſtylo aduerſum Franciſcanos cucurriſſe, gratúmque lectori exhibuiſſe poculum, abſynthium tamen propinaſti, explicatum te primum videro ab iis, quibus fixim inhæres rudimentis, quàm in tam ſublimes viros admiſero cenſorem, multis ſubſelliis præeunt; proxima tibi carpe; Non eſt quod punctim omnia, quæ hîc fingis, attingam, cùm iam ea impugnauerim: nec enim hoc anno ſuborta illa controuerſia, nec ea ſemina eius, per Franciſcanos ſunt iniecta, ſed per quendam Dominicanum, teſte etiam Bzouio. Verùm de hoc, anno ſequenti; nunc proſequamur draconem Bzouianum caudâ aculeatâ ſemina ſeminantem.

B Z O V. *Nimirum vt propter varietatem opinionum, habitu, & capite diuiſos tanto facilius præcipitaret, quando nihil commune cum hominibus*

(*cùm nihil proprium in communi habere illis licitum fore perſuaderet*) *poſſiderent*, &c.

Cenſura.

Hæc diſſimulari non poſſunt, & maximè illa aſſertio, *cùm nihil proprium in communi habere illis licitum fore perſuaderet, ſupple, artifex omnis doli ſathan.* Verùm, quid circa huiuſmodi ſentiendum ſit, ex aliorum placitis, quàm proprio magis diſſerendum eſt iudicio. Vt rem igitur ab ouo aperiam; regulam fratrum Minorum præſcribere paupertatem in communi non tantùm ex ipſo eius textu colligitur expreſsè cap. 6. ſed conſtans omnium eius expoſitorum eſt ſententia, perpetuus ordinis vſus, praxis, & conſuetudo optima legum, interpres, in hoc vſque tempus obtinuit (eos excipio dumtaxat, qui huius præcepti relaxationem ex Sedis Apoſtolicæ indulgentia obtinuerunt, Patres Conuentuales) multiſque in ſingulis congregationibus ordinatis ſtatutis, & pœnis aduerſus tranſgreſſores, authoritate etiam ſedis Apoſtolicæ confirmatis, huius paupertatis obſeruantiam præ cæteris ob oculos habuerunt ordinis eiuſdem rectores.

C. cum dilectus. de conſuet.

Regulam verò ſic intellectam in dictæ paupertatis rigore & præſcripto confirmauit, Innocentius III. Honorius III. declarauit etiam Gregorius IX. paupertatem in communi ex ſenſu regulæ præcipi. Item Innocentius IV. Alexander IV. & præ cæteris Nicolaus III. in decretali *exiit*, definit non tantùm ad hoc genus paupertatis teneri ex regula fratres, ſed etiam meritorium eſſe, ac ſanctum. Idem confirmauit Martinus IV. Nicolaus IV. Bonifacius VIII. ac tandem Clemens V. in Concilio Viennenſi, Clemen. *exiui de paradiſo.* Item in præſenti decreto Ioannes XXII. cum pluribus ſucceſſoribus quos inferius ſubiungam, oſtenſurus hanc eſſe, & fuiſſe perpetuam Eccleſiæ, & Pontificũ circa regulæ noſtræ intellectum ſententiam, cuius obſeruantiæ, & puritati circa rigorem ſanctæ paupertatis, inter reliqua, ita ſemper prouiſum eſt à ſummis Pontificibus: vt aſſumpto in proprietatem S. Petri rerum ordini conceſſarum dominio (niſi illud ſibi reſeruaret concedens) per ſyndicos tamen, & procuratores nomine, & authoritate Sedis Apoſtolicæ fretos, neceſſitati fratrum proſpicerent; vt conſtat ex litteris Martini IV. Martini V. Eugenij IV. Sixti IV. & aliorum inferiùs ſubiiciendis.

Innoc. III. Honor. III. Gregor. IX. Innoc. IV. Alexand. IV. Nicolaus III. Nocola. IV. Martin. IV. Bonif. VIII. Clemens V. Ioannes XXII.

His ſuppoſitis ad illam Bzouij propoſitionem redeamus, eiuſque ex ſenſu Doctorum, intueamur affectiones.

In primis quod temeraria, iniurioſa, ſcandaloſa ſit cuius facillimè apparet: temeraria namque illa eſſe dicitur; *quæ de temeritate, & impudentia notatur, & eſt ea, quæ in doctrina fidei, vel morum inſolenter, & nimis audacter ſine ſufficiente motiuo, vel probatione profertur.* Ita Corduba lib. 1. quæſt. quæſt. 17. Cano de locis lib. 12. cap. agens de ſecunda ſpecie temeritatis, quam dicit habere, *Contemptionem ſuperbam Eccleſiaſticæ regulæ, quam contemptionem, niſi fidei iudices coërceant, & comprimant, dici non poteſt, quam tum diſcriminis omnis Eccleſiæ doctrina ſit habitura*, &c. Concordat Pytiagenes in ſumma ſuper

Quod ſit temeraria aſſertio. Corduba Cano.

Pytiagenes

ſuper 3. Scor. d. 25. art. 5. §. decimò obſeruandum eſt. Caſtro lib. 1. de iuſta hæretic. punit. cap. 3. & ratio deſumitur ex Sancto Thoma 2. 2. quæſt. 53. artic. 3. cum communi explicante, quid ſit temeritas, quæ ſcilicet nulla ratione in actione regitur, hinc verò deſumpta in dictis, eius ratio, quando ſine ratione, vel authoritate quidquam aſſeritur, quænam autem ratio huius aſſertionis adducitur à Bzouio, videat lector, non aliam aſſignat præter decretalem ſuperiùs expreſſam, quæ impertinens ad hoc eſt, nihilque tale continet. Imò contrarium approbat, confirmans decretales Nicolai; & Clementis Papæ, quæ oppoſitum aſſertionis manifeſtè determinant, idemque ſupponit dum fratribus Minoribus nullum permittit vſum granariorum, & cellariorum ſeu prouiſionem vini, & grani extra neceſſitatem à ſuperioribus examinandam, vnde ſi prætenſam rationem ipſi adiungamus aſſertioni, non tam temerariæ, quàm inſanæ, & phantaſticæ notam merebitur. Caſtro. S. Thomas.

Quod item dicta propoſitio ſit iniurioſa, nemo negabit; eam porrò, quam intrepidè reprobat, paupertatem fratrum Minorum regula præſcribit, profitentur ipſi fratres, confirmarunt Pontifices, obſeruauerunt multi Sancti, nihil ergo minus hic author refert, quàm hos omnes perſuaſos fuiſſe à dæmone; quod iniurioſum, ac etiam contumelioſum eſt. Quod ſit iniurioſa.

Scandaloſa verò eſt, quia alios ab ingreſſu religionis retrahit, profeſſos ad voti tranſgreſſionem inducit, ruinam ſubminiſtrat, nam quæ dæmonis perſuaſione fiunt, neque ad perfectionem ſpectant, neque ſub voti materia cadunt; quæ ſi non in meliori, in bono ſaltim conſiſtit. Dæmonem verò ad bonum inſtigare poſſe negaret Sanctus Thomas 1. part. quæſt. 64. art. 2. de mal. quæſt. 16. art. 5. in 2. d. 7. quæſt. 1. art. 2. vbi communiter Doctores, & noſter Scotus, etſi poteſtatem naturalem ad bonum ei non adimit, vſum probabilius non admittit. Verum aduerſarius non in eam nos controuerſiam trahit, qui hanc perſuaſionem ab artifice doli in malum, & deceptionem factam contendit, hæreſimque iudicat Fratricellorum, atque adeo hac ipſa damnatam conſtitutione. Verùm quia nimium ferociter contra omnem rationem, & humanitatem in noſtrum ſtatum innolat, æquum eſt, vt ſerius aliquantulum rem ponderemus. Videtur igitur dicta propoſitio damnata in Concilio Conſtant. ſeſſ. 8. inter reliquas Witclefi. Item in Bulla Martini V. quæ incipit: *inter cunctas*, &c. Tenor verò articuli damnati eſt talis: *Omnes religiones indifferenter introducta ſunt à diabolo.* Hæc ideò damnatur, quia includit religiones approbatas ab Eccleſia, aſſerens eas introductas à diabolo, ac proinde Eccleſiam in earum approbatione erraſſe, tanquam confirmaret ſuâ authoritate malum introductum per diabolum; pernicioſum velut ſalutare amplectendum & ſequendum ſtatueret; à fidei firmitate declinaret columna, *& fundamentum veritatis*: Dum aduerſus eam portæ inferi, ſic contra ſponſionem præualerent Saluatoris: in hoc ergo ſenſu proculdubio illa damnata eſt aſſertio, & Quod ſit ſcandaloſa. S. Thomas. Damnata in Concilio Conſtantienſi.

ſub

ſub hac reſtrictione, non prout ad quaſuis congregationes extenditur, quæ nullam à Sede Apoſtolica approbationem meruerunt, aut obtinuerunt. Licèt nomen & titulum religionis aſſumpſerint: inter eas enim plures introductas à dæmone conſtat, quales fuerunt pauperes de Lugduno, & Fratricelli, quibuſcum ſuæ creuerunt, & natæ ſunt ſuperſtitiones, & hæreſes; ac proinde illius approbationem negauit Lucius Papa III. Alexander etiam III. hos abrogarunt multi alij Pontifices, vt ſupra viſum eſt. Ita damnationem dicti articuli interpretatur Gregorius à Valentia 2. 2. diſp. 1. quæſt. 1. puncto 7. §. 42. *Neque*, inquit, *ob aliam certè rationem hic error damnatur, niſi, quia multa ſunt religiones per Sedem Apoſtolicam approbatæ, quare prorſus errare cenſendus eſt is, qui hanc vel illam religionem a Sede Apoſtolica approbatam, diceret eſſe malam, aut pugnantem cum doctrina Euangelij.*

Gregorius à Valentia.

Probatur igitur hoc ſuppoſito aduerſarium in illum incidiſſe errorem, atque aſſeruiſſe ipſa damnatum Witclefi articulum, in eo quo damnatur ſenſu: ille ſimpliciter ſtatus eſt malus, atque introductus à dæmone cuius præcipua, particularis, & ſubſtantialis obſeruatio præſcriptum, & vinculum eſt arte, & dolo Sathanæ perſuaſum, & introductum: quia malum ex quocumque defectu, bonum ex integra cauſa, neque Deus & dæmon communicant in operibus; *quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ. Quæ autem conuentio Christi ad Belial? in hoc apparuit filius Dei vt diſſoluat opera diaboli.* Quoniam igitur ſicut Dei perfecta ſunt opera, nec peccatum facere, aut eius author, vt fides docet, eſſe poteſt, ita etiam, nec illius ſtatus ex parte etiam author, ſuaſor aut inſtitutor, quem Sathan in peccatum perſuaſit, & cuius profeſſio eſt damnatio, & hæreſis manifeſta confeſſio. Sed paupertatem in communi, quam velut præcipuum, & ſubſtantiale votum indicit regula Fratrum Minorum, Sathan perſuaſit atque introduxit, ex aſſertione Bzouij. Ergo & reipſa ſtatus, cuius ſubſtantiam complet dicta paupertas, perſuaſus, ac conſequenter introductus eſt à dæmone, ac proinde religionem approbatam ab Eccleſia, cum Witclefo introductam à dæmone aſſerit.

2. Cor. 6. 1. Ioan. 1. 2. Cor. 6. 1. Ioan. 3.

Secundò idem probatur ex motiuo & cauſa damnationis, ratio damnationis huius articuli in eo eſt, quòd ſequeretur ex eo Eccleſiam errorem docere, & profiteri in iis, quæ ad mores ſpectant & conſequenter in ipſa fide, dum introductum à dæmone ſtatum, ac proinde malum velut bonum, ſalutare, & acquirendæ perfectioni virtutis idoneum approbaret, ipſumque peccatum pro virtute contra fidei veritatem iudicaret ſequendum, ſed hoc idem inconueniens æquè conſequitur ad aſſertionem Wiclefi & Bzouij: quia paupertas in communi (non tantùm ipſe ſtatus cuius eſt) fuit approbata a Pontificibus, & Eccleſia, & definitum à Nicolao III. meritoriam eſſe, declaratúmque toties ad eam teneri fratres Minores, vt ex præmiſſis apparet, & largiùs in ſequentibus monſtrabimus: ergo vtriúſque aſſertio eidem ſubiacet damnationi. Confirmatur: quia ad verificationem propoſitionis

Witclefi

Witcleſi ſuffeciſſet, vt cuiuſuis religionis, votum aliquod ſubſtantiale, introductum, & perſuaſum eſſet à dæmone: hoc enim totum inficeret, & reprobaret ſtatum, vt ſimpliciter introductus à ſolo dæmone, & non à Deo diceretur, eiuſque fieret damnabilis profeſſio ex ratione iam præcedenti, quia malum ex quocumque defectu. Ergo vt intelligatur ſtatus Minorum dici introductus, & perſuaſus à dæmone ſufficit, vt hoc de eius paupertate aſſeratur; ab huiuſmodi namque denominatione, & defectu non poteſt præſcindere totum, ſed quicumque diceret religionem Minorum introductam, & perſuaſam eſſe à dæmone, teneretur damnatione prædicti articuli, ergo qui dicit paupertatem eius profeſſam introductam, & perſuaſam eſſe à dæmone, incurrit damnationem articuli: habemus igitur eum authorem annalium, qui renouat articulos per Concilium Generale, & Pontificem damnatos.

Quanquam hæc de notis dictæ aſſertionis dixiſſe nobis ſufficiat; non deerunt fortè alij, qui preſſius vlcus comprimente, ſimulque reliquam eius ſaniem exprimente: nam ſaluo ſemper meliori iudicio excuſari fortè nequit, ſi ad omnia, quæ reſpicit, & ex ea redundant, comparetur, quin impia ſit, blaſphema, erronea, & hæretica. *Eius aſſertionis aliæ qualitates.*

Impia, quia prӕterquam quod pietati derogat (alios à perfectione ſequenda deterrens, alios à perſoluendo voto abſtrahens) ad minimum eſt ſuſpecta de hæreſi, quæ ad impiam conſtituendam ſufficit, vt Pytiagenes & Corduba docent, nam ſi impium, & ſuſpectum de hæreſi ſecundùm doctores reddit, ſi quis dicat non eſſe curandum de hiſtoriis, vitiſque ſanctorum, quas Eccleſia legit, & admittit in officio diuino: neque de vitis Patrum, & reuelationibus, & miraculis ſanctorum per Eccleſiam propoſitis tanquam piè, & probabiliter credendis; à fortiori ſuſpectum de hæreſi, & impium conſtituit, aſſerere ſtatum ab Eccleſia, ſolemni, & non probabili duntaxat, ſed certa approbatione confirmatum vt ſanctum, atque virtuti acquirendæ commodum, in quo multi vixerunt, & mortui ſunt ſancti viri, & pij, aſſerere, inquam, hunc perſuaſum à diabolo hæreſemque eſſe, magis impium, & ſuſpectum reddit, quàm quod præmittitur de vitis & reuelationibus Sanctorum. *Quod ſit impia.*

Blaſphemiæ notam quis inurere non verebitur, ſi naturam, & conditiones eius perfectè expenderit? Blaſphemus eſt qui vituperium, iniuriam, irriſionem, diminutionem honoris irrogat in Deum, vel quoquo modo pertinentia ad illum, vt ſanctos, Eccleſiam, ſacramenta, cultum diuinum, &c. ita Corduba §. 15. concordat Caſtro de iuſt. hær. punit. cap. 12. conſulatur D. Thom. 2. 2. quæſt. 14. Summiſtæ verb. blaſphemia, ex quibus id clarè conſtabit. Vnde blaſphemæ ſunt propoſitiones non tantùm eæ, quæ circa Deum immediatè verſantur remouentes ab eo, vel ſua attributa, vel debitam perfectionem, vel attribuentes indebitam, vel aliàs iniuriam inferentes: ſed etiam, quæ derogant honori ſanctorum, cuius rationem aſſignat Sanctus Thomas *Quod ſit blaſphema. Quis blaſphemus? Corduba Caſtro. D.Thomas.*

loco citato art. 1. ad 2. quia ſicut laudatur Deus in ſanctis ſuis commendatione operum, quæ tam in ipſis, quàm mediantibus iiſdem, eſt operatus in aliis: ita etiam vituperatur, dum iis derogatur. Huiuſmodi propoſitiones ſunt illæ Witclefi damnatæ per Concilium; *Religiones ſunt laquei animarum, & quòd ſancti eas fundantes peccarunt*, &c. referamus nunc lapidem ad funem; qui in Chriſtum & ſanctos iniurius eſt, qui cultui diuino, & Eccleſiæ derogat, conuincitur blaſphemus: hæc verò in aduerſarium quadrare ſic conſtat: paupertatem namque in communi Chriſtum Dominum, quandoque obſeruaſſe, & Apoſtolos, docet atque determinat Nicolaus Papa in decretali *exiit*, &c. de verb. ſignifi. in 6. *Dicimus*, inquit, *quòd abdicatio proprietatis huiuſmodi omnium rerum, tam in ſpeciali, quàm etiam in communi propter Deum meritoria eſt, & ſancta; quam & Chriſtus viam perfectionis oſtendens, verbo docuit, & exemplo firmauit, quamque primi fundatores militantis Eccleſiæ, prout ab ipſo fonte hauſerant, in volentes perfectè viuere, per doctrinæ, ac vitæ ipſorum alueos deriuarunt*, &c. Hæc Nicolaus; cuius declaratio in Concilio Viennenſi, & à ſucceſſoribus confirmata fuit; reuocatis omnibus, quæ contra niſus eſt Ioannes XXII. circa paupertatem Minorum. Leo X. in Bulla vnionis; *Ite vos in vineam meam*, &c. loquens de regula Sancti Franciſci ait: *Hæc*, inquit, *eſt religio ſancta & immaculata, in qua per ſpeculum ſine macula redemptoris contemplatur præſentia; vitæ Chriſti, & Apoſtolorum inſpicitur forma: per quam priorum Eccleſiæ fundatorum ante oculos Chriſtianæ plebi reducitur norma*, &c. Hæc ille ſpecialiter ob paupertatem dictæ regulæ: eandem paupertatem ſuaſiſſe Chriſtum patet Marc. 10. Matt. 19. & alibi, vt infrà videbimus. *Ecce nos reliquimus omnia*, inquit Petrus Chriſto. Item Chriſtus ibidem interroganti: *quid boni faciam, vt habeam vitam æternam? ſi vis*, inquit, *perfectus eſſe, vade & vende omnia tua & da pauperibus*, &c. eandem paupertatem profeſſus eſt à ſua conuerſione beatus Pater noſter Franciſcus, in eadem vixit, in eadem mortuus eſt, eam filiis ſeriò commendauit, & præſcripſit; eam profeſſi ſunt multi, & celebres ſancti quos Eccleſia in diuos retulit: in eáque virtute meritis, & gloria miraculorum creuerunt: eandem velut ſpeciale, & gratum Deo obſequium, & cultum confirmauit, & declarauit ſæpius Apoſtolica Sedes. Dicere igitur illam paupertatem perſuaſam eſſe ab omnis doli artifice ſathana; eſſe peſſimam hæreſim; (vt mox ſubiungit aduerſarius) eſſe hæreſim, & errores Fratricellorum (vt ſupra præmiſit) quid eſt aliud, quàm Chriſti expreſsè damnare vitam & Apoſtolorum, eos erraſſe, & ſeductos eſſe à dæmone affirmare? Sancti Franciſci, aliorumque ſui inſtituti diuorum notæ, declaratæ, & ab Eccleſia receptæ ſanctitati non modò detrahere: ſed in peccato & hæreſi eum cum reliquis aſſerere mortuum, prout aſtruit blaſphemus Witclefus de inuentoribus religionum? Eccleſiæ derogare conſtitutionibus? religionemque inter cæteras maximè vigentem, inſtitutam in Dei cultum reprobare? ac dicere tandem cum eodem

hæreſi

hæreſiarcha, eam eſſe fundatam in laqueum animarum, cùm eius profeſſa paupertas hæreſis aſtruatur, atque perſuaſa à Diabolo? ſi hæc ab inſigni blaſphemia excuſentur, fateor me omnino neſcire, quid blaſphemia ſit.

Erroneam in fide eſſe dictam propoſitionem probant omnium præmiſſæ Pontificum declarationes & determinationes, communiſque Eccleſiæ acceptatio, expoſitorum ipſius regulæ deciſio, atque Theologorum maximè huius temporis conſenſus. Imò & æquiualenter ſic damnata & notata eſt in Concilio Conſtantienſi, & à Martino V. inter articulos Witclefi artic. 24. qui eſt talis: *Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere, & non per mendicitatem*, hanc ſic damnat Concilium. *Prima pars*, inquit, *eſt ſcandaloſa, & præſumptuoſe aſſerta, pro quanto ſic generaliter, & indiſtinctè loquitur: & ſecunda erronea pro quanto aſſerit mendicitatem fratribus non licere.* Concordant Doctores citati, qui hoc ipſum propoſitionis erroneæ in fide exemplum ſubiiciunt, vt Canus cap. 11. Corduba §. 9. & magis ad noſtrum propoſitum: is enim agens de ſecunda ſpecie propoſitionis erroneæ ſubdit exemplum. *Item*, inquit, *quod religioſi tenentur labore corporali victum quærere, neque eis licet mendicare, vti Martinus V. in Concilio Conſtantienſi hoc de religioſis condemnauit, vt erroneum in fide: quamuis id etiam fortè hæreticum eſſet: quia contra expreſſam definitionem Eccleſiæ in cap. exiit de verb. ſignifi. lib. 6.* Hæc Corduba ſentiens illam propoſitionem hæreticam eſſe, ob ea, quæ Pontifex definiuit de paupertate Minorum ſupra expreſſa, aſſertio ergo Bzouij continetur in dicta Witclefi, quæ de quauis mendicitate omnium ordinum mendicantium etiam ab Eccleſia approbatorum loquitur; ideóque damnatur, quia mendicitas & paupertas mendicantium ab Eccleſia eſt recepta, maximè in Concilio Lugdunenſi cap. *religionum*, de relig. dom. in 6. vbi quidam ordines mendicantes abrogantur, quibuſdam prohibetur vlterior perſonarum receptio, aut ſuarum rerum diſpoſitio: Alij verò ſimpliciter approbantur, vt Prædicatores & Minores, alij ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ, vt Auguſtiniani & Carmelitæ. De his verò omnibus, & in ſenſu diſtributiuo intendit Witclefus, vt patet ex particula negatiua, quæ remouet velut illicitam mendicitatem, totumque negat, quod ſequitur in genere, & ſecundum quoduis eius ſuppoſitum; ſic etiam dictum articulum intellexit ipſum Concilium, & Pontifex, vt patet ex iis verbis cenſuræ: *pro quanto generaliter, & indiſtinctè loquitur.* Vnde ſicut ſubiectum generaliter ſeu vniuerſaliter ſumitur reſpectu prioris prædicati (ſcilicet per laborem manuum victum quærere) ita etiam ſupponit reſpectu poſterioris, quod etiam ex vi negatiuæ vniuerſim ſignificar. Damnat ergo Witclefus omnem mendicitatem profeſſam fratrum, cuiuſcumque ſint ordinis, damnat & Bzouius mendicitatem fratrum Minorum: vtrumque verò damnat Concilium, & Pontifex, & quidem cum anathemate annexo.

Quod ſit erronea.

Cano.

Corduba.

Quod ſit hæretica.

Hæreticam eſſe, fideíque contrariam, etſi fortè durius ſonat aduerſario, diuerſis rationibus ſuadetur. Primò ad hæreticam propoſitionem, provt de ea nunc loquimur, requiritur dumtaxat, vt opponatur alicui aſſertioni explicitæ Scripturæ Sanctæ, aut manifeſtè receptæ, & approbatæ traditioni, vel definitioni Pontificum, & Eccleſiæ: agimus enim de ipſa iuxta contrarietatem præciſam, quam habet, ad explicitas fidei, & morum determinationes particulares, vel, vt pertinet ad materiale fidei obiectum aliquod ſpeciale, non ſecundùm qualitates eius in ſubiecto, vel vt eſt criminalis, & habens annexam pertinaciam. Sed hæc aduerſarij aſſertio contrariatur definitionibus Pontificum circa ſtatum fratrum Minorum, & ſpecialiter Nicolai III. quam approbauit & explicuit Concilium Viennenſe, vt patet in Clementina, *Exiui de paradiſo.* de verb. ſignif. Confirmauit item eundem paupertatis ſtatum Concilium Conſtantienſe & Baſilienſe (quando hoc ſub obedientia degit Pontificis.) Item Concilium Lugdunenſe ſub Gregorio X. ordinem ipſum inter mendicantes approbauit, non aliam eius mendicitatem intendens, quàm quæ ex regulari voto præſcripta fuit, eundem etiam ordinem Prælati Eccleſiæ ſic in hac paupertate fundatum, approbatum, confirmatum acceperunt, vbique fouerunt, & promouerunt, vt ipſa conſtat experientia, per tantam multiplicationem omnibus in locis, numerúmque profeſſorum; ergo hæretica eſt aſſertio eius damnans paupertatem. Minor eſt iam probata; quia diabolicum, hæreticum, erroneum, ſanctum, & meritorium, regulæ'que ſanctæ & approbatæ ab Eccleſia præſcriptum & validum votum, atque pro tali declaratum opponuntur; ſed primum aſſerit aduerſarius de paupertate fratrum Minorum: ſecundum declarant, & definiunt Pontifices, confirmant Concilia, acceptauit Eccleſia, vt ex præmiſſis patet, atque inferiùs oſtendemus fuſiùs; ergo, maiorem verò præmiſſa rationis admittunt communiter orthodoxi pro re certa, imò ad ſolam Pontificis definitionem in quæſtione fidei, & morum ſequendam ſub crimine, & pœna hæreſis teneri Eccleſiam conſtat ex cap. ad abolendam. & gloſſa ibidem, & 24. quæſt. 1. cap. *Hæc eſt fides.* expreſsè id aſſerunt Caietan. in Apologia pro Papa cap. 14. & quod habet cap. 11. Sotus in 4. diſtinct. 5. quæſt. 1. artic. 2. ad 2. arg. Couarruuias in reſolutionibus lib. 4. cap. 16. num. 6. Sylueſt. verb. fides quæſt. 1. & quæſt. 7. B. Thomas opuſc. 19. contra impugnantes religionem cap. 3. adducens authoritatem Cyrilli 2. 2. quæſt. 1. artic. vltim. & quæſt. 11. art. 2. ad 3. id aſſerens ex cap. quotiens 24. quæſt. 1. Item opuſcul. 1. contra errores Græcorum cap. 67. vſque ad cap. 69. noſter Corduba lib. 4. de poteſtate Papæ quæſt. 3. §. *reſpondeo. dicens, quod eius definitioni omnes ſub crimine & pœna hæreſis, vel perfidiæ ab omnibus ſit ſtandum.* Valentia loco allegato, Bellarm. de Rom. Pontif. lib. 4. Albertus Pighius lib. 4. Hierarchiæ Eccleſiaſticæ cap. 8. & multi alij. Verùm vt extra omnem controuerſiam res fiat, adiecimus in præſenti negotio cum definitionibus, & declarationibus Pontificum concurrere Concilia; & Eccleſiæ acceptationem, quibus

nemo

nemo repugnare inter orthodoxos poteſt; ne in longum autem abeamus in eo, quod aliàs fuſiùs occurret, argumentum ſatis ex dictis fultum relinquo; neque enim cauillis aliorum hîc inſiſto, quos inferiùs certa ratione confutabo, ſat eſt leuiter attigiſſe paupertatem Minorum certis Pontificum, & Conciliorum declarationibus, definitionibúſque approbatam eſſe, vt ſanctam, & ab Eccleſia ſic acceptatam, ac proinde aduerſarij dictum contrariam tenere illis doctrinam. Si verò ex profeſſo differentem audire lector cupiat, ſequentem annum adire non pigebit, vt ſæpius admonui, ne quæ incidenter extorta potius quàm dicta ſunt, quæſtionis integrum exhauſiſſe tractatum putet, aut difficultatem.

Secundò hæ propoſitiones ſunt hæreticæ; *Nullo iure obligamur ieiunare Quadrageſimam, nulla eſt obligatio confitendi ſemel in anno.* (Loquor ſemper de hæreſi in ſenſu iam explicato provt excludit pertinaciam) & hoc ideo, quia ex iis ſequitur, non eſſe obediendum ſuperioribus, aut Eccleſiæ, vel hanc non habere poteſtatem præcipiendi: ita ſenſit noſter Corduba §. 7. ſed in eodem gradu ſequitur ad aſſertionem Bzouij non eſſe ſoluendum votum ſolemne,& approbatum, atque profeſſoribus talis ſtatus ab Eccleſia præſcriptum, quod æquè aduerſatur fidei & Scripturæ ſacræ. Pſalm. 94. *Redde altiſſimo vota tua*, &c. & 55. *Reddam tibi vota mea*, &c. & Pſalm. 24. *Vouete & reddite Domino Deo veſtro*, &c. & multa ſimilia Numer. 30. Deuter. 23. Eccleſ. 5.

Subſumptum patet, quia nihil in communi habendo iure proprietatis, & dominij, ſoluunt Minoritæ ſuum votum monaſticum paupertatis; hoc diabolicum eſſe, vel à diabolo perſuaſum ac proinde illicitum, aſtruit Bzouius, & loquitur de Franciſcanis profeſſis, vt intuenti apparet; ergo, pro intelligentia rationis, ne quis proteruius obſtet, aduertendum, non eſſe neceſſarium, vt propoſitio aliqua repugnans ſcripturæ, aut fidei cenſeatur, vt contrariè opponatur eidem, ſeu contradictoriè, atque ſub eodem verborum ſeruato tenore, eius in Scripturâ Sacrâ aut fide definita contraria, ſeu contradictoria inueniatur; ſed ſufficere, vt indirectè, ſecundariò, ſeu per neceſſariam conſequentiam, aliquam fidei propoſitionem deſtruat. Hinc Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 11. artic. 2. in corpore, declarans, quæ falſa opinio contrariatur fidei, ait id dupliciter contingere, ſicut ad ipſam fidem dupliciter aliquid ſpectare poteſt: *Uno modo*, inquit, *directè, & principaliter, ſicut articuli fidei: alio modo indirectè, & ſecundario: ſicut ea ex quibus ſequitur corruptio alicuius articuli & circa vtraque poteſt eſſe hæreſis eo modo, quo & fides.* Gregorius Nazianzenus lib. 5. de Theologia. *Quæ colliguntur ex Scripturis Sacris*, inquit, *perinde habenda ſunt, ac ſi in illis ſcripta eſſent*, &c. Ad hoc igitur, vt aliqua propoſitio dicatur in Sacra Scriptura reuelata, ſufficit etiam, vt mediatè & tanquam in ſuo antecedente ſeu implicitè contineatur; nam huiuſmodi ſunt ferè omnes Pontificum, & Conciliorum definitiones in quæſt. fidei & morum, quæ quidem ex ſcriptura deducuntur neceſſariâ conſequentiâ, & dicuntur

Quid requiratur ad propoſitionem, repugnātē fidei?

S. Thomas.

Nazianz.

Corduba. reuelata mediata, de qua re videri poſſunt Cordubenſis quæſt. 17. §. 1. Caſtro. dub. 2. Caſtro lib. 1. de iuſta hæret. punit. cap. 4. & alij.

Sed in prædictis ſacræ ſcripturæ propoſitionibus expreſſis, *Vouete & reddite Domino Deo*, &c. tanquam in ſuo antecedente includitur hæc; votum monaſticum quodcumque validum, & ab Eccleſia confirmatum tanquam meritorium, & ſanctum, eſt licitum, perſoluendum, atque reddendum Deo; huius verò oppoſitum ſuâ aſſertione Bzouius verè, & propriè docet; ergo verè & propriè eius aſſertio eſt contra fidem ex oppoſitione, quæ ſufficit ad conſtituendam propoſitionem hæreticam ex ſenſu Doctorum; hæreticam dico in foro Theologorum conſueta vocabuli notione; non verò criminali, & pœnali ſecundùm vſum Iuriſtarum, qui adiunctam errori in fide pertinaciam in iudicium ſuum vocant, quam nos admittimus velut ex parte ſubiecti conditionem requiri, vt quis hæreticus dicatur, & puniatur. Hæc de errore illius aſſertionis dicta ſunto, pertinaciam authoris futuræ emendationis probandam experimento relinquimus.

BZOV. *Si Franciſcanæ regulæ profeſſores, ex ea peſſima, quam de Chriſti & Apoſtolorum paupertate conceperant hæreſi, ſe dominio omnium rerum abdicaſſent*, &c.

Peſſimam conceperunt Franciſcanæ regulæ profeſſores hæreſim de Chriſti & Apoſtolorum paupertate! manifeſtè blaſphemat, ſeipſo ſemper deterior; qui determinationem Nicolai Papæ à ſucceſſoribus confirmatam, & velut certam à Theologis receptam audet vocare peſſimam hæreſim, non aduertens in expreſſis ſcripturæ teſtimoniis fundatam eſſe. Hæc eiuſdem cum præcedenti aſſertione inſaniæ eſt: paupertatem námque in communi, quam ante præmiſit à Diabolo omnis doli artifice perſuaſam, hic intendit eſſe peſſimam illam hæreſim, vt quam ante aliquoties vocauit hæreſim Fratricellorum; quia igitur ex teſtimonio Hilarij, *de intelligentia hæreſis, non de ſcriptura, orta eſt, & ſenſus non ſermo fit crimen*, &c. dicta propoſitio ex mente & ſenſu authoris penſanda eſt magis, quàm ex verborum tenore. Ita nempè olim Hieronymus epiſtola ad Damaſum fatetur Arrianis exigentibus ſenſum vocabuli, *trium hypoſtaſeon*, ſe admiſiſſe, non ipſam dictionem, ſub qua illi alium prætendebant ſenſum: *Non ſufficit ſenſus*, inquit, *ipſum nomen efflagitant* (ſupple, trium hypoſtaſeon) *quia neſcio quid veneni in ſyllabis latet, & quia vocabula non edicimus, hæretici indicamur*, &c. nempe ab Arrianis. Hi autem vocabulum ipſum, ſub quo erroneum prætendebant ſenſum diuerſitatis eſſentiæ non verò proprietatis dumtaxat quærebant. Hinc Eccleſia multas damnauit dictiones velut cauendas, ad fraudes dumtaxat, & propoſitum reſpiciens hoſtium, iis fallaciter abutentium, & à primæua in corruptam ſignificationem torquentium, non verò ad ipſum vocabuli ex prima inſtitutione verum, & incorruptum intellectum, ac proinde olim ablegatâ illâ,

8. de Trin. Hilarius.

Cenſura dictæ aſſertionis, ſpectata aduerſarij intentione.

Hieron.

Chriſtus

Chriſtus eſt creatura, eſt homios ſeu ſimilis Patri, virgo eſt Chriſtotocos, quæ licèt ſanam caperent interpretationem; hæretici prauam ſupponebant; ita etiam in libris Lutheranorum, & Caluiniſtarum multæ leguntur propoſitiones circa ſacramentorum cauſalitatem, & virtutem fidei, quæ ſine offenſione in viro Catholico, & minimè ſuſpecto tranſirent, in illis autem ſuæ radicis venenum trahunt, propoſitique mali prauitatem. Ideo Theologi conſulunt in propoſitionibus aliquam ſapientibus hæreſim, ſubtili indagatione rimandum eſſe authoris propoſitum, quem videlicet ſenſum prætendit; Ne miretur igitur aduerſarius, ſi nos eorum præſcriptum ſequentes, intentionis ſuæ nobis longa inuectiua iam expertis, atque propoſiti, non tantum verborum rationem habeamus, cùm id ipſum ab Eccleſia, & Patribus obſeruatum commodè videamus; neque enim hinc Catonem quempiam induimus aut Zoylum; ſi quæ aduerſa pagina, & alibi ſæpius obiicit vigilantius diluamus, non tantùm verba ſed mentem etiam ſpectantes.

Perſpecta ſatis authoris aduerſus paupertatem Franciſcanorum altercatio, rancor, impatientia; eam proinde, quam olim Franciſcus Pater noſter dominam, & matronam vocabat, diuitias, peculium, & theſaurum amabat, Bzouius adeo inſectatur, vt hæreſim & errores Fraticellorum perſuaſam à Sathana omnis doli artifice, & tandem hæreſim peſſimam, quam fratres Minores conceperant, appellaret; ne quem in Chriſto & Apoſtolis eius, aſylum vindicare poſſet, &quam in ſe non vult, in aliis odit; ex propriis nempè viribus reliquos coniicit, & quam ipſe non fert ſarcinam, cæteris impar onus cenſet. Rectè ſanè Poëta.

Noctua Phœbeum viſu non ſuſtinet orbem,
Hoc etiam Iouis armigero putat eſſe negatum.

Nunquam poſt Franciſcum defuerunt paupertatis huius in ſacro Minorum Ordine profeſſores, non defuturos defenſores ſentiet aduerſarius. Ego omnium minimus, & peccator pro religionis meæ, & magis pro zelo domus Dei viui (quæ eſt columna & fundamentum veritatis, teſte Apoſtolo, & hanc paupertatem meritoriam, & ſanctam approbauit, definiuit, confirmauit, fouit ſpeciali, & materna cura) quod incæpi proſequar. Si quo modo tantis eius meritis, debitóque meo valeam ſatisfacere; & licèt totum negocij pondus in ſequentem annum referendum ſit, non omittam tamen hîc, quæ ſine ratione opponuntur, diluere.

In primis igitur aſſero propoſitionem intellectam de paupertate in communi, quam in clauſula præcedenti refert perſuaſam ab omnis doli artifice ſathana, iiſdem notis ſubiacere, quibus ſubiacet alia iam præmiſſa. Ad hæc adiicio damnatam in Concilio Conſtantienſi inter articulos Wiclefi artic. 23. qui talis eſt; *Religioſi viuentes in religionibus priuatis non ſunt de religione Chriſtiana.* Item 43. *Omnes de Ordine mendicantium ſunt heretici*, &c. Hæ damnatæ ſunt, quia hoſce viuendi ſtatus, & ab Eccleſia approbatos reprobant velut hæreticos, & pernicioſos, quaſi Eccleſia huiuſmodi confirmando, hæreſim ſua authoritate firmaret, atque doceret, ac proinde in fide deficeret: Sed hoc idem aſ- Damnata eſt Conſtantiæ.

ſerit

ſerit dicta propoſitio reipſa, de religione Franciſcana approbata ab Eccleſia, dicens illam, quam profitetur, & obſeruat paupertatem in communi non regulæ, & ſtatus modò approbatione: ſed etiam propriâ & peculiari confirmatam, eſſe peſſimam hæreſim; Ergo ſequitur eam non eſſe de religione Chriſtiana, atque profeſſores eius hæreticos eſſe, quæ propoſitiones in dicta Witclefi tanquam particularis in ſuis vniuerſalibus includuntur; Illa námque religio, quæ hæreſim in ſuo ſtatu continet, vouet & profitetur, aliíſque profitendam proponit, antequam in ſuam eos admittat congregationem, ſimpliciter non eſt de religione Chriſtiana, eiúſque profeſſores ſunt hæretici, quæ vniuerſaliter de omnibus aſſerit Witclefus. Tantúmque per hoc generale dictum Eccleſiæ authoritati derogat, quantum ſi de vna ſola religione ab ea approbata diceretur, tam vnum enim, quàm aliud ſimili efficacia ſponſionem Chriſti atque Spiritus Sancti adimeret aſſiſtentiam, & ſupremam directionem.

Caſtro. De prima dictarum propoſitionum hæc eſt cenſura Alphonſi à Caſtro de iuſt. hæret. punit. cap. 3. in fine, quo loco demonſtrat plures malas qualitates eidem aſſertioni contingere poſſe: *Poteſt ſiquidem,* inquit, *eadem aſſertio multis ex his quas modò explicauimus notis, maculari. Nam hæc propoſitio quæ vna eſt ex peſtiferis Ioannis Witclefi aſſertionibus. Religioſi viuentes in religionibus priuatis non ſunt de religione Chriſtiana, eſt hæretica, ſcandaloſa, temeraria, ſchiſmatica, & iniurioſa. Hæretica eſt, quia contra Eccleſiæ definitionem ſentit. Scandaloſa, quia homines ab ingreſſu religionum auertit, & profeſſis, vt vota, quæ domino vouerunt, non reddant, ſuadet. Temeraria dicetur, quia nulla prorſus ratione, aut authoritate fulcitur: ſed omnium Sanctorum virorum turba contradicit. Schiſmatica ideo meritò cenſenda eſt, quia Eccleſiæ vnitatem diuidit cùm religioſos ab illa ſeparat. Quod autem omnibus religionibus & illarum religioſis ſit iniurioſa, adeo eſt apertum, vt nullus meritò dubitare poſſit.* Hæc ille. Quæ facili negotio cauſæ noſtræ accommodabit lector, ex iis quæ ſupra circa præcedentem clauſulam diſputata ſunt, hactenus de illa aſſertione ex mente aduerſarij intellecta, & ſecundùm antecedentia, & conſequentia.

Cenſura eiuſdem ex rigore verborum. Si verò in ipſis præciſè ſiſtendum ſit eius verbis (quoniam pœnalia ad proprietatem ſignificationis ſtrictámque interpreationem arctanda ſunt (vt docet Simancas in Catholicis inſtitutionibus tit.25.26.31.40.) atque intelligamus eum dumtaxat loqui de ea opinione, quam de Chriſti, & Apoſtolorum paupertate conceperunt Minoritæ, ex declaratione, & determinatione Nicolai Papæ, qui aſſerit paupertatem illam in communi Chriſtum, & Apoſtolos obſeruaſſe; Sic, inquam, intelligendo eius aſſertionem, conuincitur blaſphemare aduerſus Pontificem, & Eccleſiam quaſi hæreſim peſſimam ille doceret, vel hæc acceptaret: quadraginta námque quinque vel circiter annis dicta decretalis, in qua iſta declarauit, & docuit Nicolaus, inoffenſo pede cucurrit, atque à Bonifacio VIII. inſerta in corpore iuris, atque approbata tanquam vera, & Pontificia authoritate edita, lecta paſſim deinceps per Scholas, & Academias

demias publicas, ac tandem à Concilio Viennenſi confirmata fuit Clement. *Exiui de Paradiſo*, &c. Addo vt breuitatis cauſa cæteras omittam notas, etiam in eo ſenſu propoſitionem hæreticam eſſe duabus de cauſis.

Prima eſt manifeſta: hæc propoſitio námque, quod Eccleſia, & Concilium generale vt caput inuoluunt, pluréſque ſimul Pontifices aliquam approbauerint & acceptarint doctrinam, quæ continet peſſimam hæreſim, eſt manifeſta hæreſis: dogma nempe fidei eſt Pontificem ſimul cum Eccleſia non poſſe docere aut confirmare aliquid, quod hæreſim peſſimam continet, nec acceptare: aliàs re ipſa approbaret illam quam cauere & damnare tenetur, & ſic erraret in fide Pontifex aliquid cum Eccleſia ſimul determinans, ipſaque Eccleſia ſeduceretur contra duas fidei veritates, quarum vna eſt, quòd Eccleſia provt inuoluit caput, non poſſit ſeduci. Altera, quòd Pontifex ſimul cum Eccleſia aliquid determinans nequeat falſa & erratica docere; quidquid igitur ſic docet, confirmat, & approbat ſequendum; docet, confirmat, & approbat tanquam nihil ſaltim continens perniciosum; quod nequit dici de quauis doctrina continente peſſimam hæreſim. Quod ſit hæretica,

Sed ad aſſertionem Bzouij manifeſtè ſequitur, quòd Pontifex ſimul cum Eccleſia aliquid docuerit, & approbarit quod peſſimam hæreſim contineat, & quod Eccleſia illud acceptauerit. *Conceperunt enim fratres Minores* (ſecundùm illum) *peſſimam hæreſim de Chriſti, & Apoſtolorum paupertate*; & loquitur de Capituli Perusini hac in re determinatione, quæ ſequenti anno contigit: ſed nihil conceperunt illi fratres, niſi quod antea docuit Nicolaus Papa in cap. *Exiit qui ſeminat*. ſeruatis etiam ipſius Pontificis verbis. Sequitur igitur ipſam decretalem, illam peſſimam hæreſim continere doctam à Pontifice: Decretalis verò approbata eſt, vt ante dixi, à Bonifacio VIII. (vt patet ex proœmio libri ſexti ab eodem præſcripto) & tanquam authoritate Pontificiâ ex cathedra, vt aiunt, edita, ab eodem eſt recepta, tranſmiſſa etiam cum mandato ad ſtudia generalia, vt eam hoc nomine, & reuerentiâ cum reliquis acceptarent, & lectionibus publicis docerent; confirmata item à Clemente V. in Concilio Viennenſi, quæ omnia approbationem eius factam à Pontifice ſimul cum Eccleſia, & acceptationem manifeſta ratione declarant. Concilium enim illud Generale authoritate Pontificis congregatum ſimul cum ipſo Pontifice, qui tum præſens fuit, & totam Eccleſiam ſecundùm caput & membra repræſentauit. Quod igitur in eo Pontificis authoritate ipſo concurrente Concilio approbatum, & receptum eſt, plenum confirmationis & acceptationis robur, ab Eccleſia cenſeri debet accepiſſe. Ex quibus ſequitur plures Pontifices, & ſpecialiter Clementem in pleno etiam Concilio Generali, & coniunctâ Eccleſiâ peſſimam hæreſim approbaſſe, & acceptaſſe, ſi vera ſunt, quæ differit aduerſarius.

Poſſemus item ex alio capite eandem Eccleſiæ approbationem, & acceptationem colligere: nullum enim dubium eſt, quin decretalis ab authore Nicolao III. edita, & à Bonifacio VIII. fuerit approbata, quo-

rum in hoc permultos annos ſtudia generalia, Doctores ac etiam Prælati omnes (de quibus præſumendum non eſt hanc conſtitutionem inter ſacros Canones inſertam ignoraſſe) authoritatem ſequuti ſunt, nemóque ſaltim per id tempus eidem ſe oppoſuerit, vel oppoſuiſſe legitur; ſed in Prælatis & Doctoribus Eccleſiæ ſtat præcipuè conſenſus, cùm hos velut magiſtros, illos tanquam paſtores ſequatur; ad hos doctrinam veram exponere, ad illos iudicium de veritate ſpectat: in vtriſque ergo decretalem acceptauit, quæ hæreſim illam peſſimam continet, quam authore Bzouio conceperunt Franciſcani: Imò & conſenſum Eccleſiæ ſufficienter interpretamur ex eo, quòd nunquam rei aliàs in ſcholis tritæ, & notæ, ſe quiſquam Prælatorum oppoſuit, quorum intereſt ſe murum aduerſus impietatem, & errorem pro domo Dei opponere, nec diſſimulanter in gregis periculo agere. Rectè námque Innocentius I. (& habentur verba 83. d. cap. error.) *Error enim cui non reſiſtitur, approbatur, & veritas cùm minimè defenſatur opprimitur. Negligere quippe cùm poſſis perturbare peruerſos, nihil aliud eſt, quam fouere; nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obuiare*, &c.

Concludo igitur diſcurſum in forma ſcholæ ſic: Quidquid conceperunt Franciſcanæ regulæ profeſſores de Chriſti, & Apoſtolorum paupertate, hoc idem concepit decretalis Nicolai confirmata ab aliis Pontificibus, Concilio Generali, & acceptata ab Eccleſia: ſed fratres Minores ſecundùm aduerſarium conceperunt de dicta paupertate peſſimam hæreſim; ergo manifeſtè ſequitur quod eandem peſſimam hæreſim concepit decretalis à Pontificibus & Concilio Generali approbata, & ab Eccleſia acceptata: maior eſt certa, minor eſt aduerſarij, concluſio neceſſaria & in Darij, ſed hæretica, non loquor in ſenſu eorum qui ad hæreticam propoſitionem proferentis immeritò requirunt pertinaciam, cùm ex materialibus ipſius inueſtiganda ſit potius qualitas, & oppoſitio ad fidem vt communiter Doctores contra Canum, cuius ſententiam alibi tenet Caietan. ſcilicet 2.2. quæſt. 11. art. 1. verùm 1. part. quæſt. 32. art. 4. oppoſitum docere videtur, cuius verba ſunt; *Aduerte*, inquit, *quod ad rationem hæreſis in ſe ſufficit, quòd ſit error in his quæ ſunt fidei, ſed ad rationem hæretici formaliter requiritur vltra hæc pertinacia*, &c. quæ eſt ſententia D. Thomæ ibidem & alibi ſæpius. Turrecr. lib. 4. de Eccleſ. p. 2. cap. 3. Hadrian. in 4. p. quæſt. de conf. Caſtro lib. 1. de iuſt. hæretic. punit. cap. 1. Couarr. lib. 3. cap. 1. Simancas titul. 44. 54. & alij communiter: in horum igitur omnium & in vero ſenſu concluſio eſt hæretica. Vt quinque viis, quibus hæreſim dignoſcimus facile probari poteſt, opponitur enim primò ſacræ Scripturæ plurimis locis. Secundò, Eccleſiæ. Tertiò, definitionibus Conciliorum Generalium. Quartò, Pontificum & Sedis Apoſtolicæ. Quintò, communi Patrum & Doctorum ſententiæ, qui ſtabilitatem Eccleſiæ in fide fuſiſſimè aſtruunt, vt videre licet paſſim apud authores, qui de hoc argumento agunt. Talis autem concluſio hæretica ſequitur ad Bzouij aſſertionem in bona conſequentia: ergo ipſa hæretica eſt: nam hæretica

Caiet.

Multis viis præmiſſa aſſertio eſt hæretica.

propoſitio

propoſitio eſt, quæ vel immediatè opponitur alicui de fide, vel ad quam talis oppoſita neceſſitate conſequentiæ ſequitur, vt ſupra præmiſimus, ac proinde fidei mediatè opponi dicitur, eiuſdémque cum propoſitione primi generis qualitatis notatur.

Secundam rationem deſumemus ex Sancto Auguſtino, aduertendum tamen prius, nos haudquaquam præſenti negocio intendere authoritatem dictæ Nicolai Pontificis declarationis de paupertate Chriſti inueſtigare, aut probare quod veræ definitionis robur omnibus ritè penſatis ſortiatur (de quo fuſius infra) ad præſens enim nihil attinet: ſupponimus tamen pro nunc eam eſſe Pontificis declaratam & communem Doctorum ſententiam (vt ſequenti anno adſtruemus) ac proinde oppoſitam, ſi intra probabilis opinionis metas eam nunc permittamus, hoc ſolo gradu ſatis, ſupérque contentam nihil amplius mereti, his aduerſus effugia præmiſſis ad Auguſtinum pergamus.

Is in Enchyridio ad Laurentium cap. 17. explicans quid ſit errare, & quid error, ita habet; *Sed diligentius conſiderata veritate cùm nihil ſit aliud errare, quam verum putare, quod falſum eſt, falsúmque quod verum eſt: & certum habere pro incerto, incertúmve pro certo; ſiue falſum, ſiue ſit verum*, &c. Errat itaque ex doctrina Auguſtini non ſolùm is, qui verum pro falſo, vel contra, ſed etiam qui incertum pro certo habet; ergo etiam in fide cenſendus eſt errare, qui incertum & dubitabile, pro certa, & indubitata fidei definita veritate habet; eíque tanquam veræ tali aſſentitur, & adhæret. Confirmatur hæc doctrina primò; quia talis reipſa inſimulat Eccleſiam errare in iis, quæ ſunt fidei; nam contendit, & tenet illud eſſe de fide quod Eccleſia pro incerto habet & ſub opinione relinquit diſceptandum, & credendum; ſicut igitur formidoloſa incertitudo, & vacillans dubietas opinionis cum fidei firmitate non conſiſtunt, aut infallibili veritate cui ſubeſſe nequit falſum; ita reuera is cenſendus eſt errare in fide, qui veritatem aliquam eius certam, tantùm ducit opinatiuè credendam; ergo qui ſentit hoc vel illud, quod Eccleſia pro incerto ducit, eſſe de fide, ſentit etiam illam in fide errare, ſaltim implicitè: quin imò & ſimpliciter explicitè, modò eidem conſtet de Eccleſiæ hac in re iudicio. Nam eam ob cauſam dãnati ſunt Bohemi, non quia aliquid contra fidei veritates, communicando ſub vtraque ſpecie tentarunt; ſed quia Eccleſiam ſub vna tantùm ſpecie communicantem laicos erroris inſimularint, & conſuetudinem hanc rationabiliter introductam reprobauerint, quod erroneum in eis fuit. *Quapropter* (inquit Concil. Conſtant. in eius erroris damnatione ſeſſ. 13.) *dicere, quod hanc conſuetudinem, aut legem obſeruare, ſit ſacrilegum, aut illicitum, cenſeri debet erroneum; & pertinaciter aſſerentes oppoſitum præmiſſorum, tanquam hæretici arcendi ſunt & grauiter puniendi*, &c. Concil. Conſtant.

Simili etiam modo Græci lapſi ſunt, quòd Eccleſiam Romanam damnarent ex illa additione facta ad ſymbolum, dictionis *filióque*, quæ proceſſionem Spiritus Sancti à filio demonſtraret; non quod ipſi in initio de veritate malè ſentirent, dum Spiritum ex Patre per Filium

eſſe confiterentur : ſed quòd Eccleſiæ Romanæ amputarint ex erroneo ſenſu hæreſim.

Sed & manifeſtum præmiſſæ veritatis exemplum ſuggerit nobis extrauagans Sixti IV. quæ incipit ; *Graue nimis*, &c. atque ob ſimilem caſum edita : damnat enim reprobantes pro hæreſi receptam opinionem de immaculata conceptione. Cauſam ergo damnationi ipſiique conſtitutioni dedit, quod quidam auſi fuerint opinionem de immaculata conceptione damnare hæreſis, & aſſertores eius hæreticos eſſe, poſtquam Eccleſiæ inſtituto publicè, & ſolemniter feſto, ordinatóque officio eandem fuerit amplexa. Hoc patet ex §. *Sanè cum Romana Eccleſia*, &c. ſed præſtat damnationem ipſam Pontificis verbis adiicere ; ita ille.

Nos igitur huiuſmodi temerariis auſibus, ac peruerſis aſſertionibus, ac ſcandaloſis, & quæ ex inde in Dei Eccleſia exoriri poſſunt (quantum nobis ex alto conceditur) obuiare volentes, motu proprio, &c. *huiuſmodi aſſertiones Prædicatorum eorundem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præſumerent, eos qui crederent, aut tenerent eandem Dei genitricem ab originalis peccati macula ſua conceptione præſeruatam fuiſſe, propterea alicuius hæreſis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare, aut huiuſmodi officium conceptionis celebrantes, ſeu huiuſmodi ſermones audientes, alicuius peccati reatum incurrere, vtpote falſas, & erroneas à veritate penitus alienas, editóſque ſuper hoc libros prædictos id continentes, quoad hoc authoritate Apoſtolicâ tenore præſentium reprobamus, & damnamus*, &c. Damnat ergo Pontifex prædictas aſſertiones tanquam falſas, erroneas (ſupple,in fide) & à veritate penitus alienas, & hoc ideo,quia eam opinionem, quam amplexata eſt Eccleſia, damnarunt hæreſis, & peccati, tanquam propriam de fide ſtatuentes, licèt incertam, ac proinde ſecundùm Auguſtinum incertum pro certo habentes : multa alia huius rei exempla occurrunt, quibus ſuperſedeo.

Secundò confirmatur idem ; quia is, qui propriam opinionem licèt reipſa incertam, tenet pro fide diuina, eiúſque oppoſitam pro hæreſi, infallibilem diuini teſtimonij authoritatem, tribuit homini, vel ratiocinationi humanæ (contra illud, omnis homo mendax) tanquam ei falſum ſubeſſe non poſſit, Eccleſiámque fidei magiſterio, & doctrinâ priuat (cuius ſolius eſt eas determinare veritates, & proponere, quæ de fide ſunt credendæ) quod planè hæreticum eſt; quinimò omnis hæreſis radix eſt proprium iudicium, quod ſectariis in ruinæ initium ſemper fuit,cùm legem dimittentes matris ſuæ (contra conſilium Sapientis Prouerb.6.) priuatum ſequerentur ſpiritum, & intelligentiam, de quibus Hieronymus illud Ezechielis exponit ; *Væ Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident* ; *Cùm Prophetarum nomen*, inquit Hieronym. *ſecundum regulam ſcripturarum, bonis, maliſque commune ſit, in eo differunt : quòd boni Prophetæ dicuntur eſſe ſapientes, mali autem ſtulti, & inſipientes, quorum alterum refertur ad Eccleſiaſticos viros : alterum ad omnes hæreticos, qui Dei ſpiritum relinquentes, ſequuntur ſpiritum ſuum, quia nequaquam diuino inſtinctu, ſed proprio corde vaticinantur*;

Cap. 13.

nantur; *vnde & nihil vident*, &c. hæc Hieronymus. Probatur modò antecedens quod ex verbis Hieronymi patet: *Dei ſpiritum relinquentes*, inquit, *ſequuntur ſpiritum ſuum, quia nequaquam diuino inſtinctu: ſed proprio corde vaticinantur*, &c. Spiritus Dei & Eccleſiæ idem eſt: vnde qui incertum pro certo in fide ſtatuit, ex proprio corde, non diuino inſtinctu vaticinatur, totam authoritatem, quam Dei & Eccleſiæ ſpiritui debet, in proprium refundens, dum ſuum particularem illorum ſpiritui præfert.

Ratio eſt manifeſta; quæcumque namque aſſertio noſtra eſt infallibilis, certæ, & indubiæ veritatis in re obſcura ex ſe, & non euidente nec fidem habente in atteſtante, neceſſariò innititur authoritati diuinæ reuelanti, & Eccleſiæ proponentis, quæ dumtaxat errare nequeunt, in iiſque ſolis tota noſtræ fidei conſiſtit reipſa firmitas: igitur quicumque ſtatuit illud, quod Eccleſia pro incerto habet credendum fide diuina, authoritatem diuini, & Eccleſiaſtici teſtimonij tranfert in ſuum qualecumque motiuum ſic credendi, quod non poteſt eſſe diuina reuelatio aut Eccleſiæ propoſitio, cùm hæc tantum ſub opinione aſſertum ponat. Dices eum habere, & in ſuo captu prætendere reuelationem diuinam: verùm hoc nihil omnino iuuat, quia ſic omnes hæretici prætendunt, nihilominus hæreſim docent; atque vt rectè Hilarius, *de intelligentia, hereſis, non de ſcriptura, orta eſt*, &c. Sic prætendebant Bohemi, ſic etiam prætendebant illi, qui apud Sixtum IV. pro hæreſi damnabant opinionem de immaculata conceptione, quarum iudicat Pontifex aſſertiones erroneas. Sicut enim ſcripturarum, & reuelationis diuinæ intelligentia ab Eccleſia ſola, fideique magiſtra eſt petenda: ita, qui aliquid contra Eccleſiæ ſenſum, tanquam à Deo reuelatum; & fide diuina credendum definit, verè Eccleſiæ authoritatem, cuius hoc munus eſt, ſibi peruerſa vſurpatione præſumit; ac proinde in fide eſt erroneus. Et hinc eſt quod Sixtus IV. in eadem decretali §. *Item motu proprio*, &c. dum eandem etiam cenſuram & pœnam extenderet ad eos, qui alteram opinionem aſſerentem Virginem conceptam in peccato originali, damnarent hæreſis, aut peccati, ſubiicit rationem: *Cùm nondùm*, inquit, *ſit à Romana Eccleſia & Apoſtolica Sede deciſum*. Significans erroneum eſſe in fide, aliquid damnare hæreſis, quod non eſt deciſum à Sede Apoſtolica, ſed ſub opinione ſtatutum, & creditum, rectè igitur Auguſtinus errare dicit eum, qui incertum pro certo habet. Confirmatur; æqualiter fidei veritatem impugnat, negare aliquid eſſe de fide, quod de fide eſt; ac affirmare id eſſe de fide, quod ex ſenſu Eccleſiæ non eſt de fide; ſed qui primum aſtrueret, committeret hæreſim: ergo idem eſt iudicium de eo, qui aſſereret ſecundum. Minor eſt certa, maior probatur: quia opponuntur fidei ſecundùm exceſſum, & defectum; nam prior arctat intra ſuum obiectum fidem, alter ad extraneum extendit, atque re ipſa planè incertum, cui ſubeſſe poſſit, aut reipſa ſubſit falſum, hoc fidei tribuere eſt hæreticum: ergo aſſerere id, quod incertum eſt, ac proinde fallibile, eſſe de fide certum, eſt hæreſis, cum ſuum iudicium circa idem expoſuerit antè Eccleſia, ad claſſem opinionis ipſum

Hæretici ſcripturæ authoritatem prætendunt.

Confir.

reiiciens. Et hanc quidem opinionem ſequitur noſter Caſtro de iuſt. hæret. punit. lib. 1. cap. 8. dub. 4. quam approbat Gabriel Vaſq. 3. part. tom. 2. diſp. 117. cap. 14. in fine.

Ad propoſitum tandem,quæ dicta ſunt,accommodantes,Bzouius aſſerit eſſe hæreſim peſſimam,eam quam multi Pontifices, & communiter Doctores tuentur ſententiam, & quæ iudicio Eccleſiæ ad minimum probabilioris opinionis gradum obtinet , ergo verè errat in fide ex ſententia , & cenſura Sixti IV. Item ſi prædicta eſt hæreſis iudicio Bzouij, ſequitur eum partem oppoſitam pro fide amplecti , & incertum pro certo in fide ſtatuere, quod hæreſim etiam importat , vt ex ſupradictis conſtat.Hæc de aſſertionibus prædictis cenſura ſufficiat, quam cuiuſuis benè ſentientis , & æqui etiam Lectoris iudicio ſubiicio. Reuertamur igitur ad reliquam narrationem ſeu verius ratiocinationẽ, & audiamus quàm ſolidè aduersùs dãnatos de hæreſi Frãciſcanos diſcurrat Bzouius.

BZOV. *Si Franciſcanæ regulæ profeſſores ex ea peſſima, quam de Chriſti & Apoſtolorum paupertate conceperant hæreſi, ſeſe dominio omnium rerum abdicaſſent, neque illis licitum foret, aut ſacras confeſſiones excipere, aut verbum Dei ad populum proponere,* &c.

Bzouius nihil quod ad ſtatum ordinis Franciſcani ſpectat,neſcit:omnia ſub oculis eius ſunt, etiam varia, incerta, falſa, oppoſita, ante præſcriptam conſtitutionem,& ſub huius numeri initium refert Franciſcanos dominium omnium rerum abdicaſſe:ſed tum fuerunt ei Fratricelli. Hîc verò hæreticos, peſſimam, vtpote de Chriſti & Apoſtolorum paupertate,hæreſim concipientes introducit,vno ante tempus anno,ſed retento tandem dominio, in hoc ſibi ſuóque conſulentes commodo; aliàs enim,eo authore, nec confeſſiones audire poſſent, nec prædicare, nec defunctos intra clauſtra & Eccleſias ſepelire , nec quidquam in conſolationem ſpiritualem fidelium conferre:neque vllam ex charitate opem expectare, (*quis enim*,inquit, *aliquid dederit illi, a quo nullam vtilitatem ſperat*) ſi dominium rerum omnium abdicaſſent. Hæc autem omnia faciunt illi, ergo dominium rerum omnium non abdicarunt : ô benè, ô doctè.

Sed bonâ veniâ tanti doctoris permittamus etiam Eccleſiæ,quod ſtatuit;demus Franciſcanos ex præſcripto regulæ,& prout declarant Pontifices ad omniũ rerum abdicationem obligari,ſicut ipſi profitentur,cedamus praxi, & conſuetudini ordinis, quia rigidè id ipſum obſeruat, vt nihil poſſideatur in religione : nónne valde durũ eſſet eos ideò à confeſſionibus audiendis arcere, pulpito interdicere,omnis ſpiritualis conferendi ſubſidij,ſiue per exemplum,ſiue per exhortationẽ,ſiue per ſacrificium,ſiue per alia non pauci meriti opera,quæ viuis & defunctis proſunt,inopes reddere,Eccleſias & clauſtra eorum tam crudeli interdicto ſupponere, vt nec ipſos Fratres piè defunctos in iis liceret ſepelire: Quaſi verò nulla licita ſit abſolutio peccatorum, niſi collata ab eo qui dominium obtinet rerum.? Verbum Dei contra ſcripturam allegatum

tenet rerum temporalium proprietas & mamona iniquitatis, vt pauperi, & expropriato committi nequeat eius prædicatio? opera eius ſunt mortua, cuius non numeratur peculium, aut domi non vigeat ſupellex? ſacramenta licitè non miniſtret, niſi ex proprio diues, vel proprietate Dominus? longè ergò defecit hactenus Eccleſia: quæ valori ſacramentorum, bonorumque operum, atque adeo ſaluti animarũ tam neceſſarias vel contempſit, vel non explicuit, aut propoſuit ſuâ doctrinâ conditiones. Sed ſi neceſſaria ſunt, vt quid miſſis ad prædicandum diſcipulis Chriſtus mandauit: *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: dignus enim eſt operarius cibo ſuo*, &c. Vt quid Pſalmiſta: *Pauper & inops laudabunt te Domine*? Vt quid particularibus religioſis induit ex emiſſo paupertatis voto omnem expropriationem Eccleſia? nunquid ſuum eorũ quiſquam poſſidet, etiam inter eos, quibus permittitur dominium in communi? ſed quis abſoluit pœnitentem; an quæ rerum dominio gaudet cõmunitas, an potius pauper, & omni carens proprietate ſingularis religioſus; quis verbum Dei exponit, (loquor de religioſis) ſacrificium offert, ſacramenta miniſtrat, & cætera ſpiritualis ſubſidij, niſi expropriati, & pauperes, qui omnium rerũ abdicarunt dominium, & in quibus hæc operari dicitur communitas, ſeu familia cui nomen dederunt? opera perſonalia ſunt; ſit communio autem in fructu inter corporis membra, ſiue ergo communitas diues ſit, ſiue pauper, ſiue gaudens dominio, ſiue carens (& idem de perſona) nihil refert (ſi fidei & Eccleſiæ ſenſum & documẽta ſectemur) ad munia eiuſmodi obeunda. Quapropter oppoſita doctrina peſtilentiſſimas continet hæreſes contra veritatem ſacramentorum, valorem bonorum operum, & ſtatum religionis, maximè omniũ paupertatis votum, vt prima facie conuincitur. Vide igitur mi Bzoui, (ſi hæc feriò) in quem te labyrinthum tuus conicit ardor inſectandi paupertatem, & regulam Frãciſcanam? quoſnam laqueos tibi intentauit: ſed hæc omitto, quia noua non ſunt. Theologiam illam, quis non iuſtè miretur, quę miſericordiæ opera ex cõmodo & vtilitate quaſi ex telonio metitur. *Quis enim, inquit, aliquid dederit illi à quo nullam vtilitatem ſperat?* quaſi eleemoſyna cõceptâ retributionis ſpe fiat, ab eóque, cui fit, illius ſit expectanda merces? digna ſanè præmiſſis appẽdix, & Bzouianæ doctrinæ concors ſentẽtia: omnia licet diuerſo currant alueo eiuſdẽ fontis vliginẽ turbulẽtâ natiuitatis ſcaturigine ferunt. Matt. 10. Hebr. 11.

Præter enumerata, alia etiam adiungit paupertatis Franciſcanæ incommoda. *Nihil poſſidere, nihil in craſtinum reſeruare, nec quidquam à quoquam exigere, & hoc titulo ſeipſos omnibus meliores, & perfectiores, & propterea inuiſos facere, iſtud nihil fuerat, quam occaſiones extirpandæ religioni huic & ſubſequenter aliis paulò poſt abrogandis miniſtrare*, &c.

Nihil poſſidere, nihil exigere titulo iuris, nugatoriè inter paupertatis incommoda, cùm ipſa ſit paupertas, enumerantur, aliquid etiam in craſtinum reſeruare vſum, non verò in proprietatem paupertatis non officit, prouidentiam cõmendat, neceſſitati præuiſæ aliquando medetur, ſic ergo in craſtinum ſeruare noxâ caret; ex *hoc* autem *titulo* abdica- Bzo.

tionis

tionis, & paupertatis colligere fratres *ſeipſos omnibus meliores, perfectiores, ac proinde inuiſos facere:* nihil eſt niſi in rupes aſinum præpoſtero ductu protrudere, & viam extra viam quærere: contrarium namque legitimus infert diſcurſus: paupertas enim ſi vera eſt, & ſpiritualis, comitem habet ſubiectionem, magnáque addiſcendæ humilitatis, & perfectionis eſt via, caminum enim curantem & excoquentem eam vocat Gregorius; & Chryſoſtomus ſer. 18. ſuper epiſtolam ad Hebr. *Paupertas eſt manu ductrix quadam in via, quæ ducit ad cœlum, vnctio athletica, exercitatio quadam magna, & admirabilis, portus tranquillus,* &c. Non me præterit, Deo odibilem eſſe pauperem ſuperbum, Eccleſ. 25. nec tales deeſſe, qui huius, vel alterius virtutis prætextu, laudem & auram venentur magis, quàm deſiderent profectum. Scio etiam in Euangelio fatuas deſcribi virgines, quæ oleum in lampadibus ſuis non portarunt, *& cùm de ipſa ſua virginitate* (vt Gregorius) *gloriam foris expetunt, in vaſis ſuis oleum habere noluerunt;* ſponſíque zelum, proſtitutâ humanis fauoribus quaſi virginitate, & primæuæ ſponſionis contemptâ fide, aliis amatoribus placere cupientes, prouocarunt: à nuptiis propterea excluſæ, cum adulteris extra beatitudinis ianuam remanſerunt, noui diuerſam Phariſæi, & publicani ſortem, dum ille de virtute inflatus, turgidus, tumens, per portam non tranſierit anguſtam pœnitentiæ. Hic ex peccato humiliatus, eruditus, exauditus, & iuſtificatus deſcendit in domum ſuam, ſed hæc animi vitia ſunt, non virtutis pericula, hominum errata, & abuſus, qui colligere moliuntur vbi non ſeminarunt, & gloriam ſuam non profectum ex Dei donis metere, tanquam hos natura fructus proferret, non gratia. An ideò contemnenda virginitas, quia in fatuis aureolam amiſit? ieiunium, legíſque obſeruatio mala, quia Phariſaica peruerſitas iter obſtruxit, ne debitâ cum fine copulâ adhærerent? paupertas reproba, quia ſuperbia pauperis damnatur, quæ promiſsâ regni cœlorum hæreditate extorrem proſcribit? Bzouij illa ratiocinatio procul à veritatis cultoribus ſit, reproborum namque profectui eiuſmodi faſcinationem propria ſtatuit nequitia, quæ bonum virtutis ſemen ne fructum agat, ſuffocat, vel ſi quem educit, ante maturitatem vel ipſo etiam flore excoquit, & exiccat. Franciſcus pauper fuit & humillimus, ſe maximum peccatorum reputans: humilitatem ancillæ ſuæ & pauperis reſpexit Deus, & beatam dicunt omnes generationes. *Beatos pauperes ſpiritu*, ait Chriſtus, *quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Sileant igitur detractores, & ſanctæ paupertatis æmuli. *Qui calumniatur egentem, exprobrat factori eius, Prouerb. 14. Qui deſpicit pauperem, probro afficit factorem eius. 20. Non facies violentiam pauperi, quia pauper eſt, &c. quia Dominus iudicabit cauſam eius, & configet eos, qui confixerunt animam eius. 22. Propter miſeriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus, Pſal. 11. Porrò ſaluum faciet egenum à gladio oris eorum, & pauperem de manu violenti. Iob. 5.* Verùm interrogare lubet, vt quid ei, qui perfectus eſſe vult, mandat Chriſtus in Euangelio, vt vadat, & vendat omnia ſua; & det pauperibus habiturus in cœlo theſaurum, ſi tanta paupertatis pernicies, ſi tanta pericula ſint in

Paupertas eſt via addiſcendæ humilitatis.

Hom. 12. in Euang.

in rerum omnium abdicatione? quale etiam hoc barathrum particulari cuiuis religioſo mater Eccleſia ſuffodit, dum talem abdicationem omnimodam præſcribit? cui potius obſequendum? Eccleſiæne, quæ filiorum parturit ſalutem, an Bzouio, qui Witclefi, & Gulielmi de Sancto amore, & antiquorum Vigilantij & aliorum aduerſus paupertatem ex patte reuocatas ab inferis trägœdias reſumit? hoc iudicet lector. Conſtat porrò ab Eccleſia hoc genus paupertatis approbatum fuiſſe Franciſcanis, in quo tot nodos enumerat iſte, quot inuidus in Homerica laurea Zoylus. Sed hominem toties in ordinem redegimus: nihil noui profert, victis denuo iiſdemque armis pugnat, quæ ſæpe excuſſa ſunt, ſibi magis quàm aliis aduerſis. Scire tamen velim, quid abdicatio rerum omnium à Franciſcanis facta (licèt ille contrarium ſupponat huiuſmodi paupertati detrahens, tanquam illorum nequaquam eſſet) aliis religionibus nocere potuit, tanquam iis abrogandis, & extirpandis occaſiones miniſtraret, tantine refert ſaluti reliquarum terrena poſſeſſio, vt eius à ſolis Franciſcanis admiſſa abdicatio omnes euerteret, ipſam Franciſcanam primò, mox reliquas peſſundaret? Quid ais Bzoui? quid hoc encomij in Franciſcanam congeris imprudens? nempe reliquarum eam fulcrum quoddam ſtatuis, cùm ex ipſa per te omnium pendeat ſalus, & interitus. Sed nequaquam in laudem illius hæc ille, verùm inter omnimodæ abdicationis, & paupertatis in communi enumerat conſectanea quædam damna, & pericula. Fallitur tamen, fallitur, non alia fœcundior ſobole mater, ex cuius indiſſolubili coniugio Franciſcus infinitæ multitudinis, multarumque gentium factus eſt pater. Sola eius familia experimento fidem comprobare ſufficit, quàm tuta religionibus paupertas ſit cuſtos, quæ, quod inuidiam moueat, non poſſidet; quod auaritia concupiſcat, extra fores cum ſeculo excludit; quod rapinæ ſubſit, non paritur; quod perſecutoris alliciat oculos, neſcit; ſolâ fide hoſtibus religionis inuiſa; egeſtate diues: ſollicitudine vacua; fori & cauſidicorum expers; ad bella Domini excuſſâ diuitiarum ſarcinâ expedita, & docta; ſolas in confiſcatione animas habens; neminem timens, quia nihil poſſidens: non ſentit illa gabellas, non auctiones, non ſubſidia, non tributa, non penſiones. Hiſce ſæculi indigentiis non grauatur, ad menſam Domini ſui magni Regis ſecura ſedens, & ponens in Domino ſpem ſuam enutritur. Quanto verò diſpendio religiones rerum admiſerint copiam eadem monſtrat experientia: ſemper enim tutæ extiterunt, & in multiplici creuerunt benedictione, quandiu illi, in qua plantatæ ſunt, adhæſerunt paupertati: ſed creſcente facultate, creuit & inuidia. Principum & magnatum cupiditas, quæ florentiſſimis olim cœnobiis exitium, & ruinam attulerunt. Quapropter ſi ipſam politicæ adminiſtrationis rationem ſpectemus, religio Franciſcana non potuit ſolidioribus mediis ſuam procurare apud mundum conſeruationem, quam per neglectum, & abdicationem earum rerum, quibus ſummoperè mundus inhiat, & quæ contentioni, rixis, inuidiæ, ſimultatibus, adulationi, auaritiæ, & ſuperbiæ adminiſtrant plurima, vel omnia penè fomenta. His moleſtiis, quæ ad

Paupertatis ſecuritas.

interitum tendunt,illa caret,eámque rerum omnium abdicatio quietem conceſſit, atque cum mundo iniuit fœdus, pacémque ſempiternam deſponſata olim Franciſco paupertas:verè ſtabilis,verè fortis: non habens vnde iniuriam patiatur:intrepida ad caſus, viciſſitudini non ſubiacens: ſola cum fortuna certare, ſola de fortuna triumphare potens, nihil habens quo careat, nihil recipiens quod poſſideat, cuius denique theſaurus eſt ſola rerum, quæ auferri nequit, carentia. Quis ergo hanc ſtabiliorem non conſtituet, caducâ, fluxâ, periturâ diuitiarum ſubſtantiâ? *Diuitias*, (inquit Iuſtinus epiſtola de vita Chriſti ad Zenam & Serenum fratres poſt medium) *nequaquam laudabimus, & paupertati non conuiciabimur, illæ ſiquidem è materiâ ſolidantur ſelectâ: materia autem finis eſt deſtinatus, corruptio, & vermes, & tineæ, & flamma, & ruina, & prædones, & tyrannus. Hæc verò à præſenti ſegregata ſæculo, id quod verum, certumque eſt tantummodo conſectatur, neque rebus vllis temporalibus diſtrahitur*, &c. Paupertas rebus temporalibus non diſtrahitur: quod verum, certumque eſt tantummodo conſectatur, à præſenti ſegregata ſæculo, vt vult Iuſtinus: nullam igitur extirpandis religionibus occaſionem præbet, neque rebus vllis temporalibus diſtrahitur, &c.

Paupertas Franciſcana.

Iuſtinus.

BZOV. *Namque Ioannes Poliacus non vni Franciſcanæ, ſed omnibus pœnè religioſis opponebat fratres nullâ ratione poſſe confeſſiones audire, & reliqua plura exercere in commodum animarum*, &c.

In ſatisfactionem paratus author Annalium omni poſcenti rationem reddere eius, quam præmiſit doctrinæ, hanc ſubiungit. *Namque Ioannes Poliacus*, &c. *opponebat fratres nullâ ratione poſſe confeſſiones audire, & reliqua plura exercere in commodum animarum*, &c. ergo ſi Franciſcani dominium omnium rerum abdicaſſent, nec licitum iis eſſet confeſſiones audire, aut prædicare, aut piè defunctos intra clauſtra,& Eccleſiam ſepelire, nec conſolationem vllam ſpiritualem exhibere cuiquam, nec quidquam poſſidere, in craſtinum reſeruare, à quoquam exigere: ſeipſos meliores omnibus, & perfectiores facerent, ſuæ & aliarum religionum deſtructioni occaſiones miniſtrarent, qui poteſt capere capiat. Tu lector, ſi potes vim conſequentiæ perpende, & an benè omnia currant; tardiorem me fecit natura: nihil aſſequor in rationibus tam diſſitis, & obſcuris, vbi nullus ordo.

Sed neſcio quis author eſt Poliacum oppoſuiſſe *fratres nullâ ratione poſſe confeſſiones audire, & reliqua plura exercere in commodum animarum*? & quænam illa *plura reliqua*? authores hæc non tradunt; ſed nec extrauagans quæ incipit: *Vas electionis*. lib. 5. extrauag. communium, quam in huius paginæ columna ſecunda tranſcripſit Bzouius, eiuſque modò introductioni adlaborans præludit.Hi tres articuli damnati tantùm ſunt.

Articuli damnati Ioannis Poliaci.

Primus articulus; *quod confeſſi fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confeſſiones, teneantur eadem peccata, quæ confeſſi fuerant, iterum confiteri proprio ſacerdoti.*

Secundus

Secundus articulus; *quod ſtante omnis vtriuſque ſexus, edito in Concilio generali Romanus Pontifex non poteſt facere, quod parochiani non teneantur omnia peccata ſua ſemel in anno proprio ſacerdoti confiteri, quem dicit eſſe parochialem curatum: Imò nec Deus poſſet hoc facere: quia (vt dicebat) implicat contradictionem.*

Tertius articulus; *quod Papa non poteſt dare poteſtatem generalem audiendi confeſſionem, imò nec Deus, quin confeſſus habenti licentiam teneatur eadem confiteri proprio ſacerdoti, quem dicit eſſe* (vt præmittitur) *proprium curatum*, &c.

Ecce hæctantùm damnata ſunt in Poliaco, quæ non aſſerunt fratres nullâ ratione poſſe confeſſiones audire; imò error contigit circa iterationem, non de valore factæ confeſſionis fratribus, aut abſolutionis ab eis conceſſæ: ſed quatenus aſtruebatur obligatio confitendi iterum eadem peccata proprio ſacerdoti. Si autem tam diligens, & fidus interpres, quàm promptus ſcriptor extrauagantis eſſet aduerſarius, nullo deprehenderet negocio illa longè diuerſa eſſe; nam peccata confeſſa, & etiam remiſſa aliquando & ex cauſa iteranda ſunt in confeſſione, vt Doctores tradunt: licèt abſolutio aliàs data, valida fuerit, & licita. Longè igitur abſurdiora imponit Poliaco Bzouius, quàm quæ in eo damnauit Pontifex: illa namque veritatem ſacramenti à fratribus miniſtrati ſimul cum conceſſa ad hoc Pontificis authoritate impugnant directè: hæc verò nouam inducunt, ſed falsò, obligationem, ex qua ad ſummum deduci tantum præmiſſa, ſi tamen deduci poſſunt. Verùm neque his contentus Bzouius appendiculam annectit propriæ inuentionis ignotam decretali, & multò cæteris deteriorem. *Et reliqua*, inquit, *plura exercere in commodum animarum*, &c. ſupple, *opponebat fratres nullâ ratione poſſe.* Impoſtura. Nempe omnia creſcunt ſub huius authoris manu, & accremẽto ſuo turpiora fiunt. Vno verbo dixero, in omnes iniurius eſt; licèt æquiori animo ferenda eſſet illius ægritudo, niſi ad manum præſens remedium expellendo morbo idoneum ex vnicâ adſcriptæ decretalis lectione contempſiſſet: Attamen affectatæ negligentiæ ſeu temeritatis pœnas luit Poliacus, vt in eius damnatione plectantur quauis occaſione Franciſcani. Ita porro ſubnectit aduerſarius.

B Z O V. *Vt hoc modo omnes religioſos, & præſertim Franciſcanos inter ſe primò committeret, & ſchiſmate peſtilentiſſimo ſeparatos a capite, & inter ſe diuiſos, tanquam tumultuatores & nullius frugi homines perque mutua diſſidia ad interitum vergentes proſterneret, & ex area Eccleſiaſtica eradicaret*, &c.

Quid docuerit Poliacus, quid verò in eundem accumulatit Bzouius iam præmiſimus. Sed Deus bone, quid hoc vel illud ad Frãciſcanorum ſpectat diſcordiam; aut aliarũ religionum? *Vt hoc modo*, inquit, *omnes religioſos & præſertim Frãciſcanos inter ſe primò cõmitteret*, &c. Nihil Poliacus ſpecialiter cõtra Franciſcanos: communis religioſorum cauſa agebatur, æqualis iniutia, vna omniũ impugnatio, & derogatio authoritatis eadem, quis eſt, qui in periculo conſtitutus ſociũ, & auxiliatorẽ noluerit? nónne

communis afflictio, & calamitas in fœdus, & ſocietatem trahit etiam aduerſos, dum eadem omnibus incumbit neceſſitas defenſionis, & pari labore, paríque induſtria res communis tutanda periclitatur? malè ergo & abſurdè intenderet Poliacus vel Franciſcanos, vel alias religiones inter ſe committere, ex ea potiſſimum cauſa, quæ eandem omnibus iuris naturalis, & defenſionis, ſuique conſeruandi ſtatus neceſſitatem imponebat communem. Quis porrò ſeipſum deſerat, aut contra propriam vtilitatem indignationem, odium, contentiones exerceat, aut in ſeipſum dexteram armare conetur, quæ ſummæ leuitatis & inſaniæ manifeſta eſſent indicia? non tam facilem ſibi ad expugnandas religiones aditum vnquam expectauit Poliacus, quàm finxit triuialis noſter architectus, qui ridiculam & contra ipſam rei naturam intentionem eidem affinxit, ſuámque pro vera ſubſtituit, vt ſerpentinâ lubricitate, & artibus hoc à ſe crimen propelleret, velut alienæ mentis interpres; & conceptum nihilominus fel, infectúmque ſtomachum in immerentes euomeret Franciſcanos, dum eos deſcribat ex mente, perſona alterius, *Schiſmate peſtilentiſſimo ſeparatos à capite, inter ſe diuiſos, tanquam tumultuatores, & nullius ſugi homines, pérque mutua diſſidia ad interitum vergentes*, & quod peius eſt, *proſternendos, & ex area Eccleſiaſtica eradicandos.* Vbinam talia ille contra Franciſcanos meditatus eſt, ſcripſit, vel dixit? omnia tua ſunt, qui pilum quantumcumque mutaueris, huius, aut illius perſonam indueris, idem ſemper manet animus, eadémque pellis; non obtuſus adeò nobis ſenſus, quin notas & perſpectas habeamus periodulos figuratas. Legimus námque Æſopicum illum lupum aduerſus inſontem agnum criminantem, cumque nullâ litem ratione conuinceret, aut perficeret quod voluit, honeſto colore; ſolitâ rabie aggreſſus eſt quod libuit. Æſopus parabolam, tu rem ipſam exhibes; noſtri ſtatus profeſſam paupertatem tantâ inſaniâ, nullâ ratione impugnans; hæreſim eam, errorem Fratricellorum; perſuaſam à diabolo vociferans; peſſimam hæreſim nos concepiſſe aſſerens de Chriſti, & Apoſtolorum paupertate; noſtram, noſtram eſſe diſſimulans, vt liberius in eam bacchari liceret, tanquam non ſtatum, aut aliquid eius impugnares, ſed peſſimam hæreſim; neque hæc ſufficere potuerunt, niſi tandem ſub alterius vmbra, obductáque laruâ inſultares, hóſque velut furtim ſubtracta, & abſconſa manu lapides in nos torqueres, perſonâ Ioannis Poliaci interpoſitâ, quæ æquè tuis, ac noſtris infenſa fuit; nec hic tamen inſolentiæ tibi finis eſt, alia inſuper adiicis, quibus noſtri ſtatus odium, & horrorem non ſano (vide an Catholico) ſpiritu induceres: hæc enim tu.

Redarguitur frans aduerſarij.

BZOV. *Acceſſit & iſtud, dum fratres Minores non niſi vſum rerum ſibi reſeruarent, & ad Eccleſiam Romanam totum directum dominium ſuarum rerum deferrent: ac propterea in vſurpatores earum, Sedem Apoſtolicam armarent, & ex conſequenti, propterea eandem odio omnium exponerent; eandem quoque pariter, vnà ſecum in præceps traherent*, &c.

Quid

Quid audio? Eccleſiam traherent fratres Minores in præceps vnà ſecum, ſi dominium rerum ſuarum penes Sedem Apoſtolicam eſſet? viam aperi, precor, tam horribilis caſus: quia nempe *in vſurpatores earum Sedem Apoſtolicam armarent.* Et quid tum? *quia ex conſequenti propterea eandem odio omnium exponerent.* Quis tibi dixit omnes homines quotquot ſunt fore vſurpatores rerum conceſſarum Franciſcanis, ſi dominium (tuo ſenſu loquor) ad Eccleſiam ſpectaret? adeóne hi omnibus exoſi? vel ſaltim familiam Dominicanam, & reliquas Monaſticæ profeſſionis ab iniuſtâ vſurpatione cohiberet religio; non igitur odio omnium omnino exponeretur Eccleſia: abſtinuiſſent etiam fundatores, & patroni Monaſteriorum, Prælati Eccleſiarum, parentes, & amici ipſorum fratrum ab huiuſmodi inuaſione tam iniquâ, imo & patrocinium non denegarent afflictis, & anguſtiatis; in hos igitur non armarent Eccleſiam fratres Minores, neque eorum exponeretur odio; ſed quid, ſi Magiſtratus ciuiles, Miniſtri reipubl. & Principes etiam officio non deeſſent ſuo, oppreſſores pauperum legibus, & animaduerſione debitâ continerent, iniuſtos arcerent inuaſores? ſecuriùs profectò expeditionem hanc iniret, ſeque aduerſus rebelles armaret tum Eccleſia, tantis in ſocietatem belli accurrentibus ſubſidiis; tum ergo non verendum erat præcipitium. Sed permittamus Bzouio Eccleſiam odio omnium exponendam; ex defenſione Franciſcanorum; nónne omnibus hiſce difficultatibus expeditam aduerſus quamuis ruinam, & præcipitium, eam ſolidare poſſet vnica Chriſti ſponſio, qui promiſit portas etiam inferi aduerſus eam non præualituras, ſeque in patrocinium & adiutorium futurum cum illa vſque ad conſummationem ſæculi? nunquid potentior mundus quàm infernus? & quæ inferno & dæmonibus fortior eſt, mundo & hominibus victa ſuccumberet? in ruinam traheretur? nónne odio omnium expoſita olim Eccleſia dum hinc gentilitas, illinc Synagoga latera atrociter pulſarent, eiúſque doctrinam illa reputaret ſtultitiam, hæc ſcandalum? perſeuerauit tamen, & potentiam Imperatorum in manu fregit humilium piſcatorum; mirum igitur vt ſoli inuaſores, & vſurpatores rerum conceſſarum Franciſcanis Eccleſiam in præceps traherent, quod nequierunt Imperatores, Reges, & omnes in vniuerſum Tyranni. Nunquid bona Franciſcanorum tanta, tamque pretioſa ſunt, vt omnium oculos in ſe conuerterent, & cupiditatem excitarent, totque haberent inſidias? inter omnes Eccleſiaſtici Ordinis nulla vilior ſupellex, idque ſtatus ipſe, & paupertas requirit; magnum ſcilicet lucrum aſportarent prædones. Demus etiam maiores ſupereſſe diuitias, vtrum hæ tutiores eſſent in fratrum, quàm in ipſius Eccleſiæ dominio? illis nempe parceret, qui hanc contemneret? vel maiori obſeruatione fratrum, quàm Eccleſiæ poſſeſſionibus eſſet deferendum? ſi igitur illa nunc fratribus, quorum ex proprietate ſunt, Bzouio iudice, permittuntur, & pacificâ quidem poſſeſſione; quidni & eadem ſecuritas contingeret, ſi ad Eccleſiam ſpectarent? Deinde ſint etiam, vt vult, Franciſcanorum ex proprietate: nónne pro iis ſimiliter armaretur Eccleſia? quis defendit poſſeſſiones Monachorum? nónne

pro his armatur quotidie Sedes Apoſtolica, licèt in iis dominium non acquirat? pro reliquis item Eccleſiaſticis, imò & pro Regibus & Principibus? Verùm quod caput eſt, nolente Bzouio, dominium præfatum ad Eccleſiam ſpectat, ſine ſuâ graui ſolicitudine, aut diſpendio, id vnum ſyncerè profiteor, ſi illa omnia, quæ percurri, ſobriam mentem ferant, me neſcire, quid ſit rabies aut delirium. Sed miſſa hæc faciamus; neſcio enim quid horrendum retro ſonat; *Nam tuba terrifico ſtrepuit graue rauca fragore.* Præludia, vt video, pugnæ hactenus cecinit, nunc verò apertis tubis clangit, plenâque acie vtramque Dominici & Franciſci ad certamen de paupertate Chriſti familiam reuocat; nos ad ſpectaculum accedamus.

Anno Chriſti 1322. Ioan. Papæ 6. & 7. numero 1. 2. 3. 4.

BZOV. *Hoc tempore ex occaſione decretalis Papæ Nicolai III.* Exiit, *quam pro regulæ Diui Franciſci declaratione ille ediderat, Fratricellorum ſeu Beguardorum plurimi in vulgus ſpargebant Chriſtum ſaluatorem, quamdiu inter homines verſabatur, nihil proprium in communi aut particulari vſu poſſediſſe, ſed omnino pauperrimam vitam, abſque omni peculio egiſſe. Narbonæ id primùm Archiepiſcopus, & frater Ioannes Bennius Ordinis Prædicatorum, contra hæreticos Inquiſitor ab vno ex Beguardis intercepto intellexerunt, & plurimorum Theologorum ac iuris Conſultorum euocato Concilio, ex ſenſu, ac conſenſu communi in eonuictum hæreſis decernere voluerunt. Intererat Concilio frater Beringarius Talomius, Lector in Narbonenſi Cœnobio FF. Minorum, &, patrocinio Beguardi ſuſcepto, aſſeruit dogma illud tantum abeſſe ab hæreſis ſuſpicione, vt etiam inter Catholicæ fidei articulos poſſit, ac debeat numerari: maximè cùm decretalis illa ſolemnis*, Exiit; *aſſeuerare videatur, Chriſtum rerum omnium egentiſſimum vixiſſe. Inquiſitor, vt erat vir doctiſſimus, articulum inter hæreticos reiecit, & fratri Beringario palynodiam indixit. Hic porrò recuſauit, & ad Sedem Apoſtolicam, appellatione interpoſita, Auinionem iuit, Ioannem Summum Pontificem conuenit, ac totius rei ſummam expoſuit.*

Ioannes autem, quâ fuit prudentiâ, ne temerè quidquam in re maximi momenti ſtatueret, in primis fratrem Beringarium honeſtâ in cuſtodiâ retinuit, deinde omnibus Academiis, ac doctiſſimis viris vbique terrarum ad diſceptandum propoſuit, num pertinaciter affirmare Dominum Ieſum Chriſtum, eiúſque Apoſtolos non habuiſſe aliqua in ſpeciali, nec etiam in communi, foret hæreticum cenſendum. Propoſitâ quæſtione, vt tanto liberius ſenſum ſuum omnes exponerent anathema à Nicolao III. in decretali, Exiit, *in interpretes illius ſuſpendit, liberámque omnibus poteſtatem fecit de theſi diſputandi, ſcribendi, mentémque ſuam explicandi. Iſta habet in edicto quod incipit*, Quia nonnunquam. *Datum Auinione 7. Kalend. Aprilis Pontif. anno 6. anno Domini 1322.* Adiecit poſtea ſegmen conſtitutionis,

ſtitutionis, quod dictam ſuſpenſionem exprimit, & continet: & ſequitur numero 3.

Cùm autem fratres Minores, ad dies proximos Pentecoſtes Peruſium Comitio indicto, indidem ex omnibus orbis Chriſtiani Prouinciis confluere deberent; aliqui Cardinalium fratrem Michaëlem Ceſenatem eiuſdem Ordinis Generalem Miniſtrum admonuerunt; vt de tota re vnà cum Patribus ſenſum ſuum exponeret. Expoſuerunt datis litteris in hanc formam.

Vniuerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis Fr. Michaël Ordinis fratrum Minorum Generalis Miniſter, Gulielmus Angliæ, Henricus ſuperioris Alemanniæ, Arnoldus Aquitaniæ Prouinciales Miniſtri in Sacra Theologia Magiſtri, necnon Hugo de Nouo Caſtro, & Gulielmus de Almach Sacræ Theologiæ Doctores, Nicolaus Miniſter Franciæ, ac Gulielmus Broch Baccalaurei in Sacra pagina, & omnes Miniſtri, & Cuſtodes, diſcreti, & Generalium ſtudiorum lectores apud Peruſium congregati in Capitulo generali, ipſúmque totum generale Capitulum Ordinis ſupradicti; ſalutem, & pacem in Domino ſempiternam. Deciſio capituli Peruſini.

Noueritis quòd nos anno Domini 1322. *indictione quinta. pridie Nonas Iunij, auditâ, & intellectâ quæſtione quadam, quæ in Romana Curia præſentialiter agitur, qua quæritur, vtrum aſſerere Chriſtum, & Apoſtolos non habuiſſe aliquid in proprio, nec in communi ſit hæreticum; & requiſiti, quid de illa quæſtione ſentiremus, & in ſcriptis ſub noſtris ſigillis, & ſubſcriptionibus propriis redigere curaremus; viſis, & examinatis dictâ quæſtione cum allegationibus, quæ pro, & contra fiunt, diligentíque, & deliberatione maturâ digeſtis, determinationi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ firmiter, & totaliter inhærentes concorditer, & vnanimiter dicimus, & fatemur, quòd dicere, & aſſerere, quòd Chriſtus viam perfectionis oſtendens, & Apoſtoli eandem perfectionis viam ſequentes, atque per exemplum in alios volentes perfectè viuere deriuantes, nihil iure proprietatis, & dominij ſeu iuris proprij, in ſpeciali, & in communi habuerunt, non eſt hæreticum, ſed ſanum, Catholicum, & fidele; maximè cùm Sancta Romana Eccleſia Catholica, quæ à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam deuiaſſe aut erraſſe probatur (24. quæſt. 1. cap. à recta. & cap. pridem. in fin.) hoc expreſſè dicat, affirmet, & determinet manifeſtè, extra de verb. ſignif. cap. Exiit. in 6. porrò ſic inquiens.*

Dicimus quod abdicatio proprietatis omnium rerum, tam in ſpeciali quàm in communi propter Deum meritoria eſt: quam & Chriſtus viam perfectionis oſtendens verbo docuit, & exemplo firmauit; quámque primi fundatores militantis Eccleſiæ, id eſt, Apoſtoli, prout ab ipſo fonte, id eſt, Chriſto hauſerant, in volentes perfectè viuere per doctrinæ, ac vitæ ipſorum alueos deriuarunt.

Hæc, & alia fratres Minores ex totius Capituli Generalis ſenſu vniuerſis ſcribentes ſubſcriptionibus propriis Generalis Miniſtri, & ſupra nominatorum, necnon & quatuor Prouincialium Miniſtrorum videlicet Thomæ Prouinciæ Bononienſis, Petri Prouinciæ Sancti Franciſci, Ferdinandi Prouinciæ Caſtellæ, & Simonis Prouinciæ Turonenſis ſigillis munierunt,

runt, aliamque ſatis prolixam Epiſtolam ad vniuerſos Chriſti fideles dederunt, in qua rationes ſententiæ ſuæ, multis viribus, & argumentis confirmarunt. Idipſum omnes Magiſtri & Baccalaurei Theologiæ Ordinis eiuſdem Pariſiis, in Anglia, & in toto eo Ordine omnes numero quadraginta vnum aſſeruerunt, & diuulgatis litteris approbauerunt; addentes paupertatem fratrum Minorum, maioris eſſe perfectionis, quam aliorum mendicantium, propter abdicatum dominium, nec ſolum, niſi vſum fratribus Minoribus exemplo Chriſti reſeruatum. Quæ cùm Ioannes Pontifex intellexiſſet edictum de vſu rerum à dominio diſtincto ex formula inferiùs ſubſcripta Auenione promulgauit, Ad conditorem Canonum, &c. *Datum Auenione 6. Idus Decembris Pontif. noſtri anno 7. 1322.*

Promulgatâ ſuperiore conſtitutione à Ioanne Summo Pontifice, frater Bonagratia Bergomenſis Ordinis Minorum à fratre Michaële Ceſenate, & à Capitulo Generali ſui Ordinis Procurator, in controuerſia de paupertate Chriſti, & Apoſtolorum inſtitutus adeo procaciter contra Summum Pontificem proteſtationem, & appellationem prolixâ ſcriptione interpoſuit, vt Ioannes neceſſe habuerit eam Conſtitutionem, Ad conditorem Canonum, *iterum, ſed longè magis amplificatam, & contra cauillos torquentium ſe inſtructam publicare. atque de principali controuerſia in modum ſubſequentem anno ſubſequente decernere. Ioannes Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei; Ad perpetuam rei memoriam: Cum inter nonnullos viros,* &c. *Datum Auenione 2. Idus Nouembris Pontific. noſtri anno 8. anno Domini 1323.*

En tibi, Candide lector, vt Bzouius Bzouium reduxerit, & nobis tacentibus ipſe in ſe conuerſus propria depauerit viſcera; aliquot iam annis lacerauit ille Franciſcanos, non aliud ob crimen, quàm quod malè ſenſerit de Chriſti, & Apoſtolorum paupertate, ſubortâ eâ controuerſiâ, quæ hoc primùm tempore, & anno, initium habuit; & id quidem ipſo teſte, & authore Bzouio. Poſt tantos verò inſultus & caninam in Minoritas exercitam hactenus comicâ licentiâ facundiam, in ipſam tandem incidit hiſtoriam caſúne, an induſtria, non facile iudicauerim; eâ porrò ſecuritate huius anni geſta percurrit, tamquam ſi hucuſque ſine vllâ offenſione ſtadium abſolueret, ad anteriora ſemper extenſus quæ retro ſunt obliuiſcitur; vel ergo memoria vel affectus in culpa eſt,alioquin recidenda erant, quæ ſuperiùs aduerſus Bauarum, aduerſus Ceſænatem, aduerſus Ochamum, & totum denique ſodalitium Franciſcanum concepit huius controuerſiæ occaſione, tanquam ea tum viguerit; ſiue autem memoria, ſiue affectus in cauſa fuit, vitio vertitur, licèt non æquè: illam hiſtorico adimere eſt animantem ſine ſtomacho creare: hunc verò contra veritatem armare in quouis homine crimen, in religioſo nefarium, & velut quoddam ex ſui ſtatus contemptu ſacrilegium apparet, vt qui Deo conſecratus, ipſius efficitur veritatis profeſſione diſcipulus.

Contradictio aduerſarij.

Anno enim ſuperiore producit Ceſænatem patronum Chriſti, & Apoſtolorum paupertatis atque Fratricellorum ſectatorem primicerium inter

inter eos, qui contra Ioannem Papam bellum ſuſcitarunt litterarium, adſtruit ibidem fratres Minores peſſimam hæreſim concepiſſe de Chriſti, & Apoſtolorum paupertate; eradicandæ religionis ſuæ velut ex eadem hæreſi, & Pontificis indignatione ſemina ieciſſe. Verùm hoc anno idem author eſt ſententiam illam de paupertate detectam prius eſſe, & deprehenſam Narbonæ ab Archiepiſcopo, & Inquiſitore Dominicano; de eadem re fratres Minores tum primùm in Capitulo Peruſino ſequenti Pentecoſte congregatos mentem ſuam, & iudicium ad petitionem quorundam Cardinalium expreſſiſſe, in quo Capitulo Ceſænas Generalis præſedit. Hæc igitur ſiue ſunt vera, ita etiam ea quæ præcedenti anno præmiſerat, deſtruunt; veritatem in eo hîc amplectamur, falſitatem ibi reprehendimus; quamquam nec hic omnino concolor ſit: ſed næuos eiuſmodo contemnimus.

Quoniam igitur eò nos deduxit hiſtoria, ſoluenda erit fides lectori, eaque tractanda controuerſia, ad quam nos ſæpius remiſimus; idque in primis curandum ne affectu, & ſolis verbis rem leuiter agamus; ſed lapſo quaſi pede, fixóque veſtigio inſiſtamus veritati, quæ ſit obuiam quærenti te, contemptorem autem præteriens contemnit. Vt ſuis igitur quæque locis diſponantur diuerſis capitibus, abſoluemus concertationem.

CONCERTATIO DE CHRISTI & Apoſtolorum paupertate, in qua defenditur, & approbatur deciſio Capituli Peruſini habita olim à fratribus Franciſcanis anno 1322.

CAPVT I.

Attingitur quæſtio facti, & plura hominum placita & errores circa paupertatem explicantur.

NOn caruit olim ſuis detractoribus paupertas, non caruit etiã vanis, vt ita dicam, adulatoribus: illi cum defectu meriti, hi cum exceſſu; neutri medium virtutis pondus, aut ſuſpenſam æquali librâ ſtaterã collocarunt; varia Philoſophorũ exempla, & dogmata commemorare hac in parte non lubet, ad ipſos legis nouæ profeſſores accedamus, qui variis illecti ſtudiis, varia etiã paupertatis diſtraxerunt præmia, aut detraxerunt merita. Primus omnium, qui bellum ei indixit, videtur fuiſſe ille Diotrephes, de quo ita Ioannes: *Scripſiſſem*, inquit, *forſitan Eccleſiæ: ſed is qui amat primatum gerere in eis Diotrephes, non recipit nos. Propter hoc, ſi venero, commonebo eius opera, quæ facit, verbis malignis garriens in nos: & quaſi non ei iſta ſufficiant; neque ipſe ſuſcipit fratres: & eos qui* Epiſt. 3. Diotrephes primus in paupertatẽ hæreticus.

Cc *ſuſcipiunt,*

ſuſcipiunt, prohibet, & de Eccleſia eiicit. Loquitur autem Ioannes de pauperibus peregrinis, qui propter Chriſtum talem vitam inierunt,
Interlinearis gloſſa. *Alienati à rebus propriis*, vt habet gloſſa interlinearis; *Pro nomine enim eius profecti ſunt*, inquit Apoſtolus, *nihil accipientes à gentilibus, id eſt, contribulibus, vt anxietate famis cogerentur negare fidem*, vt interlinea-
Lyran. ris docet, & cōcordat Lyranus, Hugo, Thomas Anglicus, Carthuſianus.
Hugo. Eos autem ſuſcipiendos monet Apoſtolus tanquam cooperatores veri-
Thomas Angl. tatis, ſcilicet prædicandæ fidei; profecti enim ſunt à patria ſponte pro
Carthuſ. nomine Chriſti ampliando, & pro nomine eius patiendo, vt gloſſa aſſe-
Gloſſa. rit; non recipiebat igitur Diotrephes egenos, & pauperes, nec aliis recipere permittebat, imò & eos, qui ſubueniebant extra Eccleſiam, & communionem faciebat. Qualis autem fuerit de paupertate eius opinio, licèt incertum ſit, nulliſque id expreſsè tradant, ex facto peruerſam fuiſſe interpretamur, cum vocat Beda, Lyranus, & alij hæreſiarcham, iis tantùm innixi Ioannis verbis, quæ perſecutionem eius in pauperes, ambitionem, & inobedientiam perſtringunt: hæreſim verò contra paupertatem docuiſſe interpretatur D. Thomas opuſcul. 19. cap. 7. Ipſius quoad inhoſpitalitatem, & duritiem in pauperes rectè conſtituemus
Euſtathiani hæret. Euſtathianos, ſeu, vt vult Baronius, Eutactianos ſectatores, aduerſus quos extat canon Concilij Gangrenſis vndecimus. *Si quis deſpicit eos, qui fideliter agapas, id eſt, conuiuia pauperibus exhibent, & propter honorem Dei conuocant fratres, & noluerit communicare huiuſmodi vocationibus paruì pendens quod agitur, anathema ſit.* Habetur d. 42. cap. *Si quis deſpicit.* Adiiciunt Patres alia item verba, quæ huic rei facient in clauſula Canonum. *Et bona opera, quæ ſupra vires in fratres pauperes exercentur ſecundum Eccleſiaſticas traditiones beatificamus*, &c. Verùm vt ex aliis eiuſdem Concilij Canonibus apparet, non in vituperium
Eorum error. paupertatis agapas hi reprobabant, (vt qui in Apoſtolicorum potius hæreſim inciderint) ſed quæſtui, & proprio illecti lucro, vt ſibi ſolis oblata vindicarent. Vide Canon. 6. 7. 8. quibus id haud obſcurè inſinuatur:
Vigilantius hæret. Lege epiſtolam Patrum Canonibus præfixam. Vigilantius tamen hæreticus, natione Gallus, officio Preſbyter Eccleſiæ Barchinonenſis, conſilium Euangelicum de paupertate ſectanda impugnauit, de quo ita
Gēnadius. Gennadius in Catalogo. *Vigilantius non ſolum Iouinianum contentus fuit imitari conſilium de virginitate euacuans, ſed ſuperaddere auſus eſt, vt etiam conſilium de paupertate ſeruandâ deſtrueret.* Contra hunc ſcripſit Diuus Hieronymus, is haudquaquam negabat ſuccurrendum eſſe pauperibus: ſed perfectius eſſe aſtruebat ſua retinere, & ex eorum fru-
Maſſiliani. ctu pauperes alere, quàm omnibus renunciare. Maſſiliani nullis extra ſuam congregationem ſuccurrendum eſſe pauperibus contendebant
Damaſc. teſte Damaſceno, quos ait inhumanitatem in mendicos inducere; orti ſunt ſub Valentiniano, & Valente Imperatoribus, erant polynomij; eorum originem neſcit Damaſcenus, & Epiphanius; plures eius hære-
Theodor. ſis præpoſitos adſcribit Theodor. lib. 4. hæreticarum fabularum ſub nomine Enthuſiaſtatum, quem ſequutus eſt Prateolus lib. 11. hi verò id ſolùm commenti ſunt, quia ſe ſolos veros pauperes ſpiritu prædicabant.

Sed

Sed vehementer dæmonis ira contra paupertatem ſuccreuit dum mendicantium religioſorum ſocietas tanto Eccleſiæ, & animatum bono emicuit, & ablegatum tantæ virtutis cultum voluntariâ rerum abdicatione inſtaurarit; res fuit magnæ virtutis, magnæ inuidiæ, maximi meriti, maximæ æmulationis, dum liuor, & ſanctitas, patientia, & perſecutio, contemptus rerum, & auaritiæ, vana ſuperbâque concupiſcentia, & humilis paupertas, æquali animorum ardore, non pari tamen gloriâ decertarent; ipſumque ſe victum, contemptum, proſtratum, conculcatum ab humili, peregrinâ, ignotâ, & deſpectâ viragine mundus non tam indignaretur, quàm horreret. Non defuerunt tamen antiqui hoſtis inſidiæ, qui ſatellites ex primæui fœderis tabulis armauit Gulielmum de Sancto Amore, & Deſiderium Longobardum (quibus acceſſit præſidiarius quidam Gyraldus de Villa Abbatis) eóſque in amici Regis ſubſidium deſtinauit; incurrunt illi ferociter in paupertatem, voce, & ſcripto eam impugnantes: occurrunt Sanctus Bonauentura, & Thomas ad prælia docti, qui primi inſultus feliciter aleam ſubeuntes, reliquum certaminis decus confecerunt; extat inter opuſcula Angelici Doctoris decimumnonum, quod huic controuerſiæ ſcripſit; extant & duo Sancti Bonauenturæ, alterum de paupertate Chriſti contra Gulielmum inſcribitur, alterum verò contra eius defenſorem Gyraldum de Abbatis Villa Doctorem Pariſienſem, cui nomen dedit, Apologiæ pauperum. Gulielmus, vt habet Prateolus circa annum 1250. ſub Alexandro IV. Pontifice erexit cornua: ſed hæc non cohærent; nam Alexander electus eſt anno 1254. 25. Decembris, Innocentium voluit; res contigit anno 1251. damnatus eſt Gulielmus anno 1255. vt conſtat ex conſtitutionibus contra eum latis, quibus iſte annus inditur; tres fuiſſe refert noſter Marianus lib. 2. cap. 22. quarum vna incipit; *Non ſine cordis amaritudine*, &c. alia, *Romanus Pontifex*, &c. tertia, *Quidam Scripturæ Sacræ intelligentiam*, &c. ſecundam harum tranſcripſit Cherubinus tomo 1. Bullarij inter huius Pontificis decretales, dataque eſt 3. Nonas Octobris, eiuſdem libelli continet damnationem; Tertiam continet ſpeculum Minorum tract. 1. inter litteras Alexandri, data eſt 12. Kalend. Nouembris eiuſdem anni, eſtque velut exequutoria ſententiæ, directa Archiepiſcopis Turonenſi, Rothomagenſi, & Epiſcopo Pariſienſi, hanc adſcripſit frater Manuel Roderiquez in Bullario; primam conſtitutionem, quæ quidem tertia in Ordine fuit, habet Bzouius tom. 13. ad annum 1257. num. 4. & data eſt 3. Pontif. anno Kalend. Aprilis Lateran. duæ priores Anagniæ. Secundùm verò hanc vltimam conſtitutionem Sanctus Ludouicus Rex conuocatâ Doctorum Vniuerſitate libellum ipſum (cuius titulus erat, *Tractatus breuis de periculis nouiſſimorum temporum*) comburi fecit publicè, & authori toto regno interdixit. Ita Marianus, præter hæc, magiſterij priuatum titulo aliiſque pœnis mulctatum ferunt; mendicitatem ille in religioſis reprobabat, omnéſque ex ordine mendicantium citra vllum diſcrimen ad laborem & damnabat manuum, dictitans aliter viuere illicitum eſſe, & damnabile; hominem item dumtaxat obligari ad paupertatem habitualem, qua paratus eſſe

Hæreſiarchæ.

Vide Vincentium & Cantipratanum, & alios.

quiuis debet omnia propter Chriſtum relinquere, dum neceſſum erit: alioquin verò res ſuas abdicare haudquaquam licere. Eadem Deſiderius Longobardus, adiiciens non licere inſtituere, aut ingredi aliquem Ordinem niſi haberet bona & poſſeſſiones ſaltim in communi, vel tal s ſit ingrediens, qui victum labore proprio ſibi comparare & velit & poſſit. De hoc ita D. Thomas in opuſcul. cap. 6. agens de eodem errore; *Hic autem error*, &c. *Adhuc permanet*, inquit, *ſicut patet in quodam tractatu cuiuſdam Deſiderij hæreſiarchæ Lombardi, noſtri temporis, quem edidit contra Catholicam veritatem, in quo inter cætera condemnat ſtatum eorum, qui relictis omnibus egere volunt cum Chriſto*, &c. Ex verbis autem ſequentibus videtur Deſiderius in paupertatem inſurrexiſſe prior; ita enim Diuus Thomas ſubiicit; *Nuper, quod eſt horribilius, antiquus error renouatus eſt*, &c. Videlicet per Gulielmum à S. Amore; maximos tumultus hic excitauit in vtrumque Ordinem in Gallia: fingebat enim ſe defenſionem, & partes Cleri egiſſe, quem hac arte ſibi conciliauit, & in aduerſarios excitauit.

Geraldus de Abbatis Villa.

Aliquot poſtea annis damnati Gulielmi patrocinium aſſumpſit Geraldus de Abbatis Villa forte ſub Clemente, Vrbano IV. Sancto Bonauentura, tum fungente officio generalis Miniſtri. Ita author vitæ eiuſdem Sancti. Scripſit autem Geraldus libellum (cuius initium eſt; *Tantum ſibi præſumpſionis aſſumpſerunt quidam homines*, &c. in defenſionem falſæ doctrinæ atque authoris, cuius errores perſtringens Sanctus ita habet cap. 1. Primum quidem quia in defenſionem eius libri erronei, qui ſic incipit: *Ecce videntes clamabunt foris* (ita incipiebat ille tractatus Gulielmi) *paucis reuolutis temporibus per Sedem Apoſtolicam reprobati non abſque nota rebellionis eſt editus*, &c. Contra hunc ſcripſit Sanctus Apologiam non contra Gulielmum, vt quidam malè ſenſerunt, tres autem libros emiſit dictus Geraldus in ſuo opere, lib. 1. fugam perſecutionis, & mortis tanquam actum maximè competentem viris perfectis, & ſanctis magnis præconiis extollebat; ieiunium è contra, & abſtinentiam tanquam ſpiritualium medicamenta morborum maximè aſtruebat competere imperfectis. In 2. libro ſtatum diuitum laudabilem, & ſecurum, econtra ſtatum nihil habentium conabatur oſtendere periculoſum, & imperfectum. In 3. autem ſtatum mendicantium religioſorum totis viribus impugnauit: ita de eo aſſerit ſanctus cap. 1. Verùm licèt tacito nomine hominum iudicium ſubterfugere eſt conatus, incidit in manus omniuidentis, & ſcientis iudicis, qui oppreſſorem pauperum, & veritatis diuinâ vltione compeſcuit; immiſſa namque in eum ſubitanea paralyſi, & lepra maximis ærumnis vitam contemptibilis finiuit, infelix contemptor paupertatis. Sed eius nequaquam docti exemplo, quidam ſub Innocentio VI. Pontifice Maximo circa annum 1350. emortuum dogma aduerſus paupertatem iterum reſuſcitarunt, inter quos famoſior eſt Richardus Armachanus Archiepiſcopus, vir quidem doctiſſimus, vt ex eius opere aduerſus Armenos conſtat: ſed ordinibus mendicantibus atrociter aduerſus, maximè omnium Franciſcanis, adeo vt in eos eruditionem potiſſimum exercuiſſe tradat Prateolus

Armachanus.

ſeculus ex Volaterrano. Memoriam eum reuocaſſe damnati Gulielmi tradit Thomas Waldenſis lib. 4. paréroque cum ipſo & Witclefo opinione facit, idem ante ipſum notauit Fr. Gulielmus Iordanus Anglus Dominicanus contra poſitiones Witclefi: vnde Thomas loco citato cap. 1. ſuppoſitâ diuiſione paupertatis circa finem ita habet: *Habeat ergo*, inquit, *vnaquæque ſententia vires ſuas, & ſenſum quem indidit Spiritus ſanctus, non Spiritus Vviclefi, non Amorei Spiritus, vel Spiritus Armachani.* Scripſit Richardus in defenſionem parochorum, & contra mendicantes, in quibus opinione & ſcopo Amoreus dici poſit. Sed grauior illius in doctrina lapſus, vt qui iura ſacerdotū plus æquo extollens, non tam in religioſos iniurius, quàm in reliquos hæreſiarchas plura docuerit contra veritatem, ſacramentorum quorundam, vt quod ſacerdos ſimplex confeſſionem ſine approbatione audire, confirmationem conferre, Epiſcopum conſecrare poſſit, item alias quaſdam exercere functiones Epiſcopales, & conſecrationes, quam pluribus in locis confutat Waldenſis ex propoſito: hoc enim ex eodem deſumpſit Witclefus, de eo ita cenſet Bellarminus de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. *Hic author*, inquit, *cautè valde legendus eſt, præſertim libro* 10. *contra Armenos cap.* 4. *& cap.* 23. *&* 24. *& lib.* 11. *cap.* 4. *& ſerm.* 1. *&* 4. *in quibus locis multos errores habet de poteſtate preſbyterorum, de paupertate Chriſti, & de ſtatu religioſorum mendicantium*, &c. Nec aliena ab his communis Doctorum ſententia, quorum cenſuram æquè grauem, ac ſeueram quoad prædicta ille author hactenus eſt expertus: adeo vt aliqui etiam non verentur eum inter hæreticorum turbam adnumerare, vt Lutzemburgus, Prateolus, Paulus Gryſaldus Peruſinus, poſterior hic fidem Lutzemburgi ſecutus. Verùm iniuſtè hæreticis adſcribitur is, qui nunquam ab Eccleſia diſceſſit, licèt næuos quoſdam humano lapſu contraxit, ſine pertinacia, & cum debita ad Eccleſiam ſubmiſſione, quemque intellectus abundantia verius, quàm affectus aut voluntatis maculauit peruerſitas: nam & ipſos Sanctos Patres, vt Cyprianum, & alios ſtudium veritatis inquirendæ, & tutandæ patronos aliquando fecit erroris: nemo tamen ſanæ mentis ad hæreticorum rediget claſſem, quos ſancta veneratur, & colit Eccleſia. Imò nec Criticus hic rigor ſanctis etiam parcit, nam & Gryſaldus in ſua hiſtoria compendioſa deciſionibus fidei præfixâ ſub titulo hæreticorum collocat (niſi fortè error ſit typographi (quem delendum ſubnotare habet) Paulum Diaconum, Caſſiodorum, Rabanum, S. Methodium, Oecumenium, S. Antiochum, Iſidorum Hiſpalenſem, S. Gregorium Turonenſem, S. Eligium, Bedam: quod planè ne dicam impium, ſed inſanum videtur, ſi ex aduertentia, & ſtudio factum ſit. Eodem modo apud Guidonem Carmelitam, Lutzemburgum, Prateolum, & alios, qui hiſtoriam de hæreſibus magis quàm impugnationem meditati ſunt, reperies multos orthodoxos iniuſtè traduci, & ad damnatorum ergaſtula detrudi, quos inter ſcolaſtica diſciplinarum certamina velut domeſticos, eiuſdemque profeſſionis, & fidei Doctores quotidie celebramus, multas item friuolas propoſitiones pro hæreſi ad legentium non tam riſum quàm Guido Car. Prateolus Lutzemb.

Ce 3 nauſeam

nauſeam ſubſtitui, multaſque accuſari perſonas, non præmiſſo hiſtoriæ vllo examine: verùm ex quadam populari non tam fama quàm tenui rumuſculo factum aſtruunt potius, quàm ſolidâ indagatione rimant: licèt grauiſſima res ſit hominem ſub hæreſis infami velo, toti adumbrare, & exponere vniuerſo. Laborant proinde ex hiſtoria, cuius nullam penè inquiſitionem præmittũt. De Guidone Carmelita & fratre Bernardo à Lutzemburgo, qui vult legat iudicium noſtri Alphonſi à Caſtro præfatione ad lib. 1. aduerſus hæreſes, & cap. 9. grauior eſt eius querela de hoc, quod viros meliori notâ dignos catalogo hæreticorum inſeruerit, titulum nempe præfixit, antequam opus meditaretur; ſicut plerique authores, in quibus frons diſcordat à corpore, & quod ſemel ſtatutum eſt, fixum retinere potius eligunt, quàm integrâ proportione, requiſitam totius, & partium adaptare cohærentiam, iuſtumque adhibere delineamentum: ita nempe inter hæreticos deſcribunt viros orthodoxos, & quos ſuâ etiam opinione inſontes volunt in limine præfixo infami titulo damnant, non ſine famæ diſpendio eorum, quorum ſors tulit huiuſmodi, illuſiones dixero, non debitas cenſuras pari; admirabilium alioquin, potiorique, & ingenij, & laboris & induſtriæ commendatione digniſſimorum, atque de poſteritate benè meritorum; non pari paſſu currunt hæreſis & hæreticus, nec quícumque hæreſes, ſeu in fide erronea docet, is ideo eſt hæreticus, ſi ratio non voluntas in culpa fuit: communis enim Doctorum fert ſententia, errorem comite duntaxat pertinaciâ hæreticum conſtituere.

Docuit Armachanus opiniones in fide erroneas, putans ſe nihil ab Eccleſiæ fideique ſententia diſcrepaſſe; eáque docuit, ac defendit voluntate, quæ detecto errore, impugnatorem eum ſtatueret priſtinæ opinionis; ideóque ab hæretici nota, & opprobrio quàm longiſſimè diſtat. Illuſtriſſimus proinde Bellarminus æquiori lance vſus, eum inter Eccleſiæ Doctores ſtatuit, tam in opere de ſcriptoribus, quàm in ſuffixa breui Chronologia, idemque Poſſeuinus & alij collectores ſcriptorum ſacrorum, vt Trithemius, Eyſingrenius, &c. fecerunt.

Vt ad propoſitum igitur redeamus, is natus in oppido Dundalci parentibus aduenis, vt ferunt, ex inferiori Vltonia ea parte, quæ vulgo Ruta dicitur, ita ſtudio, & pietate profecit, vt viri doctiſſimi, & Sancti nomen obtinuerit. Oxoniæ ad magiſterij gradum aſcendit, mox eiuſdem Vniuerſitatis factus Cancellarius, deinde Archidiaconus Lichefeldenſis, deinde Archiepiſcopus Armachanus. Verùm poſtea ſui ſtatus zelo (non ſecundùm ſcientiam) religioſorum mendicantium obſiſtere primò exemptionibus, & priuilegiis cœpit, & mox procedente altercatione, & feruore contentionis ſtatum ipſum impugnare, parochorum contra iura fulcire, cui rei ſcripſit defenſionem eorum aduerſus mendicantes. Sed totum prælij in nos pondus conuertiſſe viſus eſt, tum quia opportuniores fuimus iniuriæ, importuniores defenſioni: tum etiam quia potiſſimum cum noſtris res fuit, quos frequentiores in ſua habuit diœceſi, & Prouincia, viciniores periculo fuit Conuentus Armachanus, & Conuentus Pontanenſis in diœcœſi Armachana, tentauit

Harpsfeldius Sæc. Annales Hiber.

uit ille Pontani, vi fratres impugnare, quandam etiam Conuentus fabricam vt pauimentum (ni fallor Eccleſiæ) politiore ſtratum lapide, in ſuum transferre palarium; verùm ſuperueniens prætor, ex familia Dominorum Batheorum, eum cohibuit, non tam authoritate, quàm potentiâ, Guardianus autem Armachanus eundem Archiepiſcopum interpoſitâ appellatione citauit Auinionem, vbi tum Curia fuit, & comparere tam Regis quàm Pontificis mandato debuit. Hæc eidem aduerſus Franciſcanos potiſſima fuit cauſa, vt in eos ſpeciali impugnatione ſtylum acueret. Tranſmittens igitur in Angliam, aliquos ſermones in eos declamauit Londini, paupertatem & mendicitatem impugnauit, aſſerens turpe eſſe Chriſtianis ſuâ ſponte mendicare, neque ad perfectionem pertinere: perueniens autem ad Curiam anno Domini 1356. tractatum aduerſus mendicantes exhibuit, cuius initium eſt: *Nolite iudicare ſecundùm faciem*, &c. cui reſpondit frater Rogerus Chonnoe: reſponſionis initium eſt, *Confeſſionem & decorem induit*, & doctè ſanè & eruditè defenſionem mendicantium ſcripſit. Fuit ordinis noſtri Prouincialis Angliæ, extat vterque tractatus ſimul cum quæſtionibus aduerſus Armenos, & ſermonibus contra mendicantes: prodierunt hæc omnia in lucem Pariſiis anno 1511. ex officina Ioannis Parui, & opera Ioannis Sudoris Theologi, de quibus ita Poſſeuinus in apparatu cenſet. *At cùm Richardus hic, quem Armachanum vocant, cautè legendus ſit, tum præcipuè Rogerus de Chonnoe Ordinis Minorum perpendendus eſt, qui defenſionem mendicantum aduerſus eundem Armachanum doctè, & accuratè conſcripſit*, &c. Mortuus eſt Armachanus anno 1359. ſicut & eius Antagoniſta Fr. Rogerus anno ſequenti 1360. ille in Hannonia, cuius tranſlatum eſt funus in Hiberniam operâ Stephani Epiſcopi Medenſis, & in oppido Dundalci, vnde oriundus erat, collocatum, dignus profectò, qui vtiliori ſtudio in fine ætatis animum applicaret. Thomas Walſingamus in Eduuardum III. ad annum 1318. iniquè nimis, & vt ſolet, aduerſus mendicantes narrationem deflexit quaſi iis pecuniis Prælatos Curiæ ſubuerterint, potioreſque muneribus contra Armachanum quàm iuſtitia & cauſa euaſerint, non veritus ſimoniæ infamiâ ſanctam ſedem & Pontificem aſpergere, vt comminiſci daretur, quod in religioſis pauperibus damnaret: alibi etiam huiuſmodi nugas in Franciſcanos ſub Clemente V. inuenit, quarum ille ſolus eſt author, neque cum narratione Clementinæ, *exiui de paradiſo*, aut hiſtoricis cohærent, nempe ditiſſimus monachus ſpontaneæ mendicitati religioſorum velut meliora ex Apoſtoli conſilio æmulatus chariſmata, non inhiat: ſed diuitias in ſumma fingit paupertate, & quaſi ſibi ſubtractos dolet theſauros, quæ ſeruorum Dei ſubleuandis indigentiis vix ſufficiat collatâ piâ ſubuentione eleemoſyna.

Chron. Hiberniæ.

Thomæ Walſingami acerbitas.

Errorem Armachani circa paupertatem plenâ, infectâque fauce Witclefus hæreſiarcha exuxit, eiuſque diſcipulus Ioannes Hus, & Bohemi, vt patet ex articulis in Concilio Conſtanrienſi damnatis articulo 19. 20. 23. 33. quamuis longè amplius proceſſerint hi contra mendicitatem, & paupertatem religioſorum, ipſum ſtatum reprobantes vitæ monaſticæ.

Witclefus & nouatores.

monaſticæ. Floruit Witclef anno 1352. vt vult Prateolus: ſed Walſingamus aſſerit cũ circa annũ 1377. cepiſſe dogmatiſare. Waldẽſis 1380. adſcribit. Ad hanc claſſem Lutherus, Caluinus, Melanchthon, Petrus Martyr, Brentius, & æternæ vltimæ ætatis peſtes redigi poſſunt, qui in eandem damnationem, & hæreſim conuenerunt, vt videre licet apud Bellarm. de monach. lib. 2. cap. 8. hi ſunt qui voluntariam paupertatem & rerum omnium renunciationem propter Chriſtum factam tanquam inutilem aut damnoſam deteſtantur. Alij è contra paupertatem magnoperè ex diametro extollunt, & quidem ita, vt neceſſariam ſentiant ad ſalutem.

Secundæ claſſis hæreſis circa paupertatem. Prateolus. Damaſcen. Cathari. Nouatiani.

Primi huius claſſis cenſentur antiqui hæretici, dicti Apoſtolici, de quibus Epiphanius hæreſ. 61. Auguſtinus hæreſ. 40. Damaſcenus de hæret. Item Prateolus verbo Apoſtolici, dicebantur etiam Aporactici, id eſt, ſecreti, degebant in Piſidia, teſte Damaſceno: quo tempore viguerint, incertum, eos fuiſſe circa 199. coniicit Prateolus, negabant hi ſupereſſe aliquam ſalutis ſpem iis, qui propriis non renunciant, aut iis rebus vtebantur, quibus ipſi carebant, eundem errorem tribuit ſanctus Thomas Catharis ſeu Nouatianis opuſ. 19. cap. 6. hi autem viguerunt an. 256. Euſtathiani eandem de paupertate opinionem conceperant, vt patet ex epiſtola Patrum præfixâ canonibus Concilij Gangrenſis, quod aduerſus eoſdem hæreticos fuit coactum: nam inter cætera dogmata, quæ Euſtathio, & ſequacibus imponunt, eſt hoc: *Diuites fideles, qui non omnibus renunciant quæ poſſident, ſpem apud Deum non habere,* &c. celebratum eſt hoc Concilium præſente Oſio Epiſcopo Cordubenſi, dum in Oriente legatum ageret Syluestri Papæ, atque adeo circa annum 361. ante vel poſt Nicænum: tunc ergo viguiſſe Euſtathianos oportet; & authorem præceſſiſſe, quem putat Baronius fuiſſe Eutactum illum, de quo Epiphanius hæreſi 40. verùm multos errores ibidem Epiphanius inurit Eutacto, de quibus nulla eſt mentio in Concilio, alioquin non prætereundos, vt quod non reſurgat caro, ſed ſola anima, myſteriorum participationem & baptiſma abhorrebant, figmenta aſtruebant, de quibuſdam cœlorum poteſtatibus, quarum cibus eſſet anima, &c. Deinde Epiphanius Eutactum emerſiſſe refert circa obitum Conſtantij Imperatoris, & longè ante habitum eſt Concilium, ſuperſtite adhuc Conſtantino patre, contra Euſtathianos, ac proinde antiquiores eſſe conſtat.

Euſthatiani.

Baronius. Epiphan.

Iulianus. Apoſtata.

Hunc eundem errorem ſimulauit Iulianus apoſtata, & ex præſcripto Euangelij Chriſtianos viuere debere interpretans, legem ſanxit ne inuaſoribus bonorum reſiſterent, vel ſe vllâ ratione defenderent. Ita Nazianzenus oratione 1. in Iulianum.

Pelagiani. Pauperes de Lugduno. Fratricelli.

Eiuſdem hæreſis patroni facti ſunt Pelagiani, teſte Auguſtino, & Hilario epiſtola 89. quin, & hunc errorem in Pelagio damnauit Concilium Dioſpolitanum articulo 6. vide etiam Aug. lib. 2. de peccato originali cap. 11. & epiſtola 106. illos exceperunt Waldenſes ſeu pauperes de Lugduno à Waldone ciue Lugdunenſi originem trahentes circa annum Domini 1160. Item Fratricelli authore Hermanno

Italo,

Italo, incertum quo anno inter Conciliũ Lateranenſe habitum ſub Innocentio III. & Lugdunenſe ſub Gregorio X. de his ſatis in ſuperioribus dictum, his adiungit Prateolus Turilupinos, qui omnes Fratricellorum ſeu Beguardorum hæreſes docebant; extiterunt circa annum 1372.

Tertia ſententia fuit antiquorum hæreticorum, qui dicebantur Vadiani ſeu Anthropomorphytæ, ad Eccleſiaſticos hunc paupertatis rigorem reducens, eſtque velut à priori exectus ramus. Negabant illi Epiſcopos diuitias, aut poſſeſſiones habere poſſe, & quia diuites viderunt ſeceſſerunt ab Eccleſia. Vide Aug. hær. 50. Hunc eundem errorem excitauit Marſilius Patauinus ſub Ioanne XXII. circa annum Domini 1322. vt docet Aluarus Pelagius lib. 1. de planctu cap. 68. Prateolus verbo Marſilius lib. 11. Caſtro, verbo Eccleſia, hæreſ. 4. idem ante illum docebant Waldenſes, & Fratricelli, quem errorem aſſumpſit Witcleſus art. 10. 15. 17. 31. 32. 35. 38. qui inter reliquos damnati ſunt in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. & in Bulla Martini V. eadem Lutherus, vt refert loco citato noſter Caſtro. Tertia claſſis. Vadiani. Aug. de hær. Ioan. Andreas.

Quarta ſententia eſt Gulielmi cuiuſdam Antuerpienſis, qui aſſerebat paupertatem tam perfectam eſſe, vt ſola omnia peccata delere valeat, ſicut ignis rubiginem, ideóque meliorem eſſe meretricem pauperem quouis continente poſſidente, & retinente aliquid in ſui ſubſidium: exhumatus eſt quatuor poſt mortem annis, & in cineres conuerſus. Dicebatur Gulielmus Cornelij. Quarta claſſis.

Hoſce errores circa paupertatem inueſtigare volui, antequam controuerſiam ingrediamur, vt conſideret lector, quid ſanum, quid periculoſum ſit, & ſi quid in Franciſcanis reprehenſione, aut veniâ dignum inueniat, ſyncerè iudicet. Prima ſententia damnoſam vel inutilem & ſuperſtitioſam reddit paupertatem. Secunda huic contraria neceſſariam aſtruit ad ſalutem, adeóque poſitam eam legem iis, qui ingredi velint in vitam, non ſolùm conſultam tendentibus ad perfectionem. Tertia præſcriptam eam legem vult ſaltim Eccleſiaſticis à Chriſto. Quarta effectum charitatis & gratiæ tribuit paupertati, quod eſt peccata delere: omnes proculdubio damnatæ ſententiæ, tam ſcripturæ ſacræ, quàm regulis fidei, & Sanctorum Patrum deciſionibus contrariæ.

Præter has excitata eſt illa controuerſia de paupertate Chriſti, & Apoſtolorum ex occaſione, quam Dominicanus Inquiſitor captauit contra Franciſcanos, de qua controuerſia Bzouius in narratione ſuperiùs expreſſa egit. Verùm quia diſtinctius obſeruauit noſter Marianus circumſtantias, & rerum, & temporis, ipſamque veritatem, placet ex eodem ſupplere, quæ Bzouio aut eius authori deſunt. Ita ille lib. 4. cap. 8.

Cùm quidam Beguinus anno Domini 1321. *fuiſſet captus in ciuitate Narbonenſi pro facto hæreſis, & per Archiepiſcopum Narbonenſem, & Fratrem Ioannem de Belua* (Bemmius dicitur apud Bzouium) *Inquiſitorem hæreticæ prauitatis ex Carcaſonenſibus, qui Fr. Ioannes perſecutor Ordinis Minorum, ſtatus & regiminis ipſius ordinis acerrimus, & enormis* Marianus.

 extitit,

extitit, ſicut de perſecutione iniuſtâ fratribus factâ a paret, per legitima documenta, & etiam per Bullam ſententiæ contra ipſum Fratrem Ioannem occaſione huiuſmodi perſecutionis fratrum Minorum promulgatam. Hic Fr. Ioannes præfatum Beguinum iudicare volens, tanquam hæreticum conuocauit ad Concilium ſuum omnes Priores, Guardianos, & lectores religioſorum, & quam plures alios ſapientes, inter quos fuit frater Beringarius Talons de Perpiniano lector in conuentu Narbonenſi; & cùm ipſe Inquiſitor feciſſet inter cætera legi dictum articulum, Chriſtus & Apoſtoli nihil habuerunt in communi, neque in ſpeciali, pro quo inter cætera volebat Beguinum huiuſmodi condemnare; ipſe Fr. Beringarius lector ſuper dicto articulo requiſitus, reſpondit, quod hoc dicere non erat hæreticum, ſed dogma ſanum, Catholicum, & fidele, maximè cùm hoc eſſet per Eccleſiam Catholicam in decretali, Exiit. *definitum. Quo facto, ac ſi aſſeruiſſet hæreſim dictus lector, præfatus Inquiſitor turbatus contra ipſum fratrem Beringarium dicens, & mandans ei, vt ſtatim reuocaret, quod dixerat in omnium præſentia. Qui reuocare noluit quoquo modo, ſed quia cogebatur reuocare, timens ex hoc contra iuſtitiam multipliciter aggrauari, ad Apoſtolicam ſedem ſolemniter appellauit, & cum appellatione ſua comparuit in Curia coram Domino Papa in conſiſtorio apud Auinionem, ſed antequam lector acceſſiſſet, præuenit præfatus Inquiſitor ſuis ſeductionibus, & fallaciis, & mendaciis ipſum Dominum Papam contra fratres Minores, & eorum ſtatum, & ordinem prouocauit. Quapropter Dominus Papa malè informatus de oppoſito fratrem Beringarium lectorem in ſua Curia fecit arreſtari, ex quibus lites, & diſcordiæ non paruæ inter vtrumque ordinem oriri cœperunt coram ſummo Pontifice, & Conſiſtorio dicentibus Minoribus, quod Chriſtus, & Apoſtoli nihil habuerunt, nec in communi, nec in ſpeciali, & contrarium affirmare erat hæreticum, è contra dicentibus Prædicatoribus, videlicet quod habuerunt, & hoc negare erat hæreticum. Neutra iſtarum partium in iſto initio quæſtionis diſtinguente, ſed vnâ affirmante, alterâ negante: Quamobrem Dominus Papa fratrem Vbertinum de Caſali de hoc requiſiuit per Reueren. Dominum Neapoleonem Cardinalem, quod de prædicta quæſtione breuiter ſcriberet, id quod ſibi videretur tenendum. Acta ſunt hæc anno præfato in Dominica de paſſione: Fr. autem Vbertinus recipiens litteras Domini Neapoleonis Cardinalis quod ſentiebat de præfata quæſtione per ſcedulam reſpondit, cuius reſponſionis tenor talis eſt;* &c. Hæc Marianus. Summarium autem reſponſionis eſt, quòd ſimpliciter, & ſine diſtinctione non ſit reſpondendum ad quæſtionem: ipſe autem tria aſſerit. Primum eſt, Chriſtum & Apoſtolos habuiſſe ius & authoritatem diſpoſitionis, & diſtributionis ſuper ea quæ pauperibus, & miniſtris Eccleſiæ dabantur, in quantum erant Prælati. Secundum, quod in quantum erant perſonæ ſingulares perfectionis, & abdicationis, & humilitatis viam ſequentes, & docentes, nihil habuerunt proprij ciuiliter, & ſecundùm conſuetudinem fori externi, & contentioſi, & ſic Franciſcanos intendiſſe. Tertium quòd habuerunt proprium, quantum ad ius poli, & neceſſariam ſuſtentationem, & vſum vitæ, & ſic, inquit, intelligendi ſunt Prædicatores.

Reſponſio Fratris Vbertini à Caſali.

Subiungit

Subiungit Marianus reſponſioni quam verbis ipſius authoris tranſcripſit; *Hàc autem ſcedulâ* (ſupple, Vbertini) *lectâ in Conſiſtorio, concorditer vtraque pars præſens reſpondit. Nos non reſiſtimus iſti ſcedulæ, Minores allegantes id, quod erat pro parte ſuâ. Tunc ſummus Pontifex lætus dixit: nolumus plus audire, quia benè reſponſum eſt quæſtioni. Tamen poſtea publicè, ad quorum ſuggeſtionem neſcio, iterum præfatam quæſtionem propoſuit: videlicet, vtrum pertinaciter aſſirmare Dominum Ieſum Chriſtum, eiuſque Apoſtolos non habuiſſe aliqua in ſpeciali, nec etiam in communi foret hæreticum cenſendum. Et formam illius quæſtionis in ſcriptis omnibus Prælatis, & Magiſtris in Theologia in Curia reſidentibus tradi fecit, ſuſpenſâ tamen ſententiâ excommunicationis ſuper decretali* Exiit, &c. *contra gloſſantes, docentes, ſeu dogmatizantes aliter quàm eo modo quo continetur in ea Ad hoc fecit vt Prælati, & Magiſtri, & alij quicumque poſſint liberè definire, & determinare, & ipſam ad libitum impugnare. Propter quod quandam conſtitutionem edidit, & publicè promulgauit, in Auinione 26. Martij anno 6. Pontificatus, anno Domini* 1322. *quæ incipit,* Ad perpetuam rei memoriam *Quia nonnunquam quod coniecturâ profuturum credidit, &c. quâ ſuſpenſâ aliqui Domini Cardinales, & præcipuè fratres Vitalis, & Bertrandus de Turre, & nonnulli alij viri nobiles requiſierunt Fr. Michaelem de Ceſena decimum ſeptimum Generalem Miniſtrum, & totum Capitulum Generale apud Peruſium tunc in Pentecoſte proximâ celebrandum, quod ipſi definirent, & determinarent præfatã quæſtionem & in ſcriptis redigerent.*

Trigeſimum quintum Capitulum Generale poſt obitum beati Patris noſtri Franciſci apud Peruſium Italiæ celebratum eſt anno Domini 1322. *ab inceptione verò ordinis anno* 114. *per fratrem Michaelem de Ceſena decimum ſeptimum Generalem Miniſtrum, in quo Patres receptis litteris Domini Vitalis, & Beltrandi (in quibus cum inſtantia magna inducebant, atque exhortabantur quòd determinarent dictam quæſtionem, & ſuſtentarent declarationem Nicolai, & quod in ea dictum eſt, oppoſitum eſſe hæreticũ, & hæ litteræ fuerunt notæ toti Capitulo) quæſtionem ipſam diſputantes, & ſubtiliter ventilantes determinarunt præfatam quæſtionem, & vniuerſis Chriſti fidelibus ſuam determinationem, vt ſequitur, deſtinarunt. Vniuerſis Chriſti fidelibus Fr. Michael,* &c. Hactenus Marianus, qui de verbo ad verbum inſerit determinationẽ Capituli prout eam exſcripſit Bzouius ex manuſcriptis; eandem etiam ſcripſit Aluarus Pelagius lib. 2. de planctu cap. 62. Marcus Vliſſiponenſis his per omnia concordat 2 p. lib. 8. c. 10. & 11. Quoniam igitur noſtri ſimul, & ipſe aduerſarius conueniunt in quæſtione Capituli, eandemque & cauſam, & motiuum deſcribunt controuerſiæ, ac ſimul etiã ipſam deciſionem habitam à noſtris Patribus in Capitulo Peruſino nihilo mutato, & verbotenus tranſumpſerint, omnis ſublata eſt hac in re diſſidij occaſio, & lis diſputationis, cùm eadem & nobis, & ipſi in cõfeſſo manifeſtóque ſit ratio & narratio facti niſi quod Bzouius finem deciſionis, eiuſque fundamenta ſubtraxit, quæ ſequenti capite reſtituemus. Is enim hoc ſolo differt, quod aliqua prætermittens ſuccinctior ſit, & quæ diuerſis temporibus acta ſunt in vnum congerat, & ſub eodem anno; quod intento noſtro parum officit. Præſcriptam igitur facti,

ipſiuſque controuerſiæ hiſtoriam ab vtriſque habes lector, obſerua initium,& proceſſum,donec finem inſpexeris,quo liceat ex integra cognitione huius cauſæ iudicium exponere ſecundùm æquitatem,quod optamus, & deſideramus.

CAPVT II.

Proponitur iuſtificatio controuerſiæ ex parte Franciſcanorum, & expenditur deciſio Capituli Peruſini.

Plurium circa quæſtionis ſtatum errores.

PLurimi in hac controuerſia cæco feruntur impetu, nec verentur docere, antequam diſcant, non aduertentes ex Tullio, *primam cauſam eſſe victoriæ, cauſam pro qua dicturus es diſcere.* Meritò igitur præmonendi lectores, ne quod à pluribus dictum, id verum popularis quædam efficiat ſuo ſtrepitu perſuaſio. Nam alij ex ſola controuerſiæ fama materiam finxerunt, vt Cranzius in ſua Wandalica, aſſerens etiam fuiſſe circa animarum viſionem. Alij coniecturâ rem agunt, dum præcipuè Ioannis XXII. legunt extrauagantem illam, *Cùm inter nonnullos*, &c. Quaſi autumantes, quòd oppoſitum eius, quod is ibi determinauit, noſtri docuerint in Capitulo Peruſino, atque deinceps defenderint. Quid dicam de iis, quos tranſuerſum egit affectus, & mendaciter nobis impingunt Fratricellorum hæreſim? qua in re aduerſæ partis factio præpoſterè inſudauit, alióſque nonnullos ſeduxit viros alioquin pios, & doctos: verùm in hoc magis credulos, quàm induſtrios, vt ſicut in illis inuidiam, ita in his meritò culpemus negligentiam, excuſemus malitiam. Non deſunt etiam, qui initium diſputationis à noſtris Prædicatoribus ferunt cepiſſe. Alij ſubinde, vt Gerardus Odonis, Ceſænatis æmulus, licèt ſententiam non probet, arrogantiam dicto Capitulo adſcribit, quòd auſum nempe fuerit ſuum iudicium interponere, poſtquam in præſentia Pontificis & Curiæ res cœpta eſt ventilari. Verùm qui puriores oculos habent, & cauſam ſtudioſius intuentur, perſpiciunt longè aliter rem eſſe, atque ab errantium vitio, hanc veritati nebulam velut illuſione quadam ſenſus obiectam veriùs quàm innatam deprehendunt: Quapropter ne illuſio in deceptionem amplius trahatur & fidem, neceſſum duxi huiuſmodi vmbras adductâ veritate diſcutere, & ſimul oſtendere Franciſcanos tam in Capitulo Peruſino, quàm antea in hoc veritatis tuendæ certamen vocatos, requiſitam iuſtitiæ, & pietatis moderationem adhibuiſſe, vt nec veritati æquitatem, aut æquitati modum defuiſſe quiſpiam iuſtè queratur, aut obloquatur.

In epiſtola ad Ceſænatem, extat apud Rodulp.

Tria potiſſimum grauiora opponuntur. Primum eſt,oppoſitum eius, quod definiuit Pontifex in illa extrauag. *Cùm inter nonnullos*, &c. determinatum atque defenſum eſſe tam à Capitulo Peruſino, quàm à Franciſcanis. Secundum, illic defenſam eſſe hæreſim Fratricellorum. Tertium,iniuſtam vel rebellem fuiſſe eorum determinationem, & contra

tra debitam Sedis Apoſtolicæ reuerentiam. Vt igitur hæc tria expediamus, ipſam expendamus determinationis ſententiam, debitúmque eliciamus ſenſum.

Quæſtio fuit, *vtrum aſſerere Chriſtum, & Apoſtolos non habuiſſe aliquid in proprio, nec in communi ſit hereticum?*

Reſponſio Capituli.

Determinationi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ firmiter, & totaliter inhærentes, concorditer, & vnanimiter dicimus, & fatemur, quòd dicere, & aſſerere, quòd Chriſtus viam perfectionis oſtendens, & Apoſtoli eandem perfectionis viam ſequentes, atque per exemplum in alios volentes perfectè viuere deriuantes, nihil iure proprietatis, & dominij, ſeu iuris proprij in ſpeciali, & in communi habuerunt; non eſt hæreticum, ſed ſanum, Catholicum, & fidele, maximè cùm Sancta Romana Eccleſia Catholica, quæ à tramite Apoſtolicæ traditionis, nunquam deuiaſſe aut erraſſe probatur (24. quæſt. 1. cap. à recta. & cap. pridem. in fin.) hoc expreſsè dicat, affirmet, & determinet manifeſtè, extra de verb. ſig. cap. exiit. in 6. porro ſic inquiens.

Dicimus quòd abdicatio proprietatis omnium rerum, tam in ſpeciali, quàm in communi propter Deum meritoria eſt, & ſancta, quam & Chriſtus viam perfectionis oſtendens verbo docuit, & exemplo firmauit; quámque primi fundatores militantis Eccleſiæ, id eſt, Apoſtoli, prout ab ipſo fonte, id eſt, Chriſto hauſerunt in volentes perfectè viuere, per doctrinæ, ac vitæ ipſorum alueos deriuarunt. Quæ Eccleſiæ determinatio in 6. libro decretalium per ipſam Eccleſiam Catholicam eſt inſerta, & per aliam decretalem in Viennenſi Concilio promulgatam, & in Clementina, quæ incipit, Exiui de paradiſo. *ſub titulo de verborum ſignificatione inſertam, per ipſam vniuerſalem, & Catholicam Eccleſiam eſt approbata: ac nouiſſimè per Sanctiſſimum Patrem, & Dominum, Dominum Ioannem diuina prouidentia Papam XXII. in quadam ſua declaratione edita ſuper regula, & ſtatu fratrum Minorum, quæ incipit,* Quorundam. *eſt eadem declaratio plurimum commendata, tanquam ſalubriter edita, ſolida, lucida, multáque maturitate digeſta. Et teſtante Canone 19. diſtinct. 1. Si Romanorum. id quod pro dogmate ſano Sedes Apoſtolica comprobauit: ſemper debet teneri acceptum: nec ab eo licet quomodolibet reſilire, 24. quæſt. 1. cap. hæc eſt fides. In huius autem noſtræ opinionis, ac concordis ſententiæ teſtimonium, & munimen præſentem ſeriem de communi conſenſu omnium noſtrorum ſigillis & ſubſcriptionibus propriis generalis Miniſtri & nominatorum ſuperius Magiſtrorum, ac Baccalaureorum in ſacrâ paginâ, necnon quatuor Prouincialium Miniſtrorum videlicet Thomæ Prouinciæ Bononienſis, Petri Prouinciæ Sancti Franciſci, Fernandi Prouinciæ Caſtellæ, & Simonis Prouinciæ Turoniæ duximus muniendam. Datum Peruſij anno, menſe, & die ſuperiùs nominatis.* Ita habet deciſio Capituli, cuius poſteriorem clauſulam quæ ad qualificationem definitionis Nicolai Papæ facit, aduerſarius omiſit ſeu eius authographus. Hæc omiſit Bzouius.

Circa hæc aduerto, illam deciſionem & ſententiam noſtrorum Pa- Expenditur deciſio.

trum non ex proprij iudicij inuentione, aut præſumptione conceptam eſſe, nec priuatæ opinionis fidem eos fuiſſe ſequutos. verùm, vt ipſi ferunt, *determinationi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ firmiter, & totaliter inhæſiſſe.* Quod euidentiſſimum eſſe probat non tantùm intentio, & ſenſus, ſed ipſa etiam verba quæ ex determinatione eiuſdem Eccleſiæ facta per Nicolaum III. ſunt mutuata. Hic porrò dicit, quòd paupertatem in communi & ſpeciali Chriſtus viam perfectionis oſtendens verbo docuit & exemplo firmauit, eamque per Apoſtolos ab ipſo Chriſto hauſtam, in volentes perfectè viuere deriuatam, eamque meritoriam eſſe, & ſanctam. Quid autem habet Patrum deciſio niſi idem? alienum nempe ab hæreſi, ſanum, & Catholicum eſſe aſſerere, quod determinauit Nicolaus; videlicet quòd Chriſtus viam perfectionis oſtendens, & Apoſtoli eandem perfectionis viam ſequentes, atque per exemplum in alios volentes perfectè viuere deriuantes, nihil iure proprietatis, & dominij, ſeu iuris proprij, in ſpeciali & in communi habuerunt; quod eſt dicere eos paupertatem in communi, & particulari obſeruaſſe; quam in eadem decretali exponit Nicolaus in hoc conſiſtere, vt omnem proprietatem, ius proprium, ac dominium tam in communi, quàm in particulari excludat, ſolo, & ſimplici vſu facti contenta: Rectè igitur obſeruarunt omnes conditiones quas viri pij, Catholici, & docti, verique Eccleſiæ filij explere in huiuſmodi ſententiis conſueuerunt. Primum omnium præmiſſa atteſtatione, debitæque ſubiectionis confeſſione determinationi Sanctæ Eccleſiæ Romanæ quæ nunquam à tramite Apoſtolicæ traditionis deuiaſſe, aut erraſſe probatur, ſe totaliter, & firmiter adhærere profitentur, ne propriæ ſcilicet opinionis ventus eos à recto curſu abriperet. Secundò ſuam opinionem verbis, & ſententiâ Eccleſiaſticæ determinationis, atque ipſius Pontificiæ decretalis manifeſtè conceptam, expreſſerunt. Tertiò eandem ſubiungunt decretalem aſſertionis fundamentum. Quartò eius authoritatem probant, verámque Eccleſiæ determinationem eſſe manifeſtè, & variis rationibus conuincunt: primò ab authore, Romano Pontifice, qui eandem condidit ex cathedra; deinde à receptione; quia inſerta inter ſacros Canones in corpore iuris tanquam vera Apoſtolica conſtitutio, & quæ pro tali deberet cum rigore obſeruari. Item quia approbata, etiam in Concilio generali Viennenſi præſente Clemente V. per Clementinam, *Exiui de paradiſo.* Atque tandem per ipſum Sanctiſſimum Dominum Ioannem XXII. in extrauaganti, *Quorundam exigit.* Tandem concludunt verbis Canonis; *Id quod pro dogmate ſano Sedes Apoſtolica comprobauit* (qualis fuit illa decretalis) *ſemper debet teneri acceptum, nec ab eo licet quomodolibet reſilire.* Vltimò denique nihil magis de ſeipſis, quàm quod erant præſumentes, nullámve indebitæ, aut alienæ authoritatis vſurpantes poteſtatem, aut ſimulantes gloriam, ſub opinionis, & ſententiæ dumtaxat nomine ac titulo huiuſmodi ſuam deciſionem, velut doctrinale iudicium tali propoſuerunt ſubſcriptione: *In huius autem noſtræ opinionis ac concordis ſententiæ teſtimonium*, &c.

Deciſionis membra & qualitas.

Veniant igitur aduerſarij; compareant, ipſam deciſionem ante tribunal

bunal ſiſto; nihil in ea perplexum, nihil inuenient detortum, nihil obliquum; planum & ſecurum iter lectori ſternit, via regia eſt, quam ipſe Eccleſiæ Paſtor, non fratres Minores, in ſoliditate petræ, tranſmittendis ſine præcipitio ouibus excidit. Verba ſunt Nicolai Papæ, ſententia Nicolai eſt. Ille concepit, ille dictauit; tam litteræ quàm ſenſus ipſe eſt author. Aſſerit Nicolaus abdicationem omnium rerum tam in communi, quàm in ſpeciali propter Deum ſanctam eſſe ac meritoriam, eámque abdicationem Chriſtum verbo docuiſſe, & exemplo firmaſſe, vt viam perfectionis oſtendat; eamque hauſiſſe Apoſtolos à ſuo fonte, & in volentes perfectè viuere per doctrinæ, & vitæ alueos deriuaſſe. Ita docuit Pontifex, ita diſcipuli Minoritæ ab eodem docente exceperunt, excepta retinuerunt, retenta verò tanquam commiſſæ fidei depoſitum, rationémque eius petentibus reſtituerunt, affirmantes non eſſe hæreticum aſſerere quæ Nicolaus docuit & determinauit, Eccleſia vniuerſalis acceptauit, generale Concilium præſente capite Romano Pontifice, approbauit. *Quia, inquiunt, Sancta Romana Eccleſia Catholica à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam deuiaſſe, aut erraſſe probatur, & quod pro dogmate ſano Sedes Apoſtolica comprobauit, ſemper debet teneri acceptum, nec ab eo licet quomodolibet reſilire.* Quid igitur hîc obloquio dignum? quid nociuum? dogma Eccleſiæ eſt, determinatio Pontificum, ij quibus diſplicet, breuiter à me reſponſum habeant, lædere cupiunt, non legere, aut intelligere; detrahere, non diſcere; veritatem ſeu contemnunt ſeu ſimulant, vt virus effundant; nec videre volunt ne offenſionem tollant; radunt, & corradunt, vt appetitus fert, ſed mirabili illuſione ignominiam, & caluitiem ipſi raſores circumferunt. Errauerint Franciſcani in ſua deciſione; at non ſoli, nec primi erroris illius authores. Docentem ex cathedra Chriſti Vicarium audierunt, ipſius ab Eccleſia receptam doctrinam ſunt ſecuti, nihil de ſuo commiſcentes, nihil comminiſcentes. Quod igitur Doctore Pontifice, Eccleſiâ magiſtrâ ab iis emanauit, ſicut culpâ, ita & inuidiâ carere debuit inter veritatis ſtudioſos. Sed eandem cum ipſa veritate aleam ſubimus. Glorioſum verò eſt eoſdem cum veritate inſidiatores habere, & quæ in veritatem contorquentur, oppoſito corpore tela excipere, & in hoſtes retorquere. Huiuſmodi certamen non deprecamur, ſicut nec olim Patres noſtri in Capitulo Peruſino deprecati ſunt, cùm pro authoritate doctrinæ Pontificiæ, atque Eccleſiaſticæ intrepidè decertarunt.

Verbis & ſenſu Nicolai Papæ concepta eſt.

Quod igitur primo loco opponitur, inſpectâ deciſione Peruſinâ ſimul, & extrauagante Ioannis, reperitur manifeſtè falſum: Quacumque porrò viâ in concordiam veniet Ioannes cum Nicolao, eodem modo reconciliare licet eundem cum determinatione Peruſina, cùm eadem ſit Nicolai ſententia. Ioannes decernit in conſtitutione, *Cum inter nonnullos*, &c. Chriſtum aliquando habuiſſe proprium, & idem de Apoſtolis, non tamen refert eum ſemper id habuiſſe, Nicolaus & Franciſcani in dicta ſententia aſſerunt eum aliquando nihil habuiſſe in ſpeciali, nec in communi, quæ nulla ratione contradicunt, cùm neutra aſſertio deſtruat alteram, ſed diuerſos vitæ Chriſti ſtatus, & exempla diuerſaque tempora

Deciſio Peruſina non diſcordat à Ioanne.

pora reſpiciant. Et quidem Nicolaus etiam refert Chriſtum perſonam infirmorũ aſſumpſiſſe in loculis: hoc ipſum implicitè docuit Capitulum Peruſinum mutuatis Nicolai verbis, adhibitáque hac reſtrictione ſeu determinatione; videlicet, *Chriſtus viam perfectionis oſtendens & Apoſtoli eandem ſequentes, atque in alios perfecte viuere volentes, per exemplum deriuantes eam perfectionem, nihil habuerunt*, &c. Vnde ſicut de natura termini reſtrictiui eſt, vt pertinentia ad ipſum includat, extranea verò excludat (Clement. *Exiui de paradiſo.*) ita prædicatum hoc quod eſt (*nihil habere*, refertur ad ſubiectum videlicet, *Chriſtus, & Apoſtoli)* non ſimpliciter, abſolutè, & ſine limitatione ſtatus, & temporis; verùm pro eo dumtaxat ſtatu, & tempore, quod per reſtrictionem adiunctam ſubiecto importatur; provt ſcilicet viam perfectionis ſequebantur, & docebant, ac proinde excludit idem prædicatum à ſubiecto quoad aliud quoduis extraneum reſtrictioni tempus, & ſtatum. Alioquin ſanè ſi prædicatum illud abſque vlla aut temporis, aut ſtatus differentia, ad ſubiectum referrent capitulares, indoctè, & nugatoriè adhiberetur reſtrictio, nullum ex intentione ſortitura effectum, aut operatura vocis affectionem, ad quam alioquin primææ inſtitutionis natura, loquendi formulæ & vſus ſermonis eam ordinarunt. Acceſſit ad hæc ſubiectus deciſioni textus Nicolai, in quo vniuerſim eſt fundata, non alio à Patribus ſenſu adductus, aut contrario modo intellectus, quàm vt ſonat, & ex cõditoris ſententia debet intelligi. Pontifex autem ſicut aſſerit loco allegato, Chriſtum, & Apoſtolos in quantum viam perfectionis verbo, & exemplo docuerunt, nihil habuiſſe, ita etiam ſubuertit eundem Chriſtum Saluatorem noſtrum, infirmorum etiam ſuſcepiſſe perſonas in loculis; exprimens illud, quod tacito conceptu parturiebat adhibita in antecedentibus ad hoc reſtrictio, vt per contrapoſitionem diuerſorum vitæ Chriſti ſtatuum doceat, quid perfectioribus conueniat, quid infirmioribus permittatur, viuum exemplar proponens eum, cuius omnis actio noſtra eſt inſtructio; qui fortiores ad præmia inuitat, debiles in ſpe confirmat; acquirendæ perfectionis dat conſilia, ingreſſus vitæ præſcribit mandata, illa ſupererogationis, hæc neceſſitatis; virginitatem ſuadet, matrimonium volentibus confirmat; nunc fugam in ſe aſſumpſit debiliorum, nunc fortitudinis, & conſtantiæ fit exemplar Martyrum; ſic feruentioribus virtutum documenta præſtans, vt inferioris ſtatus, conditiones, & officia miſericorditer diſpenſet; viam perfectionis oſtendens, fit omni re pauper, in loculis ſeruandis perſonam ſuſcepit infirmorum, vt docet Pontifex, cuius ſententiam aſſequuti ſunt Franciſcani: atque hinc apparet falſum eſſe, eos aliter docuiſſe, quàm docuit Nicolaus, aut in quoquam ab eo diſcrepaſſe, oppoſitum eius quod determinat Ioan. XXII. in extrauaganti, *Cum inter nonnullos*, &c. defendiſſe.

Diuerſi vitæ Chriſti ſtatus.

Ad ſecundum accuſationis caput, nihil refert, quid reſpondeatur, cùm manifeſta ſit hæreſis dicere hanc determinationem Capituli Peruſini eſſe Fratricellorum hæreſim. Hoc enim conuinceretur, Sedem Apoſtolicam, atque adeo totam Eccleſiam cum Generali Concilio non modò

Deciſionẽ appellare hæreſim Fratricellorum, eſt hæreſis.

modò erraſſe iudiciali, vt ferunt, errore, in fide; ſed etiam hæreſim longè ante, & ſæpius ab Eccleſia profligatam, & damnatam docuiſſe, approbaſſe,& acceptaſſe, vt in ſimili caſu aduerſus Bzonium anno præcedenti diſputauimus, nec enim fratres Minores in ſuo Capitulo quidquam docuerunt, niſi quod Pontifice, & Eccleſiâ magiſtrâ didicerunt, ſicut oſtenſum eſt. Excuſandi tamen ſunt ab huius ignominia erroris, qui non viderunt Capituli Perufini determinationem, ex ignorantia verò, aut negligentia, aut facili credulitate ſeducti aliam fuiſſe Capituli deciſionem, aliam doctrinam exiſtimarunt. Hac ergo notâ ſignandi dumtaxat veniunt, qui Capituli ignoraſſe nequierunt ſententiam,eámque parem cenſent cum hæreſi Fratricellorum. Inter ſignatos neminem ſpecialiter colloco, neminem accuſo, non excuſo tamen Antagoniſtam meum Bzouium Sacræ Theologiæ Doctorem, ſcriptorem Annalium ſacrorum, qui verbotenus Capituli deciſionem adſcripſit, & Fratricellorum hæreſim eam eſſe frequentius affirmat, inculcat, nec ſine tautologiâ repetit.

Decifio lōgè diuerſa ab hæreſi Fratricellorum.

Cæterùm quàm longè diuerſa ſint hæreſis Fratricellorum,& deciſio Capituli Peruſini nemo eſt quin videre,& palpare queat. Illi affirmabát Chriſtum pro quouis ſui nobiſcum conuictus tempore, & Apoſtolos nihil ſimpliciter tum, aut poſteà habuiſſe proprij (an verò in hoc damnandi ſint erroris, & in quo ſenſu, inferiùs diſſeremus, iam in hoc erraſſe permittamus) fratres autem Minores cum Nicolao Papa hanc abdicationem ad illud ſolum tempus referunt, & coarctant, quo viam perfectionis verbo, & exemplo oſtenderunt Chriſtus, & Apoſtoli. Fratricellorum primaria hæreſis fuit, illud vitæ genus non in exemplum, ſed in præceptum à Chriſto eſſe datum. De hac ne ſomniarunt quidem Franciſcani. Fratricelli docebant non eſſe ſpem ſalutis iis qui aliquid poſſiderent iure proprietatis. Item nec Epiſcopos, nec alios Eccleſiæ Prælatos poſſe habere poſſeſſiones: ab his alieniſſima fuit ſententia Franciſcanorum, quorum nemo in hanc abſurditatem eſt prolapſus: ac proinde qui hæreſes Fratricellorum Minoritis inurunt, ignari ſunt habitæ deciſionis, vel certè ipſi magis in errore, vt conferenti illa tria eorum circa paupertatem dogmata cum deciſione Peruſina fit peruium.

Deciſionis ſubſtantiā nullam offenſionem continere.

Quod tertio loco opponitur ex dictis manifeſtè conuincitur falſitatis, ſi quis originem & cauſam ipſamque inſuper determinationem attentiùs perpendat. In primis ipſa deciſio verbis Canonis eſt concepta, & ſecundùm eam doctrinam quam Nicolaus III. determinauit plures Pontifices & Generale Concilium poſt eum approbarunt, atque Eccleſia, Prælati, Vniuerſitates, & Doctores acceptarunt. Deinde nec oppoſitam ſententiam, nec vllam in vniuerſum perſonam aliquâ notâ perſtringens, eâ ſtyli moderatione perſcripta eſt, vt nihil habere probetur quod in verbis aut doctrina quemquam offendat ſanè affectum, perficitúrque in ſola, & abſoluta quadam veritatis expoſitione, amputatis quibúſque in aliorum vitam, & mores inſultibus, aut inuentis extra propoſitum diuerticulis. Tertiò tantum defert authoritati Pontificis, &

Eccleſiæ, vt eidem dumtaxat ſuperædificata, aliunde robur, aut vires non quærat; ſpeciatim verò Ioannis XXII. innititur extrauaganti, *Quorumdam exigit*, &c. Vt proinde non videam, quomodo poſſit in contumeliam eius, à quoquam facta interpretari. Quartò denique continet ipſam manifeſtam veritatem, videlicet hæreticum non eſſe aſſerere id quod de Chriſti paupertate,& Apoſtolorum docuit Vicarius Chriſti, & tot Pontifices cum Concilio Generali confirmarunt, accedente Eccleſiæ acceptatione. Et hæc quidem ſatis abundè facti proponunt mea ſententia iuſtitiam. Quantum verò ad cauſas, motiua, & alias circumſtantias deciſionis, æquiſſima fuerunt.

Motiua, & circunſtantias fuiſſe legitima.

In primis ad Magiſtros ſacræ paginæ ex officio ſpectat omnium ſententiâ in quæſtionibus huiuſmodi ſuum exponere iudicium, nullaque id lege vetantur. Quidni ergo tot ſapientibus, & eminentibus Theologis, qui in dicto Capitulo fuerunt ex omni parte congregati, ſuam in dicta quæſtione opinionem, & mentem aperire liceret? Secundò non alium ob finem edidit Ioan. XXII. extrauag. *Quia nonnunquam*, &c. in qua relaxauit omnes pœnas à Nicolao præfixas contra gloſſantes decretalem, *Exiit*, niſi vt liberè quiſque circa veritatem contentorum inquirere, ſuámque exponere ſententiam poſſet, maximè circa Chriſti, & Apoſtolorum paupertatem. Quis igitur hanc liberam facultatem Franciſcanis coarctare volet, aut coarctatam aſtruet,quam communem omnibus per vniuerſum decreuit Pontifex authore Bzouio? licitè proinde eâ vſi, quæſtionis ſenſum ex Eccleſiæ mente aperuerunt. Tertiò quamuis dictæ rationes æquitatem facti ſuadeant, non ſolæ interuenerunt, ſed Illuſtrium virorum Cardinalium S. R. E. ordiniſque ipſius Protectoris, quibus erat parendum, inſtiterunt litteræ, ipſamque fieri vrſerunt determinationem, ac Patres officij admonuerunt, vt ſui ſtatus defenſioni, tótque Pontificiis editis in eum declarationibus maturè non deeſſent,cùm ſopitam litem denuo aduerſus ordinem æmulorum inuidia ſuſcitauit. Quartò veritatis conſeruandæ ſtudium præualere debuit, quæ Eccleſiæ definitione & approbatione iam facta eſt nota, & acceptata. Quintò acceſſit ipſius defenſionis non æquitas modò, ſed neceſſitas: omnia enim machinamenta aduerſus Diui Franciſci regulam, eiúſque declarationem ab Eccleſia factam produxit hoſtis, Deo id permittente, in exercitium partim, & diſciplinam; partim etiam in vindictam, & caſtigationem, vt hac vexatione remiſſus tum diſciplinæ inſtauraretur rigor, tum ſecuritate effuſus animus ad contemptæ paupertatis antiquum reuocaretur parcimonium, & cultum. Dura nimium fuere hæc tempora Franciſcanis, & ſeuera perſecutio,quam olim plures ſancti, & ipſe pauperum Patriarcha in ſpiritu præuidit, & quaſi præſentem deplorauit vineæ, quam per eum Chriſtus plantauit, diſſipationem. Obiecit quondam Imperator Ludouicus Bauarus (vt teſtis eſt Marianus lib. 4. cap. 8.) contra Ioannem, eum olim dixiſſe regulam Sancti Franciſci inobſeruabilem eſſe, & ſi dominus ei poteſtatem daret, facturum, vt ſicut reliquæ religiones, bona in communi poſſiderent Franciſcani. Hoc coram pluribus Magiſtris Ordinis Minorũ fide dignis dictum

dictum refert à Ioanne dum in inferiori gradu adhuc viueret: ſed id fortè confictum eſt, & in odium Pontificis ſuggeſtum Ludouico: verùm quali quali fundamento iactatum, terrorem Franciſcanis incutere potuit, & conceptus ex vano etiam rumore metus, ſuſpicionem augere, dum potiſſimum ea controuerſia, cui paucis abhinc menſibus, ex partium conſenſu, & plena ſatisfactione eſt impoſitum ſilentium, præter expectationem iterum vires ſumpſerit, atque edita extrauagante, ***Quia nonnunquam***, &c. pœnas omnes is laxauerit decretalis *Exiit*, quibus ſtatus tam fratrum, quàm regulæ ab impugnatione æmulorum atque malè ſentientium obtrectatione defenſabatur. Hi verò occaſione, quam veritati inquirendæ Pontifex conceſſit, peruersè vſi, non quæſtionem de paupertate Christi, quæ tum in dubium venit diſcutientes, ſed in præſcriptæ regulæ, & fratrum paupertatem inuolantes, hanc impugnare totis viribus cæperunt, adeo vt quidam eorum expreſſas, & damnatas hæreſes in impugnationem eius concipere non vererentur, ſicut infrà clariùs patebit, & quia regulam ſine decretalis *Exiit*, deſtructione deſtruere nequierunt, idem vtrique bellum ſine vlla Pontificis, aut Eccleſiæ veneratione indixerunt. Quid tum igitur reliquum fuit Minoritis, quàm Eccleſiæ, & Pontificis authoritatem, iuſtum tutelæ clypeum, interponere, & antiquas deciſiones contra impetentium nouas & importunas opponere contumelias, vincente neceſſitate, atque laborante, ex iniquorum ſuggeſtionibus, veritate? nihil enim aliud vel tum, vel ab initio controuerſiæ ambierunt Franciſcani, quàm ſui ſtatus, & eorum, quæ circa eius intelligentiam diſpoſuerunt Romani Pontifices (maximè Nicolaus III. & ſucceſſores) conſeruationem; idque patet tam ex deciſione, quàm ex iis, quæ ante hac in eadem cauſa præmiſerunt. Quis igitur tam iniquus erit, vt veritati debitum patrocinium, & iniquè vexatis iuris naturalis præſidium cenſuerit denegandum? **Improba diligentia aduerſariorum.**

Sextam adiungo rationem, quæ illius deciſionis neceſſitatem æquo lectori facile ſuadebit: ea verò eſt, matura præuentio rumorum, & ſiniſtræ relationis aduerſariorum, qui in id vnum ſtudebant, vt vulgò perſuaderent Franciſcanos eiuſdem cum Fratricellis ſententiæ, & opinionis eſſe, eoſdémque defenſores, & patronos Begardorum proclamare; quod plurimi peractâ etiam determinatione, atque in lucem editâ, peruersâ fide ſatagerunt perficere: in hoc totus eſt noſter aduerſarius, vt qui malè inuentæ fabellæ præco eſſe malit, quàm peruerſam altercationem ſubtractâ materiâ deperire: contra notam veritatem pugnare improbum eſt, & proteruum. Agnoſcere ex dictis licebit, quàm alieni à culpa huius controuerſiæ fuerint Franciſcani: nec ipſi excitarunt, nec eam ipſi fouerunt, nec quidquam in illa ab iis eſt hactenus peractum, quod iuſtitiæ, & modeſtiæ, ac requiſitæ defenſionis limites excederet, ſtatus, & inſtitutum regulæ impugnabatur, profeſſa paupertas, declarationes Apoſtolicæ in dubium vocabantur, ſub prætextu inquiſitionis circa Christi, & Apoſtolorum vitam, cui rei ipſam Eccleſiæ deciſionem breui, & clara cõceptam methodo oppoſuerunt, titulo defenſionis id licuit, poſtulantibus ſuam aperire ſententiam debuerunt, in ea potiſſimũ **Innocentia Franciſcanorum.**

quæſtione, cuius excutiendæ omnibus facta eſt copia: hinc ergo ij cauendi ſunt, qui eoſdem Patres in Capitulo Peruſino erraſſe affirmant, vel quia neſciant quid ibi deciſum eſt, vel quia, ſi ſciant à graui errore ipſi hoc affirmando nequeant excuſari, damnantes erroris id quod Eccleſia determinauit,& retinuit pro ſano dogmate atque etiamnum retinet. Hoc interim nobis ſufficit præſenti capite ad noſtrorum purgationem demonſtraſſe, primò inuiſos, & ſui defenſionis neceſſitate in certamen attractos eſſe, non ſponte veniſſe. Secundò nihil docuiſſe, niſi quod fuit aliàs à Vicario Chriſti doctum, atque ab Eccleſia multis annis confirmatum, & acceptum; vnde ſi errauerint eos ſui erroris duces habuiſſe, quos ſequi, & audire Chriſtus mandat, & à quibus diſcedere nulli eſt integrum. Cæterùm nos ſequentibus probabimus tam Nicolaum Pontificem quàm ſucceſſores, quàm etiam diſcipulos eius Franciſcanos veritatem docuiſſe,& nihil à Chriſti, & Apoſtolorum doctrina deuiaſſe.

CAPVT III.

Sententia Nicolai confirmatur ex Sacra Scriptura, & probatur Chriſtum, & Apoſtolos, vt viam perfectionis verbo, & exemplo oſtenderunt, atque docuerunt, obſeruaſſe paupertatem illam, quæ omnia tam in communi, quàm in particulari abdicat, quoad dominium & proprietatem ciuiliter dictam, & ſecundùm ius fori externi.

NOn defuerunt, qui auderent aſſerere Nicolaum III. erraſſe circa præmiſſam quæſtionem de Chriſti, & Apoſtolorum paupertate, eiúſque determinationem reuocatam fuiſſe per Ioannem XXII. inter hos eſt Nicolaus Eymericus 2. part. direct. quæſt. 17. qui hanc doctrinam ſequitur ex ea reſponſione, quam ibidem adſcribit Cardinalis Furnerij (qui poſtmodum dictus eſt Benedictus XII.) ad obiectiones (vt ipſe vocat) Fratricellorum. Idem tenet author ipſius reſponſionis; fuerit Cardinalis, necne, Syluester verbo fides, nec differt Bzouius, qui & dictam reſponſionem inferiùs tranſumpſit, & approbauit. Vt igitur his, & quibuſdam aliis ſatisfiat,tam infamem notam ab Eccleſia, totáque eius Pontificibus excludamus. Probationis autem ſimul & defenſionis exordium ſumemus ab illo textu ſatis noto Matth. 10.

Eymericus. Author reſponſionis ad obiect. Ochami. Syluester.

Primus locus.

Matth. 10. *Nolite poſſidere aurum, nec argentum, neque pecuniam in zonis veſtris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: dignus*

dignus eſt enim operarius cibo ſuo. Hic textus apertus eſt, & clarus, & iuxta litteræ proprietatem communi interpretum ſententiâ exponendus. Quod verò aliqui dicant eſſe conſilium non præceptum: vel hoc etiam admiſſo ad tempus duraſſe, quandiu ſcilicet Eccleſia, & Euangelium intra Iudææ fines coarctatum hæſit, mea nihil refert. Siue enim præceptum, ſiue conſultum; ſiue ad tempus inter Iudæos, ſiue etiam inter gentes prædicantibus Apoſtolis, ad mortem vſque impoſitum, id conſtat Chriſtum docuiſſe, Apoſtolos autem hoc vitæ genus obſeruaſſe: nam Lucæ 22. *Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? & illi dixerunt, nihil.* De qua autem miſſione loquitur Chriſtus niſi de hac in qua *ſacculus, pera, & calceamenta*, &c. ſolùm inueniantur expreſſa (excipe illam quæ Lucæ 10. concernit ſimili formâ diſcipulos) atque Apoſtolis interdicta, idem etiam Matt. 19. Mar. 10. Lucæ 18. manifeſtè docet Petrus. *Ecce*, inquit, *nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Ecce plenam expropriationem: alludit Petrus ad conſilium perfectionis Chriſti, quod obſeruatori legis iuueni, diuiti, & principi, vt dicit Lucas, propoſuit: videlicet, *vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni, & ſequere me.* Et quia hoc conſilium ſequutus eſt Petrus, interrogat de præmio, audiens theſaurum in cœlo propoſitum diuiti ſi abdicatis poſſeſſionibus Chriſtum ſequeretur. Siue igitur ex conſilio, ſiue ex præcepto fuerit hoc inſtitutum: Apoſtoli id exemplo ſuo expreſſerunt, id Chriſtus docuit. Luc. 21

Verùm enim verò ſi veritatis rationem ſecluſo affectatæ opinionis præiudicio, lubet perquirere, inuenire, & ſequi, clarum erit ex ſaniori interpretum recepto ſenſu, quem antiquitas, authoritas, ſanctitas, concordia authorum inexpugnabilem reddit. Hoc loco expreſſum fuiſſe præceptum, non conſilium, illudque vniuerſale eſſe videtur quoad tempus, quamlibet miſſionem, Euangelicæ prædicationis cauſa Apoſtolis iniunctam comprehendens, tamque ad Iudæos, quàm ad Gentes ſpectantem: recèns proinde inuentam expoſitionem probatis authoribus, nedum videri incongruam; ſed & nouatorum ſtudiis prope inuentam, atque edoctam, qui mihi aures ſuas obſtruunt, audiant hæreticorum Antagoniſtam Ioannem Maldonatum Societatis Ieſu Theologum, is in illa Matt. *nolite poſſidere aurum*, &c. ita habet.

Aſſentiri non poſſum iis, qui iſtam Chriſti prohibitionem vniuerſalem eſſe nolunt, ſed ad iſtam tantùm primam Apoſtolorum miſſionem pertinere, quaſi hoc veluti præludio, & ipſorum patientiam voluerit experiri: & vt diuinam ipſi prouidentiam experirentur, non ſolum quia hæreticos malos omninò ſequuntur authores: ſed quia hæc interpretatio, & inſtituto Chriſti, & aliis huius loci circumſtantiis, & omnibus antiquis, ac bonis repugnat authoribus, qui hoc præceptum perpetuum eſſe putant: nec ad hanc ſolum miſſionem, ſed ad omnes, & omninò ad totum Apoſtolorum officium pertinere; Hilarius, Chryſoſtomus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus. Hæc ille, quibus addi poſſunt plures inferius citandi, vt Baſilius, Euthymius, Nazianzenus, Origenes, Theophylactus, Beda, Anſelmus, S. Thomas, Maldonatus. Prohibitio vniuerſalis, quo ad tẽpus & loca.

Præcepti finis.

Bonauentura, & alij. Cæterùm non damno aliter ſentientes, licèt minus cum ſacro textu quadrare videantur, eiuſque ſenſum abſque fundamento ad hanc vnicam miſſionem in Iudæa tãtum factam coarctant: eadem namque ratio vtrobique militat, ne rerum non tam ſuperfluæ cupiditas, quàm neceſſariæ etiam ſuſtentationis angor, & ſollicitudo Euangelij prædicationem retardaret, miniſtros curâ diſtentos impediret, fructum ex credentium infirmitate prohiberet; tam ſublimis denique, & mundo hactenus ignota Philoſophia documentum fieret prædicatæ veritatis: Chriſti erga ſuos commendaret prouidentiam, declararet potentiam, & exaltaret ſapientiam; vt qui nihil habentes faceret omnia poſſidere, per infirma & contemptibilia, & ea, quæ non ſunt, confunderet fortia, & ea quæ ſunt, deſtrueret; ac tandem ſuum regnum de hoc mundo non eſſe oſtendens, contrarietate præceptorum, tanquam obiecto vallo, mundi excluderet vanitatem, induceret contemptum. Hæc quidem velut præcepti huius motiua explicant Patres, & Doctores, quæ ad Gentilium conuerſionem æquè dignoſcuntur ſpectare: eâdem proinde congruentiâ præceptum illud tam ad vnam, quàm ad alteram pertinebat miſſionem vt ex conſequente & præcedente textu colligit ibidem Maldonatus; & monſtrabimus in ſequentibus ita re ipſa fuiſſe obſeruatum: verùm quod magis ad rem ſpectat intueamur modò ipſius præcepti naturam, & quid potiſſimum præcipiatur.

Eſſe præceptum non conſilium.

Præceptum in primis his verbis contineri ex fine ipſius capitis manifeſtum videtur; *Et factum eſt* (inquit Matt.) *cùm conſumaſſet Ieſus præcipiens duodecim diſcipulis ſuis,*&c. Item Marc. 6. *& dabat illis poteſtatem ſpirituum immundorũ, & præcepit eis ne quid tollerent in via niſi virgam tantùm, non peram, non panem, neque æs in zona,* &c. His locis præcepiſſe dicitur Chriſtus, idem etiam formula loquendi ſonat: *nolite poſſidere aurum*, &c. ita Matthæus; *nihil tuleritis in via*, ita Lucas cap. 9. idem non obſcurè ſubindicat ipſe ſaluator Luc. 22. *Quando miſi vos ſine ſacculo*,&c. *miſi*, ſupple ex imperio.

Materia præcepti. Chryſoſt. Hieron. Gloſſa interl. Lyran. Anſel. Baſilius. S. Thom. Rupert. Carthuſian. Chryſoſt. Gloſſa.

Sed quid præcipitur: *prope neceſſaria amputat, ne curent de craſtino, qui docent omnia regi à Deo.* Omnium rerum abdicationem præſcriptam eſſe docet Chryſoſtomus in cap. 10. Matt. hom. 33. ibidem Hieronym. Gloſſa, Lyranus, Anſelmus: *Per aurum & argentum*, inquit, *accipit omnes diuitias: per pecuniam in zonis, & per peram accipit omne viaticum,* &c. Baſilius in regulis moralibus cap. 28. reg. 70. id etiam expreſſè S. Thomas in Cathena, Rupertus, Carthuſianus, & communis. Sed quid ipſo textu clarius? *Nolite poſſidere*, inquit, *aurum*, &c. *non dixit*, inquit Chryſoſtomus, *non accipiatis vobiſcum, ſed non poſſideatis, vt ſi aliunde ſumere poſſint, recuſarent tamen ac pernicioſam hanc ægritudinem fugerent*, &c. Quo loco præceptum ex ipſius verbi proprietate expendit ſanctus. Prohibetur ergo aurum, argentum, pecunia, pera in via, vbi Gloſſa; *Duo ſunt genera neceſſariorum, vnum, quo emuntur neceſſaria, aliud ipſa neceſſaria: per pecuniam in zonis illud vnde emuntur: per peram quod emitur.* Quæ interpretatio rectâ quadrat, cum illis Lucæ, *neque peram,*

ram, neque panem, ita etiam Marcus, *non peram, non panem.* Omnia ergo in vniuerſum prohibita ſunt vſque ad duas tunicas, & calceamenta, nam per panem conſueto ſcripturæ ſtylo intelliguntur reliqua alimenta. Hinc Lucas præmiſit vniuerſalem prohibitionem, antequam ad enumerationem particularium deſcenderet, quæ aliàs ad vitæ, & laboris non tam conſolationem, quàm neceſſitatem videbantur pertinere. *Nihil tuleritis in via* (ecce vniuerſale præceptum) *neque virgam, neque peram, neque panem,* &c. Simili modo Marc. *& præcepit eis,* inquit, *ne quid tollerent in via, niſi virgam tantùm, non peram, non panem, neque in Zona æs,* &c. Vnde conuincitur prohibitio generalis eſſe quo ad rerum poſſeſſionem, ideóque tam minutam rerum neceſſariarum ſubiectam eſſe expreſſionem, ne vllus interpretationi locus, etiam quo ad hæc minutula & vitæ neceſſaria ſubſit; dum ipſe panis, altera tunica, & calceamenta (quæ naturali indigentiæ concedit infirmitas) imo & fatigationis fulcrum etiam baculus comprehendatur: Nam quod apud Matth. & Luc. prohibeatur virga clarum eſt, & ſecundùm proprietatem debet intelligi: virga autem permiſſa apud Marcum ſignificatio eſt myſtica, vt docet Gloſſa & Aug. de conſenſu Euangeliſt. Gloſſ. Aug.

Sed & eiuſdem prohibitionis generalitatem probat vnius tunicæ permiſſio; nam, vt dicitur, *exceptio firmat regulam:* cùm prohibentur autem duæ, permittitur vna, requiſitum nuditatis operimentum. Verùm clariùs ex ſubiecto textu intentum conficiemus. *Dignus eſt enim operarius cibo ſuo,* quibus verbis oſtendit Chriſtus, vnde neceſſarium vitæ alimentum, ſeu victum, & veſtitum expectarent; nimirum ex opere, & ex Euangelio, non quod prædicatio Euangelij fieret propter hæc, aut miraculum (cùm id in antecedentibus prohibuerit dicens; *gratis accipietis, gratis date*) ſed vt moneret à diſcipulis, quos erudirent, illa eſſe ſuppeditanda. Chryſoſtomus loco citato; *Deinde ne dicas, & vnde igitur, quæ ad vitam neceſſaria ſunt, conſequemur? non adduxit in medium, quod aliàs eis dixerat. Inſpicite volucres cœli, nondum enim poterant reipſa hoc præceptum præſtare, ſed quod multò eſt minus adducit dicens, dignus eſt enim operarius cibo ſuo. Vnde perſpicuum eſt à diſcipulis ipſos eſſe alendos,* &c. Hieronym. in hunc locum: *Et quia quodammodo nudos, & expeditos ad prædicandum Apoſtolos miſerat, & dura videbatur eſſe conditio magiſtrorum, ſeueritatem præcepti ſequenti ſententia temperauit; dignus eſt operarius cibo ſuo. Tantum,* inquit, *accipite, quantum in victu & veſtitu vobis neceſſarium erit.* Vide paſſim interpretes. Hinc ergo Chriſtus immediatè ſubiecit: *In quamcumque autem ciuitatem, aut caſtellum intraueritis, interrogate, quis in ea dignus ſit, & ibi manete, donec exeatis.* Supple, apud eos manentes & hoſpitantes, vel vt habetur in miſſione ſeptuaginta duorum diſcipulorum Luc. 10. *In eadem autem domo manete edentes, & bibentes, quæ apud illos ſunt, dignus eſt enim operarius mercede ſuâ,* &c. Quibus verbis curam cibi, potus, hoſpitij ab eiſdem remouit, ſignificans hæc miniſtranda à diſcipulis; ita vt alieno etiam pane, ſub alieno hoſpitio, Apoſtolis viuendum eſſe præſcripſerit, omnem ab iiſdem rerum terrenarum excludens poſſeſſionem, ac proprietatem, Chryſoſt. Hieron.

tatem, vt ſoli diuinæ prouidentiæ innixi, in Domino cogitatum ſuum iactarent, & ipſe eos enutriret. Hinc Luc. 22. idem ſaluator ſuæ ergo eos prouidentiæ ſollicitudinem, & miracula commemorans: *Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? at illi dixerunt, nihil.* Quæ interrogatio locum non habet, ſi quicquam tum poſſiderent, quo ſuis neceſſitatibus poſſent prouidere. Hinc conſtat; nec in communi eos, tum quidquam habuiſſe: miſſi enim bini & bini hanc à Domino legem acceperunt, ac proinde non tantum ſtatum particularem huius, & illius concernit, ſed communem omnium, quod euidens eſt, tam ex tenore, & circumſtantiis præcepti, quàm etiam, quod iis tantum cibum, tunicam, & hoſpitium, quæ à credentibus erant miniſtranda, permittat: vt vni diuinæ prouidentiæ ſe committerent; & hæc quidem ad fideles ſpectabant, proprietate, qui beneficij & hoſpitalitatis ergo ſubueniebant indigentiis Magiſtrorum: vnde de cibo dicitur Luc. 10. *Edentes & bibentes, quæ apud illos ſunt:* ſupple, recipientes vos; *In quamcumque ciuitatem intraueritis, & ſuſceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis,* &c. *quæ apponuntur*, inquit, non quæ vos procuratis, ſed quæ hoſpes apponit intendens de hoſpitis aliena menſa eos viuere debere, non verò de propria, ideo ſicut communiter pœnam non recipientibus hoſpitio Apoſtolos, ſic etiam in fine capitis apud Matth. proponit præmia iis, qui eoſdem recipiunt. *Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum, qui me miſit. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ* (Gloſſa, quia nominatur Propheta) *mercedem Prophetæ accipiet, & qui recipit iuſtum in nomine iuſti* (Gloſſa, pro eo, quod nominatur iuſtus) *mercedem iuſti accipiet, & quicumque potum dederit vni ex minimis iſtis* (Gloſſa, minimi ſunt qui nihil penitus habent in hoc mundo, & iudices erunt cum Chriſto,) *calicem aquæ*, (Gloſſa, ne quis ſe ab inhoſpitalitate per paupertatem excuſaret, hoc leui præcepto deluit) *frigidæ tantùm in nomine diſcipuli.* (Gloſſa, pro eo quod nominatur diſcipulus.) *Amen dico vobis non perdet mercedem ſuam.* Quid autem eſt dare aliquid diſcipulo in nomine diſcipuli, id eſt, quia vocatur diſcipulus, niſi dare in honorem, & amorem eius, cuius eſt diſcipulus? vnde vtraque Gloſſa & Lyranus interpretantur referri debere ad ea, quæ dantur Apoſtolis ad effectum charitatis, & miſericordiæ.

Hieron. Super prædictis verbis ita Hieronymus ad confirmationem dictorum: *Qui recipit vos, me recipit,* &c. *Ordo pulcherrimus: ad prædicationem mittit: docet pericula non timenda, affectum ſubiicit religioni. Aurum ſupra tulerat, æs de zona excuſſerat. Dura Euangeliſtarum conditio: vnde ergo ſumptus? vnde victus neceſſaria? auſteritatem mandatorum, ſpe temperat promiſſorum. Qui recipit* (inquiens) *vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum, qui me miſit, & in ſuſcipiendis Apoſtolis vnuſquiſque credentium Chriſtum ſe ſuſcepiſſe arbitretur.* & infra. *Qui recipit Prophetam,* &c. *Ad ſuſceptionem magiſtrorum diſcipulos prouocauerat, poterat occulta eſſe credentium reſponſio: ergo & pſeudoprophetas, & Iudam proditorem debemus recipere, & illis alimoniam miniſtrare. Hoc Dominus ante procurans dixit,*

dixit, non perſonas ſuſcipiendas eſſe, ſed nomina, & mercedem non perdere ſuſcipientes, licèt indignus fuerit qui ſuſceptus ſit, &c. Vide in ſequentibus ſuper, *& quicumque potum.* Concordat Euthymius, Rupertus, Chryſoſtomus homil. *Qui recipit,* ait, *Prophetam,* &c. *In ſuperioribus quidem non parua ſupplicia non ſuſcipientibus minatus eſt: hic bonorum requie, ac felicitate ipſos condemnat.* Et inferius ſuper illa, *quicumque potum dederit,* &c. *Animaduertis quot, quibuſque cauſis perſuadet, & domos totius orbis Apoſtolis aperit,* &c. Subiungit nouem motiua expreſſa hoc capite, quibus inducit Chriſtus homines ad exhibendam Apoſtolis hoſpitalitatem, eóſque ſuſcipiendos. Anſel: *Quid eſt enim mercedem accipiet, niſi quia is, qui Prophetam ſuâ largitate ſuſtentat, quamuis ipſe prophetiam non habeat, apud Deum mercedem Prophetæ habebit,* &c. Paulò ſuperius adducit Hieronymi verba à nobis tranſcripta, vbi explicat hæc ad conſolationem Apoſtolorum dicta, & quo magis excitarentur fideles ad eis ſubueniendum, eoſque recipiendos. Euthymius. Rupertus. Chryſoſt. Anſel.

Remigius. *Nonnulli verò Prophetam intelligunt Dominum Ieſum Chriſtum, de quo Moyſes dicit: Prophetam vobis ſuſcitabit Deus: quem ſimiliter per iuſtum intelligunt, quia incomparabiliter iuſtus eſt. Qui ergo in nomine iuſti, & Prophetæ ſcilicet Chriſti Prophetam vel iuſtum ſuſcipit, ab eo recipiet remunerationem pro cuius amore recipit,* &c. Remigius.

Hilarius. *Vel prudens plures futuros tantùm Apoſtolatus nomine glorioſos, omni verò vitæ ſuæ opere improbabiles: obſequium quod ipſis ſub religionis opinione delatum eſt, mercede non fraudat, nam licèt & ipſi minimi eſſent, id eſt, peccatorum omnium vltimi, non inania tamen in eos, etiam leuia, ſub frigidæ aquæ nomine deſignata officia, eſſe decernit; non enim peccatis hominis, ſed diſcipuli nomini honor præſtitus eſt,* &c. Vera, & communis ergo eſt ſententia hoſpitalitatem in Apoſtolos his verbis commendari, qui omnibus terrenis exuti, etiam ſine pane miſſi ſunt ad prædicationem: ac proinde nutritos tum fuiſſe alienâ menſâ non propriâ, exceptoſque alieno hoſpitio, ita vt harum rerum proprietas, non ad illos, ſed ad recipientes pertinuerit (alioquin qui ſuo pane ſaturatur, nihil hoſpiti debet:) idque his verbis Chriſtum intendiſſe, quibus tanta hoſpitibus præmia ſpondet, & Apoſtolos opere exercuiſſe ita, vt nihil ſuum etiam tum poſſederint, niſi quis ſuperſtitioſam quæſtionem circa ſolam tunicam mouere velit, cui reſpondeo, nec quenquam eorum ſuæ tunicæ dominum fuiſſe, iuxta vſum fori ciuilis, qui defenſionem, retentionem, repetitionem rerum ſuarum in iudicio Dominis permittit. Porrò Chriſtus in ſuperioribus, dum diſcipulis in monte, ad eum conuenientibus beatitudines Euangelicas proponeret, atque in perfectionis viam hortaretur Matt. 5. ita ſuadet; *Et ei, qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium,* &c. *Qui petit à te, da ei; & volenti mutuari à te: ne auertaris.* Item Lucæ 6. *& ab eo, qui aufert tibi veſtimentum, etiam tunicam noli prohibere: omni autem petenti te, tribue: & qui aufert, quæ tua ſunt, ne repetas,* &c. Ergo ſuadet Chriſtus diſcipulis non contendendum iudicio circa tunicam, non defendere Apoſtoli non fuere Domini tunicæ.

eam, nec repetere ablatam: (qui actus ex vſu forenſi vero domino competunt) ſed petenti dimittendum & pallium, quæ proculdubio ad perfectionem pertinent, ſicut & reliqua, quæ ibi docet Saluator, vt diligere inimicos, beatitudines, &c. Si igitur hæc tanquam ad perfectionem ſpectantia docuit, quibuſnam magis ea ſequi, & exequi congruit, quàm Apoſtolis, & potiſſimum cùm ad prædicationem Euangelij ſunt miſſi, ratione ſtatus & officij, in quibus perfectio eorum maximè elucere debuit? hic namque perfectiſſimus Apoſtolorum ſtatus fuit, & primarium munus euangelizare. Vnde 1. ad Cor. 1. *Non enim miſit me Chriſtus,* inquit Paulus, *baptizare, ſed euangelizare.* Tum igitur maximè eos decuit perfectionis viam, & conſilia exemplo miniſtrare cùm ea verbo docebant. Chryſoſtomus hom. 18. in Matthæum ſuper præfata verba: *Quemadmodum autem primo quidem fatuum fratrem vocare, ac ſine cauſa te prohibuit iraſci, progrediens verò plus aliquid exegit, quando iuſſit dexteram te maxillam parare: ita hic quoque cùm dixiſſet, eſto conſentiens aduerſario tuo: rurſus intendit imperium, non ſolùm enim illa, quæ auferre vult, dari præcepit, ſed maiorem etiam liberalitatem oſtendere iubet. Quid igitur? nudum circuire me iubes? nunquam eſſemus omnino nudi, ſi his præceptis diligenter, & per omnia obtemperaremus, ſed multò pluribus, quàm alij omnes eſſemus circundati: primò quidem nemo tali animo præditos inuaderet: deinde etiamſi eſſet aliquis tam ferox, tamque immitis vt eouſque immanitate procederet: multò tamen plures reperientur, qui ita philoſophantem, non veſtibus ſolùm, ſed (ſi fieri poſſet) ipſis quoque corporibus tegere certarent. Quòd ſi neceſſe eſſet ob talem philoſophiam nudum incedere, nec ſic quoque eſſet pudendum,* &c. Auguſt. in Enchyridio cap. 78. *Vt ad illud redeatur, quod Dominus ait: ſi quis voluerit tunicam tuam tollere, & iudicio tecum contendere, dimitte illi & pallium.* & alio loco. *Qui abſtulerit,* inquit, *tua, noli repetere*, prohibuit itaque ſuos de ſecularibus rebus cum aliis hominibus habere iudicium. Ex qua doctrina dicit Apoſtolus eſſe delictum. Tamen cùm ſicut in Eccleſia talia iudicia finiri inter fratres, fratribus iudicantibus, extra Eccleſiam verò terribiliter vetat: manifeſtum eſt etiam hic, quid ſecundum veniam concedatur infirmis,* &c. Hæc Auguſt. ergo infirmitati dumtaxat, ex mente Auguſtini conceditur iudicio contendere, ſua defendere, & repetere, &c. non autem perfectioni. Vide eundem de conſenſu Euang. lib. 1. cap. 19. Hoc idem docet Apoſtolus 1. ad Cor. 6. *Audet aliquis veſtrum habens negocium aduerſus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud ſanctos?* & infra. *Sed frater cum fratre iudicio contendit: & hoc apud infideles? iam quidem omninò delictum eſt in vobis, quia iudicia habetis inter vos,* &c. Improperat Apoſtolus quod frater cum fratre iudicio contendat, & maximè, ſeu quod grauius eſt apud infideles, & ſubiicit peccatum eſſe, quod apud eos iudicia haberentur. Theodoretus: *Oſtendit,* inquit, *multa abſurda. primum quidem quod qui fidelis eſt iudicio contendit. Hic enim frater ſignificat. Deinde quod cum eo, qui eſt eiuſdem fidei. Quod*

[Margin notes: Chryſoſt. — Prouidētia Dei circa eos qui omnia relinquunt. — Auguſt. — Infirmorū eſt ſua repetere & litigare. — 1. Cor. 6. — Theodoret.]

Quod autem eſt omnium grauiſſimum, quod infideli etiam iudice citatur. Ex quibus conſequitur intentum, nimirum Apoſtolos ſecundùm vſum iuris, & fori non poſſediſſe etiam tunicam, nec eis licuiſſe tollenti eam prohibere, ſtante ſui ſtatus perfectione, aut repetere, aut in iudicio
pro ea certare, quod de reliquis aſtruit etiam rebus Auguſtinus loco Auguſt.
citato de conſenſu Euangeliſt. *Sed de tunica, & veſtimento*, inquit, *quod dictum eſt, non in eis ſolis, ſed in omnibus faciendum, quæ aliquo iure temporaliter noſtra eſſe dicimus. Si enim de neceſſariis hoc imperatum eſt, quantò magis ſuperflua contemnere conuenit, &c. contendi poteſt ita vt à noſtro iure in ius illius tranſeant qui contendit, vel pro quo con-*
tendit, ſicuti eſt veſtis, domus, &c. Vide Bedam, & alios. Concludo Concluſio.
igitur ex dictis quaſi inductione intentum, Apoſtolos, ſcilicet in hac miſſione nihil habuiſſe in communi, aut etiam in particulari, iure ſtrictè, & propriè ſumpto.

Rectè modò quærendum erit de ipſo Saluatore, an eundem tum Chriſtus eandem
vitæ ſtatum tenuerit. Ita colligitur indubiè ex Matt. cap. 11. in initio. vitam ſecutus.
Et factum eſt cum conſummaſſet Ieſus, præcipiens duodecim diſcipulis
ſuis, tranſiit inde, vt doceret, & prædicaret in ciuitatibus eorum. Vbi Matth. c. 11.
Gloſſa. *Fecit quod docuit prædicans Iudæis, non Samaritanis, non Genti-* Gloſſa.
bus, vt ſecundum promiſſa prius offeratur Iudæis ſalutis occaſio, &c. Sicut ergo docuit, ita fecit, & ſicut prædicationis laborem aſſumpſit, ita etiam
obſeruauit, quæ prædicatoribus præſcripſit. Rabanus; *Poſtquam diſci-* Rabanus.
pulos ſuos Dominus ad prædicandum mittens, præmiſſis verbis eos inſtruxit, ipſe etiam, quod docuerat verbis, factis impleuit, offerens primam prædicationem Iudæis, & hoc eſt quod dicitur; & factũ eſt cùm conſummaſſet Ieſus.
Item Actorum 1. dicit Lucas, *quòd Ieſus cœpit facere, & docere, per hoc,* Act. 1.
inquit Gloſſa, *Chriſtus dedit formam Doctoribus & prædicatoribus Euangelij, quam docendo & prædicando debent ſequi. Scilicet vt prius opera virtutum faciant, & tunc aliis facienda proponant.* &c. Et rectè quidem: nam Matt. 5. ipſe affirmat, *qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Non eſt igitur præſumendum Chriſtum aliter vixiſſe, quàm docuerit, cuius rei aliæ non deſunt probationes, vt ex ſequentibus erit clarum.

Secundus locus.

Secundus locus veritatem confirmans eſt ille Matthæi 8. & Lucæ 9. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet.* Ita reſpondit Chriſtus Scribæ dicenti; *Magiſter ſequar te quocumque ieris.* Licèt hunc locum Auguſtinus
alibi metaphoricè explicet, per eum deſignans peruerſitatem, frau- Chriſtus
dulentiam, & vanitatem illius Scribæ: tamen proprius ſenſus eſt, non habuit
Chriſtum hiſce verbis paupertatem ſuam, atque inopiam demon- propriam
ſtraſſe: hic enim Scriba propter lucrum eum ſequi intendebat, domum.
non ex charitate. Chriſtus verò eidem obiecit ſuam paupertatem.

Hieron. Hieronym. *Oſtenditur*, inquit, *& ob hoc Scribam repudiatum, quod ſignorum videns magnitudinem ſequi voluerit ſaluatorem, vt lucra ex operum miraculis quæreret; Talis ergo fides iuxta ſententiam Domini condemnatur, & dicitur ei, quid me propter diuitias & ſeculi lucra cupis ſequi, cum tantæ ſim paupertatis, vt ne hoſpitiolum quidem habeam, vt non meo vtar tecto?*

Chryſoſt. Chryſoſtom. homil. 28. *Quæſtui ſeruiens ille cùm propter multitudinem ſignorum multos vndique affluere videret, putauit Dominum ex talibus miraculis ditari, & ideo ſequi cupiebat. Sed vnde id nobis patebit inquies? à reſponſione Chriſti, quæ non ad ſonum verborum, ſed ad ſenſum interrogantis accommodata est. Quid enim*, ait, *pecunias credis colligam rum, ſi me ſequeris? nonne vides, nec diuerſorium mihi eſſe, nec tantum quidem quantum auibus? Vulpes enim*, inquit, *foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet.* Et infra. *Quod quàm modeſtiſſimè protulit, inde patet, quoniam non dixit habere ſe quidem, ſed deſpicere, ſed nihil ſe prorſus habere*, &c. Beda in Lucæ 9. Euthymius, Theophylactus, Gloſſa interl. Lyranus, Abulenſis, Caietanus, Carthuſianus in eodem conueniunt ſpe ſcilicet lucri hunc Scribam ambiiſſe ſequelam Chriſti. Anſelmus, & D.Thomas, Gloſſa vtraque, tam metaphoricam, quàm propriam interpretationem ponunt, imò & ipſe Hieronymus loco citato, verùm illa non derogat proprietati; Chriſti enim verba denotant eius paupertatem, quam tantam eſſe affirmat, vt ne hoſpitium, quod etiam vulpibus, & auibus conceditur, habuerit, ex hoc inferens aliarum rerum carentiam, fallacémque ſpem illius Scribæ redarguens, dum eum propoſitâ terruerit paupertate, vt præter citatos notat Maldonatus, Barradius, Titelmannus. Hi duo autem interpretantur Scribam illum non ſpe etiam lucri, aut ex vana gloria Chriſtum ſequi voluiſſe, ſed ſyncero animo,& reſponſum Chriſti ex fine probationis datum, vt qui expoſito diſcipulatus tanto onere, & difficultate extremæ paupertatis rem arduam oſtenderit. A minori igitur ad magis procedit, & ex negatione hoſpitij (quod commune eſt vulpibus, & auibus poſſidere) remouet cætera, vt rectè declarant iam citati, ſpeciatim Hieronymus, & Chryſoſtomus. Neque hic licet interpretari Chriſtum loqui de particulari paupertate, & non de communi, quia loquebatur, vt magiſter, & perſona publica, ad quam rerum, ſi quæ erat, diſpenſatio ſpectabat, & ad eum loquebatur, qui admitti diſcipulus contendebat, eique proinde vitæ communis paupertatem expoſuit, quæ tanta fuit, vt in ea nulla foret auaro ſpes lucri, cùm nec hoſpitium proprium haberet conferendum ſuis ſequacibus.

Beda. Euthym. Theoph. Gloſſ. interl. Lyranus. Abulenſis. Caietan. Carthuſ. Anſelm. D. Thom. Gloſſ. vtraque. Hieron. Maldon. Barrad. Titelm.

Obiectio. Sed obiicies hoc ipſo capite, quod præcedit, *Et cùm veniſſet Ieſus in domum Petri, vidit ſocrum*, &c. Ergo Petrus habuit domum, & ſic non debet Chriſti ſententia intelligi de paupertate in communi, cùm Petrus, qui vnus fuit ex diſcipulis, habuerit proprium. Reſpondeo argumenti eandem vim eſſe etiam contra paupertatem in particulari. Præterea eam dici Petri domum, quia eius fuit, licèt eam reliquerit vocatus à Chriſto. Familiaris enim ſtylus eſt, etiam ſcripturæ, rem nominari

Reſponſio.

ab authore, vel poſſeſſore antiquo, licèt ad eos tum non pertineat. Ita paſſim vt templum Salomonis, domus aut ciuitas Dauid, gladius Goliæ, huiuſmodi locutiones occurrunt, vt nihil frequentius. Eodem igitur modo domus quæ fuit olim Petri, nunc eius dicitur, poſtquam eidem abrenunciauit, vocatus ad altiorem ſtatum à Chriſto, nempe Apoſtolatus. Vt hoc autem manifeſtum fiat, recolendum erit, licèt diuerſæ fuerint Petri vocationes (quæ deſcribuntur Ioannis 1. Lucæ 5. Matthæi 4. Marci 1.) eam vltimam fuiſſe, quam deſcribit Matthæus, & Marcus (ſiue fuerit diuerſa ab ea, quam Lucas docuerit, ſiue eadem, vt contendit Ianſenius, & Buiſonius) vt poſt Auguſt. lib. 2. de conſenſ. Euang. cap. 17. tradit Beda, Haymo, Gerſon, in ſua concordia, Carthuſianus, Hugo, Cardinalis, Barradius, Chryſoſtomus homilia 14. in Matthæum, id expreſsè docet Anſelmus ſuper cap. 4. Matth. Ianſenius, Caietanus, Rupertus, Hilarius, Sanctus Thomas, & eſt communis, quam tenet Lyranus, & Gloſſæ, & patet ex littera, *Venite*, inquit, *poſt me:* vbi manifeſtatur imperium. Eos enim tum congruum erat vocare coadiutores prædicationis & mirabilium operum teſtes, cùm Chriſtus incepit occiſo Ioanne prædicare, Author imperfecti operis apud Chryſoſtomum. *Priuſquam aliquid dicat, aut faciat vocat Apoſtolos, vt nihil eos lateat, nec verborum Chriſti, nec operum, vt poſtmodum fiducialiter dicere poſſint, non poſſumus enim nos, quæ vidimus & audiuimus, non loqui*, &c.

Diuerſa Petri vocatio, & vltima. Auguſt. Beda. Haymo. Gerſon. Carthuſ. Hugo. Cardin. Barrad. Chryſoſt. Anſelmus. Ianſen. Caietan. Rupertus. Hilarius. D. Thom. Lyranus. Gloſſa.

Petrus igitur vocatus eſt vltimâ vocatione & ſequutus eſt Chriſtum antequam hoc contingeret, quod cap. 8. narrat Matth. nam cap. 4. præmittitur narratio vocationis, ſequentibus verò vſque ad octauum ſubiicitur inſtructio diſcipulorum, & ſermo Domini in monte, cap. autem 8. dicitur; *Cùm autem deſcendiſſet Ieſus de monte*, &c. Et mox refertur curatio leproſi, introitus in Capharnaum, ſanitas reſtituta ſeruo Centurionis, ac tandem Chriſtum intraſſe in domum Petri, & curaſſe eius ſocrum, quæ mox ſurgens eiſdem miniſtrabat.

Congruentia vocationis.

Sed Petrus omnia reliquit vocatus hac vltimâ vocatione, & ſecutus Chriſtum, ſicuti Matth. 19. ipſe teſtatur: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Loquitur enim ad Chriſti mentem, & alludit ad ea verba præcedentia, quibus iuueni dictum eſt; *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni, & ſequere me*, &c. igitur ſicut tunc inſeparabiliter ſecutus eſt Chriſtum, ita etiam omnia reliquit, nam hoc ad perfectam Chriſti ſequelam ſpectat.

Reliquit omnia Petrus in vltima vocatione.

Perpende verò, inquit Chryſoſtomus (homil. 14. in Matth.) *& fidem, & obedientiam vocatorum, ſiquidem in medio ipſius operis conſtituti (ſcitis autem quàm auida res ſit piſcatio) cùm illum audiſſent iubentem, nihil diſtulerunt, nihil omninò cunctati ſunt: non dixerunt, reuertamur domum, loquemur propinquis: ſed cuncta illicò relinquentes, fecerunt quod Eliſæus quoque ſub Elia legitur impleſſe*, &c.

Chryſoſt.

Anſelmus in Matth. 4. *Parum habebant, ſed illud parum reliquerunt; quia in re innuitur, quod plus affectus, quàm cenſus quæritur derelictio.* Et

Anſelmus.

paulo ante. *Sed hæc vocatio fuit vltima, quam refert Matthæus, & tunc dereliquerunt & res, & vxores, & patres. Itaque nunquam amplius redierunt ad propria.* &c.

Beda. Beda. *Forſitan dicet aliquis, quid vterque dimiſit piſcator, qui penè nihil habuit: ſed penſare debemus, quia multum reliquit, qui deſideria habendi recuſauit.*

Gregor. Gregorius homil. 5. in Euangelia. *Sed fortaſsè aliquis tacitus ſibi cogitationibus dicat: ad vocem Dominicam vterque iſte piſcator quid aut quantum dimiſit, qui penè nihil habuit? Sed hac in re fratres chariſſimi affectum potius penſare debemus, quàm cenſum. Multum reliquit qui ſibi nihil retinuit: multum reliquit, qui quantumlibet parum, totum deſeruit*, &c. *multum ergo Petrus, & Andreas dimiſit, quando vterque etiam deſideria habendi dereliquit; multum dimiſit, qui cum re poſſeſſa etiam concupiſcentiis renunciauit. A ſequentibus ergo tanta dimiſſa ſunt, quanta à non ſequentibus concupiſci potuerunt*, &c. Vide ibidem alia plura.

Hilarius. Hilarius. *Eis igitur artem, & patriam, & domum relinquentibus docemur Chriſtum ſecuturi, & ſæcularis vitæ ſollicitudine, & paternæ domus conſuetudine non teneri.* Ex his igitur colligitur dictam domum licèt

Maldon. Barrad. Petri dicatur tum illius non fuiſſe, ſecundùm proprietatem, cùm omnia reliquerit, vt benè aduertit Maldonatus, & Barradius: vero ſimilius autem eam fuiſſe patris Petri, quia Marci 1. dicitur Petri, & Andreæ, vel fuerit vxoris Petri, & familiæ: cuiuſcumque autem fuerit,

Reiicitur Caiet. non fuit Petri. Vnde reiicienda Caietani hîc oppoſitum docentis gloſſa; licèt ſuper Matth. 19. videatur ſui immemor, dicens, Petrum omnia reliquiſſe, quod ad nullum aliud tempus magis congruè refertur, quàm ad hoc, quo inſeparabiliter Chriſto adhæſit, vitæque eius imitator ad perfectionem tendit; perfecta enim Chriſti ſequela, ad quam vocatus eſt Petrus, id inuoluit, vt patet Matth. 19. vbi requirenti viam perfectionis talis abdicatio indicitur. *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*, &c. Idem in propoſito inſinuatur, nam dicitur continuò *relictis retibus ſecuti ſunt eum*; & de filiis Zebedæi, *Iſti autem ſtatim relictis retibus, & patre, ſecuti ſunt eum.* Quam relictionem pro virtute interpretantur Patres, & pro vltima abdicatione: nec præſumendum eſt Petrum ex parte tantùm ſuis rebus renunciaſſe.

Act. 5. Ita porrò Spiritui Sancto mentitus, eius quam ipſe in Ananiam, & Saphyram damnationem tulit, meritò reus ageretur.

Sed & hoc amplius ſimul cum principali argumento confirmatur ex ſequentibus verbis cap. 8. apud Matth. vbi diſcipulo à ſe vocato prohibuit Chriſtus etiam patris defuncti curam agere, aut eum ad ſepulturam vſque proſequi, vt omnem terrenarum rerum curam abſcinderet, earum etiam, quæ pietatis videbantur. Vide Ambroſ. Verùm clariùs ex Luca intentum colligo. Is cap. 9. duobus prædictis, quorum alter ſe ingerebat fraudulenter in Chriſti diſciplinam, alter ab ipſo Chriſto vocatus eſt, tertium adiungit his verbis; *Et ait alter: Sequar te Domine, ſed permitte mihi primum renunciare his, quæ domi ſunt. At*

ad

ad illum Ieſus : nemo mittens manum ſuam ad aratrum & reſpiciens retrò, aptus eſt regno. Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, Cyrillus, aliter legunt videlicet ; *renunciare iis , qui domi ſunt*, id eſt, domeſticis; quibus verſio Syriaca concordat : ita enim habet : *Sed permitte mihi prius, vt proficiſcar valedicturus filiis domus meæ, & veniam*, &c. Græca lectio ambigua eſt , πρῶτον δὲ ἐπίτρεψόν μοι ἀποτάξασθαι τοῖς εἰς τὸν οἶκόν μου, articulus enim τοῖς tam neutraliter conſtrui poteſt , quàm maſculinè, ac proinde interpretari, *his qui*, vt dicti Patres ; vel, *his quæ*, vt correcta Vulgata legit, quam ſequimur. Hæc porrò lectio priorem ſenſu comprehendit : nam & qui rebus ſuis , renunciat etiam domeſticis , vel iis, qui domi ſunt , imò & prior infert poſteriorem : nam qui domeſticis etiam renunciat , renunciat rebus ſuis : hinc Auguſtinus de conſenſu Euangeliſtarum lib. 2. cap. 23. vtitur hac lectione *(iis*, inquit, *quæ domi ſunt)* licèt alteram ſequatur, Serm. 7. de verb. Domin. Igitur Chriſti per imitationem ſequela importabat ex vſu, & praxi renunciationem ; alioquin non fuit ratio , cur hic dilationem poſceret donec rebus ſuis renunciaret ; ſi earum poſſeſſio cum perfectâ Chriſti ſequelâ cohæreret, vel ſi Chriſtus in hanc vltimam ſocietatem prædicandi Euangelij eos admittebat , qui adhuc ſuis rebus gauderent , & ſolicitudini terrenæ poſſeſſionis implicarentur. Hinc ergo reſponſio Chriſti , *nemo mittens manum ad aratrum , & reſpiciens retrò aptus eſt regno Dei.* Ei enim prohibet regreſſum etiam cauſa diſtribuendæ poſſeſſionis , ne hoc ipſum cunctationem , aut impedimentum ingerat melioris propoſiti. Vnde Auguſtinus loco citato de verb. Domin. *Vocat*, inquit, *te Oriens , & tu attendis Occidentem.* Non quod virtutis non fuerit ſua pauperibus diſtribuere , dum Chriſtus id alibi ſuadeat ; ſed quod meliùs , ſimul cum ipſis bonis contemnenda , & derelinquenda erat ipſa diſtributio , oblatâ ſocietate Chriſti ; bonum erat ſepelire patrem defunctum , vel vt alij volunt , curam iam morituri gerere , ſed Chriſtus intuitu maioris boni id non permiſit ; Bonam partem elegit Martha : ſed nimiâ ſolicitudine turbatam : ac proinde optima dicitur electio Mariæ : ita in propoſito ſolicitudo diſtributionis, non abdicatio bonorum improbatur, ne quod melius eſt, vel ad tempus ob aliud minus, licèt bonum deſeratur ; neque hoc mirum videri debet ei , qui finem mediis præferendum ritè indicabit ; bona noſtra pauperibus diſtribuimus ; Chriſtum in membris paſcimus, & quaſi amicos ex mammona iniquitatis facientes, & ſubornantes, ingreſſum hac viâ paramus ad maiorem Chriſti conſuetudinem, & familiariùs eo vtendum. Quantum porrò differat miniſterium noſtrum à familiaritate Chriſti , ipſe iudex eſt , qui litem Marthæ cum Maria ſorore hac ſententiâ diremit , vt optimam partem Mariæ adiudicarit, quæ paſcebatur, & adhærebat : bonam verò Marthæ, quæ paſcebat non pauperes modò , ſed ipſum Chriſtum in carne ; ſolicita proinde circa frequens miniſterium in bonis quidem verſabatur, ad optima cum ſorore non conſcendit, nimio ſolicitudinis pondere retardata.

Serm. 7. de verb. Domini.

Varia lectio.

August.

Matth. 19.

Melius bonum præferendum.

Confirmatur ſecundò. ex Matth. 5. Lucæ 6. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Ita Matth. *Beati pauperes , quia veſtrum*

Beatitudo paupertatis.

veſtrum eſt regnum Dei. Ita Luc. Siue hæc concio diuerſis temporibus habita ſit, atque etiam diuerſis locis, non refert, cùm ad diſcipulos verba vtrobique dirigantur, idque expreſſe ex ſacro textu colligatur. *Videns autem Ieſus turbas aſcendit in montem, & cùm ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, & aperiens os ſuum docebat eos, dicens: Beati pauperes,* &c. Ita Matth. Lucas autem ita refert: *Et ipſe eleuatis oculis in diſcipulos ſuos dicebat: Beati pauperes, quia veſtrum eſt regnum Dei.* Hæc autem concio habita eſt ad diſcipulos poſt eorum vocationem vltimam, atque in initio inſtructionis, vterque Euangeliſta deſcribit paupertatem, cuius rationem aſſignat Ambroſius; *Primam*, inquit, *benedictionem hanc vterque Euangeliſta poſuit, ordine enim prima eſt, & parens quædam generatricque virtutum: quia qui contempſerit ſæcularia, ipſe merebitur ſempiterna,* &c. Per hanc beatitudinem ſpiritus licèt multi etiam Patres intelligant, commendari humilitatem, vt Hieronymus, Auguſtinus, lib. 1. de ſerm. Domini in monte, Gregorius lib. 26. mor. cap. 10. Chryſoſtomus, Cyrillus, Theophylactus, Theodor. ad Rom. 11. Euthymius; id tamen ita intelligendum eſt, vt rerum abdicatio non excludatur, quam litteræ proprietas intelligendam primò offert, ſed comitem habeat humilitatem, vt gratum Deo obſequium præſtet, qui pauperem ſuperbum odio habet, Eccleſiaſtici 25. *Tres ſpecies odiuit anima mea, & aggrauor valde anima illorum, pauperem ſuperbum,* &c. Igitur litteraliter per paupertatem ſpiritus hîc intelligitur voluntaria rerum carentia, atque abdicatio propter ſtudium ſequelæ Chriſti, & acquirendæ perfectionis: hanc porrò interpretationem Græca dictio requirit, quæ apud vtrumque Euangeliſtam legitur, μακάριοι οἱ πτωχοὶ, id eſt, beati mendici, πτωχὸς enim mendicus dicitur, πτωχεία mendicitas, πτωχεύω mendicus fio. Hinc Matth. 19. δὸς πτωχοῖς, id eſt, *da pauperibus.* Item 2. ad Corinth. 8. ἐπτώχευσε, id eſt, *egenus factus eſt*; vt legit vulgata cum Hieronym. & ibidem, *vt illius inopia*; τῇ ἐκείνου πτωχείᾳ. Item Luc. 16. *Et erat quidam mendicus nomine Lazarus,* πτωχὸς δέ τις ἦν ὀνόματι λάζαρος, & inferius; ἐγένετο δὲ ἀποθανεῖν τὸν πτωχὸν, *factum eſt autem, vt moreretur mendicus,* &c. à quo etiam alia ratione huius interpretationis eſt requirenda veritas: Lucas enim quaſi per antitheſim ſingulis virtutibus ſua vitia opponit. *Beati*, inquit, *pauperes*, &c. *Beati qui nunc eſuritis*, &c. *Beati qui nunc fletis*, &c. *Beati eritis cùm vos oderint homines*, &c. *Verumtamen væ vobis diuitibus*, &c. *Væ vobis qui ſaturati eſtis*, &c. *Væ vobis, qui ridetis*, &c. *Væ cùm benedixerint vobis homines*, &c. Sicut igitur diuitias opponit primæ beatitudini ſeu virtuti, ſequitur proprietatem ſeruandam eſſe litteræ, atque per illam particulam (*pauperes*) importari rerum inopiam, quæ dumtaxat opponitur diuitiis, & non humilitatem cui opponitur ſuperbia. Verſio proinde Syriaca habet, *O vos beati egeni.* Hanc verò interpretationem præter Ambroſium, tenet Tertullianus aduerſus Marcionem lib. 4. cap. 14. *Beati mendici (ſic enim exigit interpretatio quod in Græco eſt) quoniam illorum eſt regnum cœlorum,* &c. Item Baſilius in regulis breuioribus interrog. 205. *Hi*, inquit, *ſunt mendici ſpiritu, qui non aliam vllam ob cauſam*

Ambroſ. Paupertas genitrix virtutum.

Eccleſ. 25.

Vera interpretatio probatur ex Luca.

Ambroſ. Tertull. Baſilius.

cauſam ad mendicitatem deuenerunt, quàm ob doctrinam Domini, qui dixit: Vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.

Chromatius: *Paupertas*, inquit, *eſt ſpiritalis, eorum ſcilicet hominum, qui ſpiritu, & voluntate pauperes ſe faciunt propter Deum renunciando ſæculi bonis ſubſtantiam ſuam vltrò erogando*, &c. Chromat.

Nyſſenus: *Vis*, inquit, *intelligere, quis pauper ſpiritu ſit? Qui corporalem opulentiam, animæ diuitijs permutat, qui propter ſpiritum egenus eſt*, &c. Nyſſenus.

Anſelmus: *Beati pauperes ſpiritu*, id eſt, voluntate, non coactione. Et inferius. *Pauperibus promittitur regnum cœlorum*, &c. *Qui abdicant terrena, eorum eſt iam regnum cœlorum in ſpe*, &c. Anſelmus.

Beda. *Beati pauperes ſpiritu, id eſt, voluntariâ paupertate humiles.* & Lucæ 6. *Beati itaque pauperes. Non vtique omnes, ſed illi tantummodò, qui omnem præſentis ſæculi, tametſi altum videatur, pro nihilo culmen ducunt*, &c. Beda.

Leo Papa homilia in feſto omnium Sanctorum. *Beata igitur illa paupertas, quæ rerum temporalium amore non capitur, nec mundi opibus augeri appetit, ſed cœleſtibus bonis diteſcere concupiſcit. Huius nobis magnanimæ paupertatis exemplum primi poſt Dominum Apoſtoli præbuerant, qui omnia ſua ſine differentia relinquentes ad vocem cœleſtis magiſtri à captura piſcium in piſcatores hominum alacri conuerſione mutati ſunt*, &c. Leo Papa.

Bernardus ſermone 1. in eodem feſto. *Quid enim tam abſconditum, quàm paupertatem eſſe beatam? Attamen veritas loquitur, quæ nec falli, nec fallere poteſt: & ipſa eſt, quæ dicit, quoniam beati pauperes ſpiritu*, &c. Vide quæ ſequuntur. Bernard.

Petrus Damianus homil. in feſto omnium Sanctorum. *Hoc eſt, quod ille pauper, & vnicus in hodierna Sancti Euangelij lectione pauperibus, quos de mundi paupertate vocauerat, ait, Beati pauperes ſpiritu*, &c. *Sis pauper ſpiritu, nec putes hunc primum gradum leuiter attingendum, cum multæ ſolicitudinis ſit mundum, & mundana relinquere*, &c. His adde Caietanum, Lyránum, Barradium, Maldonatum, Stellam, ac denique D. Thomam, Bonauenturam, & alios plures, qui dictionis inſiſtunt propriæ ſignificationi, & voluntariam paupertatem prædicari hiſce locis aſtruunt, non verò humilitatem. Quapropter quod Matthæus adiicit videlicet, *pauperes ſpiritu*, explicationis gratiâ id factum, vt inuoluntaria excludatur paupertas. Petrus Damianus.

Chryſoſtomus: *Spiritum*, inquit, *hic poſuit Dominus pro anima, & voluntate*, &c. id eſt, qui non coactione, ſed voluntate propter Chriſtum fuerint ſponte pauperes. Concordant Baſilius, Chromatius, Nyſſenus, Bernardus; humilitas igitur licèt ad meritum requiratur paupertatis, non hîc intenditur: ſed potius reducenda eſt ad ſecundam beatitudinem videlicet, *Beati mites*, &c. Illa enim comes ſemper eſt manſuetudinis, & pro iiſdem ſæpius in ſacro eloquio ſumuntur, vt Prouerb. 16. *Melius eſt humiliari cum mitibus quam diuidere ſpolia cum ſuperbis*, &c. Quo loco mites, & ſuperbi opponuntur, & humiliari ſeu Chryſoſt.

humilitatis actus ſine differentia mitibus appropriatur. Concludo igitur hæc verba ad diſcipulos fuiſſe directa, iis commendari voluntariam paupertatem, imò & in ipſis deſignari, vt apertè inſinuat Lucas: *Et ipſe*, inquit, *eleuatis oculis in diſcipulos ſuos dicebat, beati pauperes, quia veſtrum eſt regnum Dei*, &c. *Veſtrum*, inquit, *eſt regnum*, & quorum nimirum diſcipulorum, quos oculis deſignabat, licet in diſcipulis cæteros inſtruebat. Hanc igitur paupertatem tum ſunt profeſſi,& maximè Petrus, & filij Zebedæi, qui anteà ſunt vocati,& tum,& deinceps Chriſto adhæſerunt inſeparabili ſocietate. Nullibi enim hæc paupertas ab eodem tantopere commendata potuit,& debuit melius obſeruari, quàm in eo Collegio, quod in virtutis ac doctrinæ exemplar omnibus propoſuit.

Matth. 9. Conuerſio Matthæi. Tertiò tandem eadem veritas confirmatur ex conuerſione Matthæi quam ipſe ſic deſcribit cap. 9. *Et cùm tranſiret inde Ieſus, vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi, ſequere me, & ſurgens*
Marc. 2. *ſecutus eſt eum*, &c. Marci etiam 2. *Et cùm præteriret, vidit Leui Alphei ſedentem ad telonium, & ait illi: ſequere me, & ſurgens ſecutus eſt eum*, &c.
Luc. 5. Item Lucæ 5. *Et poſt hæc exiit, & vidit publicanum nomine Leui ſedentem ad telonium, & ait illi: ſequere me, & relictis omnibus ſurgens ſecutus eſt eum*, &c. *Relictis omnibus*, id eſt, negociis, inquit Caietanus. Sed aliter
Gloſſa. intelligunt Patres. Gloſſa, *Matthæus reliquit propria, qui rapiebat aliena, nec ſolùm lucra reliquit vectigalium, ſed & pericula contempſit, quæ poterant venire à Principibus ſæculi, quia rationes vectigalium incompoſitas reliquerit. Et quia in nullo prorſus huius vitæ reſpectum vel cogitationem ſibi reſeruauit, dominicorum talentorum fidelis diſpenſator eſſe meruit.*

Chryſoſt. Chryſoſtomus homil. 31. in Matthæum. *Vidiſti virtutem vocantis, diſce nunc vocati obedientiam, non enim repugnauit, nec ambigendo ſecum dixit: putáſne publicanum, peccatorémve me rectè, atque abſque fraude vocauerit*, &c. *Sed confeſtim ita obtemperauit, vt nec domum quidem ad communicandum rem cum ſuis profectus ſit, verùm ſicut piſcatores prius retibus cum nauigio, atque patre relictis: ſic ille publico officio, & quæſtu relicto ſequebatur, ſic præparatum animum atque premeditatum oſtendens, ſic ab omni ſæculari negocio ſeipſum abrumpens*, &c.

Ambroſ. Ambroſius in Luc. cap. 5. *Itaque ille prius auara de mercedibus, dura de laboribus, periculiſque nautarum emolumenta conuerrens verbo vocatus propria derelinquit qui rapiebat aliena*, &c.

Beda. Beda ibidem ſuper illa, *Relictis omnibus*, &c. *Intelligens Matthæus quid ſit veraciter Chriſtum ſequi, relictis omnibus ſequitur; ſequi enim imitari eſt, ideóque, vt pauperem Chriſtum, non tam greſſu, quàm affectu conſectari potuiſſet, relinquit propria, qui rapere ſolebat aliena, perfectámque nobis abrenunciationis ſæculi formam tribuens, non ſolùm lucra reliquit vectigalium, ſed & periculum contempſit quod euenire poſſet à Principibus ſæculi, quia vectigalium rationes imperfectas, atque incompoſitas reliquerit*, &c.

Baſilius. Baſilius in quæſt. moral. diffuſius explicatis reſp. ad quæſt. 8. *Initium autem ab alienatione externarum ſumit, velut poſſeſſionum, vanæ gloriæ,*

gloria, conſuetudinis vita, affectus erga inutilia: quemadmodum etiam ſancti diſcipuli Domini oſtenderunt nobis. Iacobus quidem & Ioannes relicto patre ſuo Zebedæo, & ipſo nauigio, quod omnem vitæ ſumptum ſuppeditabat. Matthæus autem ab ipſa publicanorum menſa exurgens, & Dominum ſequens, non ſolùm lucella officij publicanorum relinquens, ſed etiam pericula contemnens quæ imminebant ipſi, & cognatis eius ex poteſtate, quod imperfectas vectigalis rationes relinqueret, &c.

Theophylact. in Marc. *Sedebat enim in telonio, vt conſuetudinis eſt, aut aliquos impetens, aut verba vendens, aut aliquid huiuſmodi faciens, quibus in ſuis manſionibus telonarij vtuntur, qui de hoc ſtatu ſic ſubleuatus eſt, vt relinquens omnia Chriſtum ſequeretur*, &c. Idem tenet Anſelmus, D.Thomas, Euthymius, S. Bonauentura, Barradius, & confirmari poteſt ex eo, quod Matthæus inter Apoſtolos numeratus, ſermoni Domini in monte adſuit, quando dixit, *Beati pauperes*, & miſſus fuerit inter reliquos ad prædicandum ſine auro, argento, pera, &c. nec vnquam aliàs à Chriſto deſiiſſe legatur. Ad rationem Caietani facilis eſt reſponſio: nam taliter prouidit Chriſtus vocato Matthæo, vt potuerit diſponere de rebus ſuis, (vt aſſerit Abulenſis) tum verò Chriſtum hoſpitio in ſua domo potuit excipere, quam propoſito, & voto abdicauit ob Chriſti ſequelam, nec deinceps eâ vſus eſt. Ex dictis igitur colligitur ſequi Chriſtum vocantem idem eſſe, ac renunciare ſuis rebus ex conſuetudine, & ſtylo Euangelij, vt ſcribit Beda, & probatum eſt quoad vocationes illas, quæ in ſacro textu ſunt expreſſæ, vt Petri, & Andreæ filiorum Zebedæi, illius diſcipuli cuius nomen reticetur. Idémque patet ex conſilio dato iuueni, de quo Matth. 19. Idem de ſeipſo inſinuat Paulus ad Galat. 1. *Cum autem placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam, vt reuelaret filium ſuum in me, & euangelizarem illum gentibus: continuò non acquieui carni, & ſanguini*, &c. *Sed abij in Arabiam, & iterum reuerſus ſum Damaſcum*, &c. quibus verbis indicat ſe carni, & ſanguini non adhæſiſſe, ſed vocationi; ac proinde deſeruiſſe carnem & ſanguinem, & quæ ab iis expectanda erant. Item ad Philipp. 3. *Verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam*, &c. Quod de contemptu temporalium intelligit Chryſoſtomus, & Theophylactus, quos ſequitur Cornelius à Lapide, & patet ex ipſo textu, *Omnia*, inquit, *detrimentum feci*.

Theoph.

Galat. 1.

Ad Phil. 3.

Tertius locus.

Tertius locus ad propoſitum clarus eſt, & manifeſtus; nimirum illud Petri: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*, &c. Matth. 19. Marc. 10. Luc. 18. Hic textus tam clarus eſt, vt ex eo ſolo determinationem Nicolai Papæ euincere quis poſſet. Occaſionem huius ſiue reſponſionis ſiue interrogationis fuit conſilium datum à Chriſto adoleſcenti; *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pau-*

peribus, & habebis theſaurum in cœlo; & veni ſequere me, &c. Hinc igitur Petrus de præmio ſolicitus fit, dum oblatum videt iuueni theſaurum in cœlo, ac proinde de ſuo, & diſcipulorum præmio quærit confidenter, cùm omnia impleuerint quæ iuueni facienda ſuaſit Chriſtus. Ita interpretatur communis cum Hilario, Hieronymo, Origene, Chryſoſtomo. Aliud tamen motiuum ſignificat Euthymius, Ianſenius, Caietanus, nimirum quia licèt Petrus, & reliqui Apoſtoli ſua reliquerint omnia: non vendidiſſe tamen aut diſtribuiſſe pauperibus, ideóque tanquam minus fecerint, quàm iuueni Chriſtus ſuaſit, de præmio ſolicitos eſſe. Prior ſententia verior & communior: licèt vtraque veritatem litteralis ſenſus in hoc teneat; & ſimul conſentiant omnes Petrum & Apoſtolos omnia ſua reliquiſſe, nihilque ſuum retinuiſſe. Conſule omnes interpretes; ſermonem autem eſſe de ea paupertate, quæ in mendicitate conſiſtit, & ex Euangelio viuere iubetur, ex dictis iam ſatis conſtat: nam illa eſt, quam Chriſti ſequela importat. Vnde Marcus ait, *Nemo eſt, qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, & propter Euangelium, qui non accipiet centies tantum nunc in tempore hoc, domos & fratres, & ſorores, & matres, & filios, & agros cum perſecutionibus, & in ſaculo futuro vitam æternam*, &c. *Propter Euangelium*, inquit, id eſt, cauſa eius prædicandi, vt interpretatur Hieronymus, vel vt alij volunt, obſeruandi eius conſilia, quale eſt illud, vendere omnia, & dare pauperibus, & ſequi Chriſtum: qualiter autem hæc promiſſio in hoc ſæculo ſit adimplenda (omiſſa hæreſi Chyliaſtarum, ſeu Millenariorum) reſpondemus cum Chryſoſtomo homil. 65. in Matth. *Cæteris autem vniuerſis æternam ibi vitam, & centuplum hic pollicetur, & ſi reliquis, multò magis Apoſtolis, quibus promiſſa contigiſſe in hoc ſæculo non ignoramus: qui cùm arundinem, & viliſſima retia reliquerint, omnia fidelium, qui prædicatione ſuâ crediderunt, bona habebant, pretia domorum, & agrorum, imò verò eos quoque ipſos credentes in poteſtate habuerunt*, &c. Hieronymus verò explicat in bonis ſpiritualibus id contingere, ſed apud S. Thomam in Marc. 10. in hæc verba (quæ mihi apud illum videre non contigit, ſufficit quod ſint ipſius Doctoris Angelici, & citra dubitationem vera) adducitur; *Vxor enim in domo circa viri cibum negociatur, & veſtimenta. Vide igitur hoc & in Apoſtolis. Multæ enim mulieres ſolicitæ erant de eorum cibo, & veſtimentis, & miniſtrabant eis. Similiter & patres, & matres plurimas Apoſtoli habuerunt, ſcilicet eos qui ipſos diligebant, ſed & Petrus vnam relinquens domum, poſtea omnium diſcipulorum domos habebat*, &c. Reliquerunt igitur omnia ſua Apoſtoli, & deinceps ex liberalitate ſuorum diſcipulorum victitarunt, vt plurimum (vel ex labore & opificio ſicut inter Corinthios Paulus, & Barnabas) vt præſcriptum eſt à Chriſto Matthæi 10. Lucæ 9. Marc. 6. Nam ſi relinquere omnia gradus fuit ad ſequelam Chriſti, vt veri & adhærentes eius fierent diſcipuli contempto mundo, nihil minus eis licuit in ipſa eius familia, quam poſſidere quidquam (ſecluſo caſu & infirmorum inſtructione) cùm non haberet vbi caput ſuum reclinaret, & pro nobis, teſte Apoſtolo: *Egenus*

Hilarius. Hieron. Origen. Chryſoſt. Euthym. Ianſen. Caietan.

Hieron.

Chryſoſt.

Egenus factus eſt, cùm eſſet diues, vt illius inopia nos diuites eſſemus, &c. 2. Cor. 8.

Si quis mihi reſpondeat hæc quidem rectè ſe habere intelligendáque eſſe dumtaxat de particulati poſſeſſione non de communi; Si quis, inquam, ſic reſpondeat, ipſum conſulat oraculum: & videat Petrum, non de particulari cuiuſquam aut ſuo, aut alterius ſtatu ſermonem habuiſſe; ſed in totius collegij, & communitatis perſona loquutus: *Ecce*, inquit, *nos reliquimus omnia*, &c. Quo ſpectat etiam Chriſti reſponſio. *Amen dico vobis, quòd vos qui ſecuti eſtis me*, &c. *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim Tribus Iſrael*, &c. Ecce præmium, & meritum commune eſſe deſignatur, præmium eſt poteſtas iudiciaria: meritum verò paupertas, & abdicatio rerum, nec dubium eſt Petrum loqui hîc de ea rerum abdicatione, quæ omnem prorſus excludit ſolicitudinem, & quæ præſcripta eſt ſuperius Euangelij prædicatoribus (vt patet ex illis Marc. *propter Euang.*) quales ex officio, & electione fuerint Apoſtoli; hæc autem communis fuit, qua nihil in vniuerſum poſſidere permittitur, nihil etiam quoad vſum præter vnam tunicam, & ſandalia, alienam menſam & hoſpitium, quæ ad particularem dumtaxat cuiuſque ſtatum, & indigentiæ perſonalis, non communis leuamen ſpectant. Plurima in hunc locum accumulare liceret teſtimonia Patrum: ſed inferiùs peculiari capite id præſtabimus; hîc verò non apparet neceſſitas, quia locus de ſe manifeſtus eſt, & ex antecedentibus & ſubiiciendis poſtmodum aliis teſtimoniis eius intellectus erit clarior. Addam tamen ad confirmationem dictorum (videlicet hanc rerum abdicationem intimè Chriſtum vitæque eius perfectionem ſequentibus indictam eſſe, imò & initium eſſe ſequelæ, renunciare mundo, & poſſeſſionibus) illud Lucæ 14. *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*, &c. Vt huius loci vis intelligatur, aduertendum documenta hæc à Chriſto tradita eſſe, ne temerè quiſquam diſcipuli arduam profeſſionem adiret, non ſpectatâ ſtatus difficultate, habitóque propriæ conditionis ſeu virium, ſeu infirmitatis experimento. Hinc præmiſit Euangeliſta; *Ibant*, inquit, *turbæ multæ cum eo: & conuerſus dixit ad illos, ſi quis venit ad me*, &c. id eſt, tanquam diſcipulus; prout multi in turba prætendebant. Theophylact. *Multi*, inquit, *ibant cum Ieſu, qui non cum omni alacritate, & obedientia ſequebantur; ſed frigidiores erant: docet eos qualem oporteat eſſe diſcipulum Chriſti*, &c.

Præmium pauperum poteſtas iudiciaria.

Quid permiſſum ſit Apoſtolis?

Theoph.

Primum igitur documentum eſt odio habere parentes, propinquos, adhuc etiam & animam, hoc verò documento reſcindit amorem carnalem, & concupiſcentiarum, ſecundum documentum præſcribit crucis baiulationem, quod eſt ſupportare quæuis incommoda, & vexationes, quæ ob Chriſtum inferuntur; hæc documenta etiam ab omnibus neceſſariò quo ad effectum obſeruanda ſunt, cuiuſcunque ſint ſtatus. Subiungit autem tertium documentum, quod tantum peculiares diſcipulos, & perfectionis ſectatores concernit: præmiſſis tamen duabus parabolis, ex quibus illuſtrior euadat eius intellectus. Prima eſt de volente

lente ædificare turrim, qui primùm debet ſecum inquirere ſi neceſſariæ expenſæ ſuppetant, antequam iaciat fundamenta. *Ne*, inquit, *poſtquam poſuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes, qui vident, incipiant illudere ei dicentes: quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare.* Secunda item parabola docet rationem ineundam virium, & facultatum ei Regi, qui contra alium bello occurrere velit, & conſiderandum; *Si poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe*, ac tandem ita applicat. *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Vide Caietanum in Lucam, qui parabolas, & concluſionem bene concordat.

Paupertas fundamentum perfectionis.

Euangelicæ perfectionis, quæ per turrim deſignatur, fundamentum eſt paupertas, quæ in rerum conſiſtit abdicatione, ac proinde ab ea incipienda eſt moles, ſeu Chriſti ſequela; nam vt ſuprà Ambroſius. *Parens eſt & generatio quædam virtutum.* Vel aliter, ſicut ædificari nequit ſine ſumptibus aut belligerari ſine milite, ita nec diſcipulus verus Chriſti & intimus eſt, qui omnibus non renunciat poſſeſſionibus.

Gloſſa ordina.

Gloſſa ordinaria ex Beda intelligit hunc locum vniuerſaliter quo ad omnes, & explicat renunciationem dici tantùm ſecundùm affectum, relinquere verò penes effectum, ita harum vocum notiones atque differentiam ſignificationis exponens.

Aug.

Imò & videtur ea eſſe ſententia Auguſtini ad Hilarium epiſtola 89. qui hanc clauſulam de omnibus Chriſtianis interpretatur.

Vera interpretatio.

Verùm impropria eſt huiuſmodi expoſitio, & moralis, nec literæ integram proprietatem exprimit, vt conſtat tam ex diſcurſu, & eius occaſione, quàm ex ipſis verbis. Motiuum ſermonis fuit aliquorum tepor, & temeritas, qui ſequelam Chriſti arrogabant, ac proinde eorum inſtructioni hæc dicta ſunt, atque diſcipuli onus & officium deſcriptum. Hinc etiam admoniti ex parabola turris, priùs eſſe conſiderandum an vires & animus ſuppeterent, tam arduum munus adeundi, quàm rem ipſam aggrederentur, tacitè ſupponendo non præſumendum eſſe vltra vires:

Ratio efficax.

quod nequit congruè interpretari de ea ſequela, ad quam omnes Chriſtiani ex præcepto, & profeſſione ſtatus obligantur: hæc enim ſimpliciter eſt adeunda, nec ſub deliberatione aut conſilio cadit. Eam igitur ſequelam intendit Saluator, quæ ſub conſilio tantùm eſt, & non ſub præcepto, vt quæ ad perfectionem tendit: tandem eam vocum & ſignificationis adductam differentiam reſpuit vſus, & conſuetudo ſermonis.

Cicero. Renunciare pro abdicare. Quintilianus.

Apud Ciceronem legitur in Verr. *Hoſpitium renunciare*, id eſt, dimittere, abdicare, relinquere. Quintilianus lib. 10. cap. 7. *Mea quidem ſententia ciuilibus officiis renunciabit*, id eſt, illa abdicabit, ita etiam vſus fert apud legum interpretes. *Renunciatio*, inquit Cardinalis rub. de cenſibus in 6. *eſt iuris proprij legitima refutatio.* Et in hac ſententia habetur l. Iubemus. Cod. ad Sen. Velleia. & innumeris aliis vtriuſque iuris locis.

Hinc quidam hæretici dicti Apoſtatici, id eſt, ſegregati.

Imo & Lucæ 9. huius ſignificationis eſt. *Sequar te Domine: ſed permitte mihi primùm renunciare his, quæ domi ſunt*, &c. Concordat & verbi Græci, quod in vtroque loco ponitur, ſignificatio ἀποτάξασθαι ab ἀποτάττω quod renunciare, nuntium mittere, ſegregare, &c. ſignificat, verſio autem

Syriaca

Verſio Syriaca.

Syriaca ſic effert; *Ita quiſquis ex vobis non relinquit omnem poſſeſſionem ſuam, non poteſt mihi eſſe diſcipulus*, &c. Vbi *relinquit*, pro *renunciat* collocatur. Similis locutio eſt 4. Eſdræ 14. *Renuncia iam corruptelæ, & dimitte abs te mortales cogitationes, & proiice abs te pondera humana*, &c. *renuncia corruptelæ*, id eſt, eam relinque.

Quid ſal in Euangelio deſignat.

Sed & ſubſequens parabola indicat ſermonem eſſe hîc de Apoſtolis, eóque diſcipulatu ſupererogationis, qui ad perfectionem relicto mundo, pergens cùm Chriſto à vera paupertate rerúmque abdicatione incipiebat. *Bonum eſt ſal: ſi autem ſal euanuerit*, inquit, *in quo condietur? neque in terram, neque in ſterquilinium vtile eſt, ſed foras mittetur*, &c. Salem euaneſcere, idem eſt ac relinquere, & deſerere leuiter cæptum perfectionis curſum, & retrocedere, ſeu, vt ſuperiùs habetur, *cæpit ædificare, & non potuit conſummare*. Sed & illud manifeſtum eſt, per ſalem in Euangelio deſignari tantùm Apoſtolos, & diſcipulos, qui ad perfectionem ſectandam vocati ſunt, non verò populum aut turbas: nam Marci 9. eandem ſalis parabolam diſcipulis proponit, cùm de maioritate contenderunt, & Matth. 5. eos vocat ſalem terræ: *vos eſtis*, inquit, *ſal terræ*. Hieron. in illum locum; *ſal appellantur Apoſtoli, quia per ipſos vniuerſum hominum genus eruditur*. Idem Chromatius, Chryſoſtomus homil. 15. in Matth. Anſelmus, Remigius, Hilarius, & communis, qui omnes in hoc veniunt, & diuerſis rationibus metaphoræ inueſtigant rationem, iſque Eccleſiæ ſenſus eſt, quæ hoc Euangelium doctoribus appropriat, quales tum ſoli fuerunt Apoſtoli, & alij adhærentes Chriſto, vt Matth. 10. Luc. 9. & 10. eſt clarum: vnde ſicut nomine *ſalis* intelligi tantùm illi tum potuerunt, ſequitur ad eos hæc ex rigore litteræ ſpectare; ac proinde præmiſſis verbis inter diſcipulatus onera præſcribi abdicationem omnium rerum temporalium, ita hunc locum interpretantur Caietet. Barradius, Maldonatus, imò & Auguſtinus epiſtola 38. ad Lætum, totum diſcurſum refert ad diſcipulos viam perfectionis ſequentes, & fugientes mundum; & epiſtola 89. vtrique diſcipulorum generi applicat prædicta verba; *Profectò*, inquit, *renuntiat etiam diuitiis ſuis, ſi quas habet, aut ſic, vt eas omnino non diligens totas diſtribuat indigentibus, & ſuperfluis exoneretur ſarcinis: aut ſic, vt plus diligens Chriſtum, ſpem ab eis transferat in ipſum, atque ita vtatur illis, vt facile tribuens & communicans theſaurizet in cælo*, &c. Verùm priorem ſenſum parit textus; licèt per accommodationem, quæ ex proportione quadam conſurgit, etiam ad poſteriorem inſtructionis ergo transferatur. Concludo itaque inter reliquas ſequelæ Chriſti & Apoſtolatus regulas præſcribi omnium rerum abdicationem, ſeu renunciationem, ſine qua nullus potuit eſſe eius diſcipulus, ipſo dicente, *omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*. Scilicet intimus ac verus imitator vitæ, & indiuiduus comes, ac profeſſor ſacri inſtituti Apoſtolici, in quo ea paupertas colebatur, quæ omne excludit peculium etiam in communi poſſeſſione: & quanquam ex dictis id liqueat, vlterius vrgere, probare & declarare non pigebit, ne fugam quiſpiam captet ſub ea potiſſimum

Chromat. Chyſoſt. Anſel. Remigius. Hilarius.

Caiet. Barrad. Maldon. Auguſt.

diſtinctione

diſtinctione paupertatis in communem & particularem ; paupertatem enim alienam ab hoc ſacro collegio facere, ſolius eſt hæretici : ſed vt communem excludant, quidam particularem fuiſſe interpretantur, ipſi viderint quo fundamento. Communem verò fuiſſe nemo ambiget, qui primum locum à nobis ſupra allatum perpendet, in quo omnium rerum poſſeſſio reſcinditur, & ex Euangelio, ſeu diſcipulorum largitate ſolum viuere ſtatuitur : ita autem ipſos ſimul cum Chriſto vixiſſe ex ſequentibus probatur.

Quartus locus.

Chriſtus vixit ex facultate piarum mulierum.

Quartus locus eſt Lucæ 8. *Et factum eſt deinceps, & ipſe iter faciebat per ciuitates & caſtella prædicans, & euangelizans regnum Dei, & duodecim cum illo, & mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à ſpiritibus malignis, & infirmitatibus: Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua ſeptem dæmonia exierant, & Ioanna vxor Chuſæ procuratoris Herodis, & Suſanna, & aliæ multæ, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis*, &c. Chriſtus igitur ſicut præſcripſit Apoſtolis ad prædicandum miſſis ex Euangelio viuere, ita etiam ipſe de facultatibus piarum mulierum ſimul cum Apoſtolis prædicans per ciuitates, & caſtella ſuſtentabatur, ac proinde ex alieno, non verò proprio vixit; *Miniſtrabant*, inquit, *ei de facultatibus ſuis*, &c. ſupple, mulieres.

Sed audiamus reliquos Euangeliſtas. Marcus 15. *Erant autem*, inquit, *& mulieres de longè aſpicientes, inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi minoris, & Ioſeph mater, & Salome: & cùm eſſet in Galilæa miniſtrabant ei, & aliæ multæ, quæ ſimul cum illo aſcenderant Ieroſolymam*, &c. in *Galilæa*, inquit, *miniſtrabant ei*. Et quid? ſcilicet de ſuis facultatibus neceſſaria, dum ibi prædicabat ipſe cum duodecim per vicos, & caſtella, vt docet Lucas. Aſcenderant etiam cum illo Ieroſolymam non alium ob finem, quàm vt ei miniſtrarent pariter neceſſaria, vt colligitur ex Matthæo cap. 27. *Erant autem ibi*, inquit, *mulieres multæ à longè, quæ ſecutæ erant Ieſum à Galilæa miniſtrantes ei*, &c.

Titus Boſtren.

Titus Boſtrenſis, qui ſub Iuliano Apoſtata claruit, & ſub Valente mortuus eſt, teſte Hieronymo, in commentariis ſuper Lucam, ſiue quicumque alius eſt author; *Mulieres*, inquit, *quæ Chriſtum ſecutæ fuerant, adminiſtrabant illi de facultatibus ſuis: Chriſto & Apoſtolis tam corporis ſolatia, & fomenta exhibentes, quam ſalutem ex Euangely doctrina haurientes: erogabant autem & inſumebant, quæ in bonis habebant in egenorum vſum, quo compararent pietatem*, &c.

Victor Antiochenus in Marci 15. ſuper illa; *Erant autem mulieres de longè aſpicientes*, &c.

Victor Antiochenus.

Cæterùm miniſterium, quod fœminæ, quæ Ieſum ſequebantur præſtabant, aliud ferè nullum erat, quàm quod de pecuniis ſuis ipſi, ipſiuſque diſcipulis ſumptus faciebant, &c. Vterque author habetur in Bibliotheca Patrum nouæ editionis tom. 4.

Hieronymus

Hieronymus in Matthæi præmiſſa verba : *Conſuetudinis Iudaicæ fuit* (*nec ducebatur in culpam more gentis antiquo*) *vt mulieres de ſubſtantia ſua victum,atque veſtitum præceptoribus miniſtrarent* , &c. *Miniſtrabant autem Domino de ſubſtantia ſua, vt meteret earum carnalia cuius illæ metebant ſpiritualia, non quòd indigeret cibis Dominus creaturarum* ; *ſed vt typum oſtenderet Magiſtrorum* , *quod victu,atque veſtitu ex diſcipulis deberent eſſe contenti*, &c. Hieron.

Chryſoſtomus homilia 99. in Matth. *Sequebantur* (ſupple, mulieres) *ipſum miniſtrantes ei, vſque ad pericula*, &c. His adiunge Bedam , Strabum, Gloſſam , apud quos Hieronymi verba inuenies mutuata , item ſanctum Thomam, S. Bonauenturam, Maldonatum , & communiter interpretes. Idem Tertullianus lib. 4. in Marcionem cap. 19. S. Auguſtinus de opere Monachorum cap. 5. Theodoretus in 1. ad Corint. 9. Epiphanius hæreſ. 61. *Et ipſe Saluator omnium Dominus*, inquit, *cùm in carne eſſet,nihil ex terrena poſſedit* , *ſed non reiecit mulieres ipſi, & diſcipulis eius miniſtrantes : dicit enim , quæ ſequutæ fuerant ipſum à Galilæa miniſtrantes ipſi & diſcipulis eius de propriis bonis.* Irrefragabilis ergo ſententia eſt tam ſacri textus quàm Patrum & expoſitorum, Chriſtum Dominum non ex proprio peculio (cuius dominium, vel ad ipſum , vel ad collegium Apoſtolicum communi etiam poſſeſſione ſpectaret) ſuſtentatum fuiſſe, dum in Galilæa per ciuitates & caſtella prædicaret, ſed piarum matronarum facultatibus , quæ ipſum tam ibi, quàm etiam in Iudæam ſequebantur, eidem ac diſcipulis miniſtrantes. Imò & hanc fuiſſe Chriſti vitam ordinariam , colligitur cùm prædicanti in Galilæa dictæ legantur miniſtraſſe neceſſaria , atque etiam in Iudæam euntem ſequutæ in idem obſequuturæ miniſterium. Chryſoſt. Beda. Gloſſ. Strabus. S. Bon. S. Thom. Maldonat. Tertull. Auguſt. Theodoret. Epiphan.

Quintus locus.

Quintus ad idem locus eſt Matth. 21. poſtquam deſcripſit Euangeliſta triumphum Chriſti atque ingreſſum in Ieruſalem , cantantibus pueris Oſanna , reprehenſionemque & inuidiam Principum ſacerdotum ſubiicit; *& relictis illis.* inquit, *abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam* , *ibíque manſit*. Supple, illâ nocte ; *Mane autem facto reuertens in ciuitatem eſuriit*, &c. Præter alia motiua, quæ ad hunc Chriſti diſceſſum faciebant , fuit paupertas , & quod nullum ei in ciuitate hoſpitium fuerit, nec quiſquam eundem inuitauerit, ac proinde neceſſum ei fuerit recurrere ad domum Lazari & ſororum eius hoſpitandi gratia:ita Patres, quos inferius citabimus. Attamen præmittam verba Marci, in quibus hoc clariùs inſinuatur ; ita ille cap. 11. *Et introiuit Ieroſolymam in templum in Bethaniam cum duodecim*, &c. *circumſpectis omnibus*, proſpiciens ſcilicet quod à nemine inuitabatur, *cùm eſſet hora veſpera* : tempus nempe cœnæ & quietis, *exiit in Bethaniam* , vt ibi hoſpitaretur.

Hieronymus in Matth. ſuper præmiſſis; *Et relictis illis*, &c. *reliquit incredulos*, inquit, *& vrbem egreſſus contradicentium, iuit Bethaniam*,&c. Hieron.

Paupertas Chriſti, in hoſpitalitas Iudæorum. *Hoc quoque intelligendum eſt, quod tantæ fuerit paupertatis, & ita nulli adulatus ſit, vt in vrbe maxima, nullum hoſpitem, nullam inueneris manſionem, ſed in agro paruulo apud Lazarum, ſororéſque eius habitaret*, &c. Eadem ipſa verba mutuauit Beda tam in Marcum, quàm in Matthæum. Gloſſa interlinearis in Marcum eundem ſequitur, & ſuper illa; *Exiit in Bethaniam*, ita habet, *vt qui in vrbe non inueniebat, in agro paruulo apud Lazarum & ſorores eius haberet hoſpitium.* Item ſuper illa: *circumſpectis omnibus: Si quis*, inquit, *eum hoſpitio ſuſciperet.* Gloſſa ordinaria. *Et circumſpectis omnibus*, &c. *quia nullus recepit eum in domum ſuam.* Eadem eſt interpretatio Lyrani; *Licèt fuiſſet*, inquit, *honorificè receptus à communi populo, & prædicaſſet per totam diem vſque ad veſperam, nullus tamen inuitauit eum ad hoſpitium in domum ſuam: & ideo cum diſcipulis rediit in Bethaniam, vbi manebant Martha, Maria Lazarus*, &c.

Beda. Gloſſa. Gloſſ. ordin. Lyranus.

Anſel. Anſelmus ſuper Matth. *Et nota*, inquit, *quod Chriſtus nulli vnquam adulatus, nullum inuenit hoſpitem in vrbe, ſed apud Lazarum, ſororeſque eius receptus eſt hoſpitio in quodam oppido*, &c. His addi poteſt Diuus Thomas & Caietanus.

Reiicitur coniectura Maldonati. Maldonatus in Matthæum minus probabilem putat hanc interpretationem: *Nec enim credibile eſt*, inquit, *neminem fuiſſe, cùm tam multi iam in eum credidiſſent, qui domo eum vellet recipere*, &c. Probabiliorem ergo cenſet Chriſtum, relictis Iudæis, ſeceſſiſſe in Bethaniam, vel quia noluit ante tempus ab eis comprehendi, vt tradit Chryſoſtomus, author imperfecti, & Euthymius: vel quia eius præſentiâ atque colloquiis indigni eſſent, vt ſenſit Theophylactus.

Chryſoſt. Author imper. Euthym. Theophyl.

Veruntamen ea interpretatio quam præmiſimus, ex verbis Marci innoteſcit, quæ cauſam diſceſſus explicant: hæc porrò clauſula: *& circumſpectis omnibus, cùm iam veſpera eſſet hora*, &c. Nihil aliud intendit, aut intendere rationabiliter poteſt, quàm requirendi hoſpitij cauſam. Nec cohærere videntur allatæ cauſæ cum ſacro textu: ſi enim ideò Chriſtus ſecederet in Bethaniam, ne comprehenderetur, vel quia indigni erant ſuâ præſentiâ Principes ſacerdotum, Scribæ & Phariſæi, non reuerteretur mane in templum, vt ſubiungit Matthæus & Marcus, imò & Lucas cap. 19. *Et erat docens quotidie*, inquit, *in templo: Principes autem ſacerdotum, & Scribæ, & Principes plebis quærebant illum perdere; & non inueniebant, quid facerent illi: omnis enim populus ſuſpenſus erat audiens illum*, &c. Ecce ergo quomodo non declinauerit ſuos æmulos, ſed quotidie comparuerit docens in templo. Ideo Matthæi 26. Marci 14. Lucæ 22. Ioan. 18. ipſe obiicit ſenioribus, qui eum comprehenderunt. *Quotidie*, inquit, *apud vos ſedebam docens in templo, & non me tenuiſtis*, &c. *Quotidie*, &c. id eſt, ex quo vltimâ vice aſcendit Ieroſolymam, ante ſex dies Paſchæ veniens Bethaniam, vt patet Ioannis 12. vbi conuiuio exceptus, ſequenti die, quæ erat quinta ante feſtum, ingreſſus eſt Ieroſolymam ſedens ſuper aſinum. His verò quinque diebus docebat in templo vſque ad veſperam, & exibat veſpere in montem Oliueti.

Luc. 19.

Beda

Beda 14. Marci in allegata verba; *Exiit in Bethaniam*, &c. *Non hoc ſemel*, inquit, *fecit: ſed per omnes quinque dies, ex quo Hieroſolymam aſcenderat, vſque ad tempus paſſionis, hoc ipſum agere ſolebat, vt per diem in templo doceret, noctibus verò exiens moraretur in monte Oliueti, ſicut in Luca legimus.* Lucas autem 21. ita habet; *Erat autem diebus docens in templo: noctibus verò exiens morabatur in monte, qui vocatur Oliueti, & omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum.* Sed dices, vbi ergo hoſpitabatur? vel quis neceſſaria ſubminiſtrabat? reſpondeo, licèt de hoc textus clarè non differat: colligi tamen in Bethania ei hoſpitium fuiſſe: nam biduo ante Paſcha recubuiſſe fertur in domo Simonis leproſi in Bethaniá, Matth. 26. Mar. 14. nec defuerunt mulieres religioſæ, quæ eum ſequutæ ſunt à Galilæa, de quibus ſuperius. Ratio autem Maldonati facilis eſt ſolutionis: nam licèt crediderint in eum plures ex ciuitate, non auſi ſunt eum hoſpitio excipere ob metum Principum Phariſæorum, & ſacerdotum: nam eadem de cauſa, parentes cœci, & à Chriſto illuminati, reiecerunt à ſe in filium miraculi informationem, dicentes: *Nos neſcimus; ipſum interrogate: ætatem habet*, &c. *Hæc*, (inquit Ioannes 9.) *dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudæos: iam enim conſpirauerant Iudæi, vt ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum, extra Synagogam fieret*, &c. Item Ioan. 12. *Verumtamen & ex Principibus multi crediderunt in eum: ſed propter Phariſeos non confitebantur, vt è ſynagoga non eijcerentur: dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei*, &c. Reſpondetur ad rationem Maldonati.

Sextus locus.

Sextus ad idem locus Matth. 17. *Vt autem non ſcandalizarentur* (ſupple, qui petebant didragma cenſus) *vade ad mare, & mitte hamum: & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle: & aperto ore eius inuenies ſtaterem, illum ſumens da eis pro me & te.* Ex quibus verbis colligitur tanta Chriſti paupertas, vt nihil, quo cenſum ſolueret habuerit, ac proinde ad opera miraculorum, & diuinæ potentiæ mirabilia recurrere fuerit neceſſarium.

Hieronymus locum primò allegoricè interpretatur, mox adiungens literalem ſenſum. *Sed & ſimpliciter*, inquit, *intellectum ædificat auditorem, dum tanta Dominus fuerit paupertatis, vt vnde tributa pro ſe, & Apoſtolo redderet, non habuerit. Quod ſi quis obiicere voluerit, & quomodo Iudas in loculis portabat pecuniam? Reſpondebimus, rem pauperum in vſus ſuos conuertere nefas putauit: nobiſque idem tribuit exemplum.* Eadem habet Gloſſa ordinaria, Lyranus: ex quo paret, quòd Chriſtus erat ita pauper, quod *non habebat, vnde poſſet ſoluere tributum.*

Origenes tract. 4. in Matth. *Hoc autem numiſma in domo Ieſu non erat, in mari autem erat*, &c. & infra. *Qui ergo habet, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari ea reddat, vt poſthac valeat reddere Deo, quæ ſunt* Origenes.

Dei. Quoniam Ieſus non habebat imaginem Cæſaris: Principes enim ſeculi huius, nihil habebant in eo, propterea non proprio, ſed ex conuenienti loco maris imaginem Cæſaris accepit, eam vt det Regibus terræ pro ſe, & diſcipulo ſuo, vt nec arbitrentur, qui didragma accipiebant eſſe eum debitorem Regum terræ, reddit enim debitam non ſuſcipiens eam, neque poſſidens, neque acquirens, neque faciens eam ſibi poſſeſſionem, vt ne ſit aliquando imago Cæſaris apud inuiſibilem Deum, &c. Hæc Origenes. Per imaginem Cæſaris intelligit numiſma cenſus alludens ad ea, quæ Chriſtus ait Lucæ 20. *Oſtendite denarium, cuius habet imaginem & inſcriptionem? reſpondentes dixerunt ei, Cæſaris: & ait illis, reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.*

Chriſtus non poſſedit didrachma.

Ambroſius.

Ambroſius in Lucæ 20. *Si ergo non habuit imaginem Cæſaris* (ſupple, Petrus) *cur dedit cenſum? non de ſuo dedit, ſed reddidit mundo, quod erat mundi*, &c. Quod autem aliqui hîc ſupponunt Chriſtum tum habuiſſe loculos, quorum diſpenſator fuit Iudas, ſine fundamento, & minus probabili coniecturâ aſſeritur: nec in hoc capite quidquam eſt, vnde illud colligi poſſit, ſiue enim illi in vſum non collegij modò, & diſcipulorum collati, & depoſiti fuerint, ſed pauperum (vt Hieronymus fuiſſe permittit magis, quàm admittit) non obſtat propoſito: ſi verò in communem vſum ceſſerint, in particulares etiam neceſſitates diſpenſari potuerunt (quibus ex communi ſubuenire eſt conſuetum) maximè capitis, qualis fuit Chriſtus; ac proinde nullum fuit opus miraculo, ſi cenſus aliunde ſuppeteret. Aduertendum inſuper hoc contigiſſe in Galilæa, vbi minus indigere potuit Chriſtus, aut Apoſtoli, & quia horum erat patria, & quia mulieres piæ eum ſequutæ de facultatibus ſuis miniſtrabant eidem, & Apoſtolis neceſſaria, vt Euangeliſtæ ferunt, ideóque ſublata videretur occaſio, & finis geſtandi loculos, in propriæ indigentiæ ſubuentionem. Multa alia loca apud ſacros Euangeliſtas demonſtrant, Chriſti & Apoſtolorum paupertatem, vt quod tranſeuntes per ſata diſcipuli eſurientes, vellebant ſpicas, eaſque manibus confricantes comedebant Matth. 12. Mar. 2. Luc. 6. Item, *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, Ioan. 18. & alia huiuſmodi, quæ vt plurimum ſuperiùs pro confirmatione aliorum locorum inſerta ſunt, quibus ſuperſedemus ad alias feſtinantes ſcripturas Apoſtolicas.

Septimus locus.

Septimus ergo ad propoſitum locus ſit Actor. 3. *Argentum & aurum non eſt mihi, quod autem habeo hoc tibi do; in nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula*, &c. Verba ſunt Petri ad claudum ex vtero matris, & mendicum ad ſpecioſam portam. *Is cùm vidiſſet Petrum & Ioannem incipientes introire in templum, rogabat, vt eleemoſynam acciperet, intuens autem in eum Petrus cum Ioanne dixit, reſpice in nos.*

in nos. At ille intendebat in eos ſperans ſe aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit; argentum & aurum, &c. Petri verba ſuſpenſam pauperis expectationem reſpiciunt: ille eleemoſynam petebat; hic verò vnde eleemoſynam faciat, ſe nequaquam habere affirmabat. *Memor*, inquit Gloſſa ex Beda, *præcepi: nolite poſſidere aurum, & argentum: pecuniam, quæ ad pedes Apoſtolorum condebatur, non ſibi recondebant, ſed ad vſus pauperum, qui ſua patrimonia reliquerant, ſeruabant*, &c.

Gloſſa. Beda.

Chryſoſtomus homil. 8. in Act. *Argentum*, inquit, *& aurum non eſt mihi: non dixit, non habeo hic, qualia nos dicimus, ſed prorſus non habeo*, &c. Ita etiam intelligunt Ambroſius, author Apologiæ Dauid, ſiue idem, ſiue alius fuerit, Hilarius, Cyprianus, Epiphanius, Euſebius, Chromatius, Arnobius, Lyranus, & alij, qui omnes affirmant his verbis Petrum demonſtraſſe ſe pauperem & obſeruatorem eſſe illius præcepti Domini, quod expreſſum eſt Matthæi 10. Lucæ 9. Marc. 6. Quale autem fuerit illud, ſuperiùs eſt notatum.

Chryſoſt. Ambroſ. Author Apologiæ Dauid. Hilarius. Cyprian. Epiphan. Euſeb. Chromat. Arnob. Lyran.

Octauus locus.

Octauus locus 1. ad Corinthios 9. *Non ſum liber? non ſum Apoſtolus?* &c. *nunquid non habemus poteſtatem manducandi & bibendi? nunquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi. ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini & Cephas? aut ego ſolus, & Barnabas non habemus poteſtatem hoc operandi?* &c. Eo ſpectant hæc Apoſtoli verba, vt ſuo exemplo doceat abſtinendum etiam à licitis, ne infirmi ſcandalum patiantur, præcedenti namque capite monet non eſſe ponendum offendiculum infirmis, nec in eſca ſcandalizandum fratrem; *Quapropter*, inquit, *ſi eſca ſcandalizat fratrem meum: non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem.* Et mox ſubiicit, quomodo hoc ipſum præſtiterit alia licita omittens, ne quod Euangelio ſtatueret offendiculum. Commemorat autem ſe eſſe Apoſtolum, ac proinde ſe habere poteſtatem manducandi & bibendi, hoc eſt, viuendi ex Euangelio, & accipiendi victum ab iis, quibus illud prædicat: Item circumducendi mulierem piam, quæ ſuis facultatibus ſumptus eidem faceret, ſicut Apoſtoli, cæteri etiam fratres Domini & Cephas, qui præcipui erant, conſueuerunt. Eandem autem poteſtatem ſic viuendi ex miniſterio diſcipulorum amplius probat pluribus rationibus, & exemplis. Item ex lege, & Euangelio: *Neſcitis*, inquit, *quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt; & qui altari deſeruiunt, cum altari participant? ita & Dominus ordinauit iis, qui Euangelium annunciant de Euangelio viuere; ego autem nullo horum vſus ſum*, &c. Ex præmiſſo igitur loco colligitur primò ordinationem eſſe Chriſti Domini, vt prædicator Euangelij ex Euangelio viuat, & poteſtatem habeat edendi, & bibendi, id eſt, hæc recipiendi à diſcipulis. Secundò colligitur id tum in vſu fuiſſe Apoſtolis. Tertiò colligitur eoſdem Apoſtolos exemplo Domini facultatibus piarum mulierum inter prædicandum ſuſtentationem accepiſſe, quæ eas ſequebantur, ſicut Chriſto in

Deut. 18

Galilæa ſimiliter prædicanti miniſtrabant Maria Magdalena, & aliæ, de quibus ſuperius. Vnde ſequitur eundem vitæ curſum tenuiſſe Apoſtolos poſt Chriſti aſcenſionem dum Euangelium prædicabant, quem & Chriſtus ipſe ante mortem tenuit, & ipſis ad prædicandum miſſis iniunxit, Matth. 10. Luc. 9. Marc. 6. ac proinde non ex proprio, ſed alienis facultatibus vixiſſe & neceſſarios ſumptus accepiſſe. Conſule omnes interpretes, Chryſoſtomum homil. 21. in 1. ad Corinth. Ambroſ. Theodor. Theophylact. Bedam, & D.Thomam, vtramque Gloſſam, & Lyranum, Hieronymum in Matth. 27. & Auguſt. de opere Monachorum cap. 5.

Paulum nõ vixiſſe expenſis diſcipulorum.

Paulum verò aliunde, quàm ex Euangelio, ſumptus feciſſe, ex hoc loco videtur; dubium an ſemper, quam ob cauſam, & vnde victus eidem ſuppetebat. Reſpondetur tamen victum comparaſſe ex labore manuum, idque Corinthi, Epheſi, & Theſſalonicæ, vt videre eſt Act. 18. 20. 1. ad Theſſalonicenſes 2. & 2. ad Theſſ. 3. quin etiam in tota Achaia ita gratis ſeminaſſe Euangelium, vt neceſſarios ſumptus à diſcipulis non acceperit, nec accepturus eſſet, ipſe teſtatur 2. ad Corinth. 11. hîc etiam loquens de ſeipſo, & Barnaba ita refert; *Sed non vſi ſumus hac poteſtate; ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Chriſti.* Tantum autem abeſt, vt victum ſic comparare deroget paupertati, de qua modò diſputamus, vt magis eam foueat, & commendet. Ideo Beda in illa Lucæ 12. *Vendite, quæ poſſidetis, & date eleemoſynam. Nolite,* inquit, *timere, ne propter regnum Dei militantibus huius vitæ neceſſaria deſint: quin etiam poſſeſſa propter eleemoſynam vendite: quod tunc dignè fit, quando quis ſemel pro Domino ſuis omnibus ſpretis, nihilominus poſthac labore manuum, vnde & victum tranſigere, & eleemoſynam dare queat, operatur; vnde gloriatur Apoſtolus dicens: Argentum & aurum, aut veſtem nullius concupiui: ipſi ſcitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt miniſtrauerunt manus iſtæ. Omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos,* &c. Videatur Auguſt. de opere Monachorum, qui ad opus manuum eos, ſicut & Hieronymus Nepotianum, & Ruſticum ad artificiolum prouocat. Epiphanius hæreſi 80. Exemplo etiam ſunt Monachi antiquì profeſſi paupertatem in Thebayde, & Ægypto, qui opere manuum viuebant: Hinc autem beatus Pater noſter Franciſcus in ſuo teſtamento laborare de laboritio, quod pertinet ad honeſtatem, commendauit, & cap. 5. Reg. quod fratres, quibus dedit Dominus gratiam laborandi, vt laborarent. *Et ego,* inquit, *manibus meis laboraui, & fratres volo, quod laborent de laboritio, quod pertinet ad honeſtatem, & quando non daretur nobis pretium laboris, recurramus ad menſam Domini,* &c. Pelagius Papa II. epiſtola ad Antoniam Patriciam, & Deciam deſcribens officium Monachi ita habet; *Illic enim quies, oratio, labor manuum,* &c. Carthag. IV. celebratum ſub Anaſtaſio anno Domini 398. (vt tradit veriùs Baronius) canone 50. 51. 52. 53. artificio, & manuali opere iubet clericos omnes victum comparare, tum autem votum paupertatis clerici omnes emittebant, vt aliunde conſtat, neque alioquin patrimonium, & proprium habentibus

Auguſt. Hieron. præfat. in Iob. Epiphan. Labor manuum cõmendatur. S. Franciſc. in teſtam. Pelagius. Concil. Carthag. 12. c. non dicatis.

bus iuſtum, aut congruum erat manuale opus indicere cauſa victus, cùm hoc ſuperfluum eſſet, niſi in leuamen, & obſeruationem fieret profeſſæ paupertatis. Cæterùm cauendus in hac materia extremus vtrinque error, quem damnat Paulus: alter eſt negans Monachis eſſe laborandum, vel id licere, ita antiqui hæretici dicti Meſſaliani, vel Euchitæ apud Epiphanium loco citato, de quibus Auguſtinus & alij. Huius etiam erroris fuerunt illi apud Carthaginem Monachi, quos inſtruit idem lib. de opere Monachorum. Alter eſt Gulielmi à Sancto Amore, Wiclefi, Caluini, & aliorum, qui religioſis aſſerunt laborem eſſe indictum ex præcepto, & mendicitatem damnant. Vtrumque, vt præmiſi, damnat Apoſtolus, cùm & ſibi poteſtatem eſſe viuendi ex Euangelio citra laborem, multis rationibus probat: nec ea tamen vſum eſſe præfatis locis, & ob certas cauſas affirmet. De hac Duplex error.

Verum enim verò ſi quis hunc Apoſtoli laborem contentioſius inculcet, tanquam mercenarius fuerit Paulus, & viuens ex proprij laboris merce, cuius ad eum ſpectabat dominium, à me reſponſum in primis habeat, per Chriſti Domini ordinationem, aliorum Apoſtolorum vitâ, & exempla ipſo Pauli teſtimonio approbata, ſat ſecurè nos quæſtionis ſcopum attigiſſe: nam & illi, ſpeciatim verò fratres Domini, & Cephas in collegio potiores, alieno peculio victum tranſigebant, & mulieres circumducebant, ex quarum facultatibus Chriſti exemplo neceſſaria recipiebant. Si igitur victum quotidianum, & veſtitum, quæ recipere Chriſti inſtituto dumtaxat iis licuit, diſcipulorum largitionibus recipiebant: rectè ſequitur eos nihil tum etiam in communi habuiſſe: nam ſi victus, & veſtitus ad proprium eorum ſpectare ius aſtruatur, non erit illud commune: ſed particulare cuiuſuis indumento vtentis, & victum ſumentis. Neque in vniuerſum vllum prætendi poteſt fundamentum aſtruendi paupertatem in particulari, magis quàm in communi obſeruatam fuiſſe, aut tum, aut aliàs ab Apoſtolis: prætereo, quod ridiculum videtur contendere, hoſpitem in aliena menſa ſuo, & non inuitantis pane veſci, aut eius rei dominum ex vſu fori propriâ vocabuli ſignificatione dici, quam nec defendere, nec repetere, nec auferenti retinere, nec iudicio pro eâdem contendere poteſt dictus poſſeſſor. Videatur porrò quod etiam circa tunicam, & pallium ordinauit Chriſtus in monte, dum perfectionis regulas dictaret, quid eius exemplo ipſe gentium Doctor Paulus vniuerſim in hoc aſſerat, quæ ſuperiùs primo argumento à nobis ſunt annotata.

Reſpondeo ſecundò laborem manualem non ideo adhibuiſſe prædicationi Apoſtolorum, quod alioquin perfectioni derogaret, citra laborem ſumptus à diſcipulis accipere: ſed ob cauſas particulares, & offenſiones, quæ dictis in locis offerebantur & Euangelio obſtabant. Non legitur porrò Chriſtus vnquam labore manuum victitaſſe: ſummum tamen in perfectione gradum, qui in prædicatore ſancti Euangelij deſiderari aut requiri, aut haberi poteſt, exemplo ſuo monſtraſſe conſtat, vt qui euangelizare pauperibus miſſus, & Euangeliſtæ officiis ſatisfaciens, ſeipſum prædicatoribus ducem, magiſtrum, & exemplar

Athanaſ. de interpreta- tion. Pſalm. ad Marc.

præbuit ſequendum. *Neque eſt, vt quiſpiam inueniat perfectiorem virtutis diſciplinam, quàm eam, quam Dominus exhibuit in ſemetipſo*, &c. Nemo igitur ſanè dixerit Apoſtolum Paulum meliorem, perfectioremque Euangelij prædicandi viam inueniſſe, aut ſecurum fuiſſe, quàm inuenit Chriſtus, aut ij etiam, quorum exempla velut in legem præſcripta, adducit hoc ipſo loco, ſuæ aſſertionis teſtimonium, & firmamentum. Aduertendum inſuper eam à Patribus, & Doctoribus aſſignari rationem, cur ex Euangelio, & ſumptibus diſcipulorum viuendum Chriſtus ordinauit, vt omnem, ſcilicet, ipſius etiam victus, ſolicitudinem euacuaret, & quàm longè abeſſe iuberet, non tam quæſtus, & negotiationis pondus, quàm leuiores cogitantis ſenſus occupationes, ne mentem à terrenis feriantem, ad curas, à ſancto otio, vel minimum auocarent, aut ſtudium prædicationis interpellaret ſolicita annonæ prouiſio, & miniſterium. *Non eſt æquum*, inquiunt Apoſtoli, *nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis*, &c. Actor. 6. Caſus ergo, & peculiaris dictorum locorum conditio Paulo laborem indixit, non autem conſuetudo, vt ex ipſo manifeſtâ ratione probare licet. Totus enim diſcurſus eò tendit, vt in licitis alioquin, infirmorum parcatur ſcandalo, idque ſuo exemplo proponit ſequendum Corinthiis, qui poteſtate ex Euangelio viuendi, hoc eſt, ſumptibus diſcipulorum, non eſt vſus, ne quod offendiculum poneret Euangelio: *Sed non vſi ſumus*, inquit, *hac poteſtate. ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Chriſti*. Sed quid offendiculi erat? nemo certius docet, quàm ipſe Apoſtolus 2. ad Corinth. 11. *Quod autem facio, & faciam* (id eſt, non accipiens ſumptus ab aliis) *vt amputem occaſionem eorum, qui volunt occaſionem, vt in quo gloriantur, inueniantur ſicut & nos. Nam eiuſmodi pſeudo Apoſtoli ſunt operarij ſubdoli transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti*, &c. Hic locus triplicem admittit interpretationem; vel enim innuit pſeudo Apoſtolos ſpe, & affectu lucri ſolùm prædicaſſe, quod per alia Apoſtoli verba ſignificari videtur, ac proinde dum hoc reſcinderet ſuo exemplo Paulus nihil recipiens, illi deſiſterent à prædicatione. Vel quia gloriabantur ſe ex Euangelio viuere, imitantes Apoſtolos, cùm reipſa lucra ſectarentur, & hunc etiam abuſum, ſeu grauamen tollere voluit Apoſtolus, ne ob auaritiam Corinthij refugerent fidem. Vel tertiò denique quia pſeudo Apoſtoli illi ſuis ſumptibus gloriabantur prædicaſſe Euangelium, ita vt nemini eſſent oneri aliquid recipientes, quaſi per hoc perſtringerent veros Euangeliſtas, qui ſumptibus diſcipulorum neceſſaria recipiebant; ac proinde, vt hæc etiam tolleretur offenſio, Paulus labore manuum ſumptus facere voluit, dum aliunde non ſuppeteret. Sed quod propoſito noſtro facit, conſiderandum ex hoc ipſo intentum ſequi, cùm tam pauper fuerit Paulus, & qui cum illo erant, vt aliunde non ſuppeteret neceſſarius victus, niſi vel à diſcipulis, vel opere manuum compararent, ex quo manifeſtum eſt nulla tum eos habuiſſe in communi poſſeſſione bona.

Triplex ſenſus.

Reſpondeo tertiò nec tum etiam Apoſtolum vixiſſe ex ſolo opere manuali: ſed ex liberalitate diſcipulorum, quamuis à Corinthiis nihil acceperit:

acceperit: ipſe nobis teſtis eſt 2. ad Corinth. 11. *Aut nunquid*, inquit, *peccatum feci meipſum humilians, vt vos exaltemini? quoniam gratis Euangelium Dei euangelizaui vobis? alias Eccleſias expoliaui, accipiens ſtipendium ad miniſterium veſtrum: & cùm eſſem apud vos, & egerem: nulli oneroſus fui, nam quod mihi deerat ſuppleuerunt fratres, qui venerunt à Macedonia, & in omnibus ſine onere me vobis ſeruaui, & ſeruabo*, &c. Non ergo ex præſcripta conſuetudine Paulus Corinthi laborauit; aut quia non voluerit ſumptus à diſcipulis, ſicut & cæteri Apoſtoli, accipere, ſed ob infirmitatem Corinthiorum, alioquin non diceret ſe reliquas Eccleſias in eorum gratiam expoliaſſe, & fratres à Macedonia venientes ſuppleſſe ea, quæ ei deerant. Item in fine concludens epiſtolam per varias ſalutationes, refert ſe hoſpitari apud Aquilam & Priſcillam. Item ad Rom. 16. Pheben commendans dicit eam multis, & ſibi aſtitiſſe, vocat & Caium ſuum hoſpitem. Ex dictis igitur colligitur nunc labore manuum, nunc ex liberalitate diſcipulorum ſumptus accepiſſe: Siue autem ſic, ſiue ſic, eius vita in exemplum trahatur, præiudicium non facit noſtræ ſententiæ, cùm vtroque modo Apoſtolicam, & Euangelicam paupertatem obſeruaſſe probatum ſit nihil admittens præter victum & veſtitum, 1. ad Timoth. 6. *Nihil enim*, inquit, *intulimus in hunc mundum, haud dubiũ quod nec auferre quid poſſumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſumus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem*, &c. Ita vixerunt cæteri Apoſtoli, ita ipſe Chriſtus. Quidni ergo & Paulus, qui ſe dicit imitatorem Chriſti, 1. ad Corinth. 11. *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti?*

Cur Paulus manibus laborauit.

Eius paupertas.

Nonus locus.

Nonus locus 2. ad Corinth. 6. *In omnibus exhibeamus noſmetipſos, ſicut Dei miniſtros*, &c. *Sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes*, &c. Quo loco ſermo eſt de Apoſtolis.

Chryſoſtomus in 2. ad Corinth. homil. 12. ſuper præmiſſis. *Quidam autem*, inquit, *hoc loco de ſpiritualibus opibus verba haberi. Ego autem de iis quoque quæ ad carnem attinent Paulum loqui affirmem: Nam & hi nouo quidem modo præditi erant, vt quibus piorum omnium ædes paterent. Atque hoc perſpicuum fecit, ex eo, quod deinceps ait, tanquam nihil habentes. & omnia poſſidentes, & quî fieri poteſt, inquies? Imo qui contrarium fieri poteſt? nam qui multa poſſidet, & retinet, nihil habet: qui autem nihil habet, omnia poſſidet*, &c. *Quod ſi miraris quonam modo fiat, vt qui rebus omnibus careat, cuncta habeat, hunc ipſum Paulum in medium adducamus, qui orbi terrarum pro poteſtate imperabat, cuique non in ipſorum tantùm pecunias, ſed in oculos quoque ip*[illegible]*rbitrium erat*, &c. & infrà: *Quænam ergo ea omnia erant, quæ Paulus poſſidebat, cùm diceret, tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes? Mundana & ſpiritualia. Qui enim hoc adeptus erat, vt eum vrbes velut Angelum exciperent, pro eo effoſſos oculos tradere, pro eo ceruices ſuas exponere parati eſſent, an non ille omnia eorum*

Chryſoſt.

Quomodo poſſederint Apoſtoli?

bona poſſidebat? Quod ſi ſpiritualia quoque perſpicere libet, videbis eum in iis quoque maximè copioſum ac locupletem, &c.

Ambroſ. Ambroſius. *(Vt pauperes, multos autem ditantes) quantum ad præſentem vitam pertinet, pauperes videbantur: ſed ſpiritales diuitias credentibus largiebantur, egeni in terris, in cœlis diuites (vt nihil habentes, omnia autem poſſidentes) hoc fuit in Apoſtolis glorioſum, vt ſine ſolicitudine & nomine poſſidendi non ſolùm ea, quæ in poſſeſſionibus erant, ſed & ipſos eorum dominos poſſiderent. Omnia enim neceſſe erat ante eorum poni pedes cauſa virtutum, ſicut legimus in Actibus Apoſtolorum,* &c. Vide Bedam ſuper eadem verba, Auguſt. in Pſal. 48. verſ. *Simul in vnum pauper & diues.*

Anſelmus. Caiet. Anſelmum vel quicumque eſt author ſuper epiſtolam Pauli loco citato. Caietanus; *Sicut egentes, ſeu pauperes, ſeu inopes,* &c. *Et dicit, tanquam non ad excludendum veram, ſed neceſſariam paupertatem: Significatur enim, quod non occupamur paupertate, ſed aſſumimus ſtatum pauperum, quod ſimiles nos facimus illis, qui ex neceſſitate ſunt pauperes. Multos autem locupletantes,* &c. *Ad litteram eſt ſermo de diuitiis ſpiritualibus,* &c. *Tanquam nihil habentes, hoc plus eſt, quam tanquam pauperes, aſſimilamur voluntariè illis, qui nihil habent, vtpote qui omnia reliquimus, & ſequimur Chriſtum,* &c.

S. Thom. S. Thomas ibidem. *Siniſtrum autem in hoc eſt, quòd homo ſit ita pauper, quòd oportet eum ab aliis mendicare. Et ideo dicit, quod in his temporibus ſumus multos locupletantes,* &c. *Secundum eſt in comparatione ad ſeipſos, & ſecundum proſperum in diuitiis eſt multa poſſidere, ſiniſtrum autem vt nihil penitus habeat, & quantum ad hoc dicit, quod in exterioribus ſunt, tanquam nihil habentes ſcilicet in temporalibus, quia omnia dimiſerunt propter Chriſtum,* Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe; vade & vende omnia quæ habes,* &c. *Sed in ſpiritualibus omnia poſſidentes, ſcilicet per interiorem magnitudinem cordis. Et hoc ideo eſt, quia ipſi viuebant non ſibi, ſed Chriſto, & ideo omnia, quæ ſunt Chriſti reputabant vt ſua,* &c.

Gloſſa. Ambroſ. Lyranus. Gloſſa ſuper illa; *Omnia poſſidentes. Qui terrenas diuitias abiicientes cœleſtes per fidem tenent, quaſi nihil habentes omnia poſſidentes,* &c. Subiicit verba Ambroſ. ſuperius expreſſa. Lyranus eodem modo interpretatur.

Theodor. Theodoretus: *Cùm enim dixiſſet, vt mendici, non ſubiunxit, neceſſariis autem abundantes: ſed, multos autem locupletantes, ab omnibus enim pecuniam colligens, mittebat ad pauperes: & qui nihil habebat, cuiuſuis pia domus erat Dominus,* &c.

Theoph. Theophylactus. *Tanquam mendici, multos autem ditantes,* &c. *Opibus ſpiritualibus multos locupletes reddebat, diuitiis externis non deſtituebantur; etenim omnium ædes ſibi apertas habens, opulentiſſimus erat, quippe qui aliis impertiri poſſet, eóſque alere, perinde ac ſanctos in Ieruſalem. Indicat autem hoc per ſequentia, tanquam nihil habentes & omnia poſſidentes. Qui enim nulli rerum temporalium ad victum, & amictum pertinentium, affixus eſt, quæ omnium ſunt, habet. Si fieri poſſet,* inquit, *oculos veſtros effoſſos mihi dediſſetis, quomodo ergo huiuſmodi pecuniis pepercíſſent erga Paulum?*

Paulum? Ecce vt hi nihil habuiſſe Paulum affirment præter domos, & bona diſcipulorum, in quibus ſolùm diues erat, in ſe verò pauper & mendicus.

Remigius Rhemenſis. *Quaſi egentes videbantur diuitiis iſtius ſeculi, ſed abundabant diuitiis ſpiritualibus in prædicatione, & miraculis, ex quibus locupletabant alios,* &c. Aliam ſubiungit item interpretationem conformem præcedentibus, intelligens Paulum locupletaſſe alios in temporalibus, quia eleemoſynas mittebat ad ſanctos in Ieruſalem collectas à diſcipulis. Item infrà. *Tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes. Vel tanquam nihil habebant,* inquit, *quia non habebant prædia, non aurum, non argentum, non ſeruos, aut ancillas, & tamen omnia poſſidebant iſta in poſſeſſoribus eorum, quos ſibi per prædicationis arma, & virtutem miraculorum ſubiugauerant; in poſſeſſoribus etenim omnia poſſidebant poſſeſſorum,* &c. *Poſſumus etiam dicere, quia in hoc ſæculo Apoſtoli quaſi nihil habentes erant, ſed in capite ſuo Chriſto omnia poſſidebant,* &c. Alij etiam ad eundem modum explicant illud cap. 4. *Aporiamur, ſed non deſtituimur,* &c. *Aporos enim Græcè* (inquit D. Thomas lect. 3.) *Latinè dicitur pauper, q. d. adeò pauperes ſumus, vt neceſſaria deſint,* &c. Remigius. D. Thom.

Theophylact. ſic legit; *Indigentes. ſed non planè deſtituti: hoc eſt, ad penuriam, & egeſtatem incidentes; verumtamen recti conſiſtentes in deſperationem non deuoluimur, neque vincimur, ceterùm in Deo inuenimus opes, atque vincimus,* &c. Theoph.

Remigius. *Aporiamur, id eſt, conuitiamur, & improperia ſuſtinemus; vel quod melius eſt, quaſi pauperes abiicimur, ſed non deſtituimur, id eſt, non derelinquimur à Deo, ſed poſiti in paupertate, & inopià adeſt nobis paſtor Deus. Aporos Græco vocabulo Latinè dicitur pauper, inde aporiare propriè ſignificat pauperem abiicere,* &c. Remigius.

Sed & ſuam, & aliorum Apoſtolorum pauperiem rectè oſtendit Paulus 1. ad Corinth. 4. *Vſque in hanc horam,* inquit, *& eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus,* &c. Quæ verba magnæ egeſtatis ſunt ſymbola, ſicut & quæ ſequuntur. Item 2. ad Corinth. 11. de ſeipſo ita Paulus. *In labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate,* &c. Hæc omnia maximam ſpirant paupertatem. Concludamus ergo Paulum nihilo ditiorem extitiſſe inter gentes quàm alij fuerint inter Iudæos: omnes autem egentes ſeu mendicos (vt verbi Græci ſonat proprietas πτωχοὶ) & nihil habentes fuiſſe teſtatur, quod eſt intentum.

Decimus locus.

Decimus locus 2. ad Corinth. 8. *Scitis enim gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet diues, vt illius inopiâ vos diuites eſſetis,* &c. Suadet Paulus Corinthiis, vt ſubueniant ſanctis pauperibus, qui erant Ieroſolymis, primò eis proponens exemplum Macedonum, ſecundò Chriſti Domini, qui cùm diues eſſet, factus eſt egenus (ſeu mendicus, vt Græca dictio habet ἐπτώχευσε, id eſt,

mendicauit) vt eius inopiâ vos diuites eſſetis, ſupple, in ſpiritualibus. Teſtis ergo eſt Paulus Chriſtum non modò paupertatem, ſed mendicitatem, quæ extrema eſt indigentia, aſſumpſiſſe.

Remigius. Remigius. *Egenus factus eſt, & pauper in tantum, vt non haberet, quod habent vulpes*, &c.

Theodor. Theodoretus ibidem; *Reſpicite enim ad vniuerſorum effectorem, & Dominum vnigenitum Dei filium, qui cauſa noſtra ſalutis extremam paupertatem ſuſcepit, quæ ex paupertate oriuntur, nobis diuitias procurans*, &c.

S.Thom. S. Thomas. *Et dicit egenus, quod plus eſt, quàm pauper. Nam egenus dicitur ille, qui non ſolùm parum habet, ſed qui indiget, ſeu eget; pauper verò ille, qui parum habet. Ad ſignificandum ergo maiorem paupertatem, dicitur egenus factus eſt, ſcilicet in temporalibus*, Luc. 9. *Filius hominis non habet*, &c. ſupple, vbi reclinet caput ſuum. Vide, quæ ſequuntur.

Caietan. Caietanus. *Egenus factus eſt vſque adeo, vt vulpes foueas habeant, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habuerit, vbi reclinaret caput ſuum. Quum eſſet diues, vtpote Dominus omnium diuitiarum mundi; noluit Ieſus vti dominio, quod habebat ſuper omnes diuitias: ſed aſſumpſit ſtatum pauperem*, &c.

Primaſius. Primaſius ibidem. *Scitis enim gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti: non enim ignoratis illum propter vos pauperem factum, qui vniuerſorum erat factor, Dominus: vt eius gratia bonis cœleſtibus ditaremini. Si ergo ille propter vos omnia ſua contempſit, quanto magis vos propter vos dare debetis parua, non veſtra, imò ſua ei reſtituere? ipſi enim datur, quidquid eius cauſa porrigitur*, &c.

Beda. Gloſſa. Lyranus. Anſelm. Adiungi poteſt Beda, Gloſſa ordinaria, Lyranus, Anſelmus, ſeu author Commentarij in epiſtolas Pauli, qui inter ipſius habetur opera. Ex hoc ergo loco Chriſtum Dominum extremum paupertatis genus, ipſam tandem mendicitatem, aſſumpſiſſe, Paulo Doctore, & Magiſtro, didicimus. Concludamus ergo verum docuiſſe tam Nicolaum Papam, quàm eius fideles diſcipulos Franciſcanos in Capitulo Peruſino, Chriſtum ſcilicet, & Apoſtolos nihil habuiſſe aliquando, imò & ordinarium eis viuendi ſtatum, magiſque familiarem fuiſſe proprio carere, ex alieno viuere. Obiectiones autem aduerſariorum contra præmiſſa non militant, ideo conſultò eas omiſimus, inferiùs peculiari capite reſponſuri, interim pergamus ad ſanctos Patres.

CAPVT IV.

Confirmatur determinatio Nicolai Papæ, & Capituli Peruſini ex ſanctorum Patrum ſententia.

QVantumuis præmiſſo capite ſenſum Patrum manifeſtet interpretatio adiuncta locis ſcripturæ, non pigebit tamen, hîc ſeorſim eorum

eorum authoritates, ex abundanti congerere, quo minus oblatret quiſpiam in tam varia, & perſpicua varitatis confeſſione.

Patres Græci.

Nazianzenus orat. 42. *Simili modo, ſi quis diſcipulus ad prædicandum Euangelium mittitur, frugalitati ac ſimplicitati ſtudeat, quippe præter id, quod nec æs, nec baculum, nec duplicem tunicam habens, etiam nudis pedibus iter facere oporteat, vt pulchri pedes euangelizantium pacem atque omne bonum appareant*, &c. In his verbis alludit ſanctus ad Chriſti præceptum Matth. 10. Luc. 9. & 10. Mar. 6.

Idem in carmine Iambico de virtute Apoſtolorum, electionem, & miſſionem ad prædicandum, ita deſcribit; Luc. 9.

Legiſſet inops, cúmque præcones ſacri
Sermonis, his dat vnicam comitem fidem.
Nudis quibus non eſſet æs, non calcei
Non pera; nec opes, maximum myſterium
Totius orbis in manus tradens noui
Nec ferre baculum, vel leuem hos ſinens manu,
Infirmitas vt dogmati aſtrueret fidem.
Quod maius audi: Poſtulanti quomodo
Perfectus eſſe poſſet, adoleſcentulo Matth. 19.
Virtutis arcem finit haud ipſe altera
Vlla re, egenis cuncta, quam ſi protinus
Diſpergat, humeris ſemper & geſtet crucem,
Ipſumque, rebus mortuus terra omnibus
Sequatur, aueat cum Deo, ſi ſubuehi, &c.

Vide ipſum orat 41. vbi ait Chriſtum factum mendicum.

S. Ephrem de Monachis, ac Turture. *Non enim*, inquit, *poſſibile eſt Deo ſeruire, & Mammonæ, inquit Dominus, & ipſi quidem Apoſtoli, cùm interrogaſſent Magiſtrum ſuum dicentes; ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: non amplius ipſo relicto abierunt in mundum, neque conuerſi ſunt retrorſum, videlicet ad ſæculi diuitias*, &c. S. Ephrem.

S. Baſilius in moral. Reg. 70. cap. 28. ita habet; *Quod non debet, cui traditum eſt munus Euangelij, aliquid plus poſſidere, quàm quantum naturalis vſus deſiderat.* Baſilius

Nolite poſſidere aurum, neque pecuniam in zonis veſtris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam, dignus eſt enim operarius cibo ſuo, nihil tuleris in via neque virgam, neque peram neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Argentum, aut aurum aut veſtem nullius concupiui. Nemo militans implicat ſe negociis ſecularibus. vt ei placeat, qui ſe probauit, &c.

Euſebius de præparatione Euangelica lib. 3. cap. 7. *Mores quoque eorundem* (ſupple, Apoſtolorum) *à cupiditate omnis generis, pecuniæ alienos quis non obſtupeſcat? qui hoc quoque conceſſerint ex eo, quod non fugerint, ſed ſecuti ſint præceptorem, qui ipſos poſſidendo auro atque argento* Euſebius.

deterruerit : legémque fixerit, vt ne vſque ad duas quidem tunicas rem ſuam augerent, quod quidem vel auditu intolerabile cuipiam videatur ob grauitatem imperij, at illos etiam reipſa compleuiſſe, quod dictum eſt, conſtat. Ergo quodam tempore, cùm quidam claudus à Petro, & ab aliis, qui circum Petrum erant, aliquid poſtularet (hic porrò vnus erat eorum, qui ob extremam inopiam victum mendicabant) non habens Petrus, quid daret, confeſſus eſt ab omni ſe poſſeſſione auri, atque argenti abhorrere, his quidem verbis : Argentum, & aurum non eſt mihi, quod autem habeo hoc tibi do: in nomine Ieſu Chriſti ſurge & ambula, &c.

Epiphan. Epiphanius contra hær. lib. 2. tom. 1. hæreſ. 61. agens de Apoſtolicis loquitur de diuerſis Eccleſiæ ſtatibus. *Habet*, inquit, (ſupple, Eccleſia) *qui renunciauerunt mundo, & non inflantur contra eos, qui adhuc in mundo ſunt : ſed gaudentes talibus velut etiam Apoſtoli, qui & ipſi nihil poſſidebant. Et ipſe Saluator omnium Dominus cùm in carne eſſet, nihil in terra poſſedit, ſed non reiecit mulieres ipſi, & diſcipulis eius miniſtrantes : dicit enim, quæ ſequutæ fuerant ipſum à Galilæa miniſtrantes ipſi, & diſcipulis eius de propriis bonis : alioqui quomodo implebitur id quod dictum eſt*, &c.

Idem tom. 2. lib. 2. de hæreſi Manichæi ad eius reſpondens obiectionem, quæ talis eſt ; *Vetus teſtamentum dixit, meum eſt aurum, & meum argentum : nouum verò teſtamentum dicit, Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Cui reſpondet Epiphanius : *At non nouit* (ſupple, Manichæus) *quod vetus rurſus dicit, diues & pauper alter alteri obuiam venit, Dominus autem vtroſque fecit ; & nouum teſtamentum eidem conſenſit beatos quidem prædicans pauperes, naturâ pauperes, aliquando verò pauperes ſpiritu, vt vtroſque exæquet, quod & glorians Petrus veram paupertatem oſtendit, dum ait : Argentum & aurum non eſt mihi, quod habeo hoc tibi do*, &c.

Chryſoſt. Chryſoſtomus pluribus in locis aſſertor eſt huius paupertatis, vt ex capite præcedenti patet : aliqua nihilominus eius teſtimonia hîc ſubiungam hom. 33. in Matth. ſuper illa verba ; *Non poſſideatis aurum*, &c.

Non poſſideatis aurum, neque argentum dixit, neque pecunias in zonis veſtris, &c. *non dixit, non accipiatis vobiſcum, ſed non poſſideatis, vt ſi & aliunde ſumere poſſint, recuſarent tamen, ac pernicioſam hanc ægritudinem fugerent, quo quidem præcepto multa profectò complectitur commoda, primùm, vt nulla de diſcipulis poſſit eſſe ſuſpicio : deinde ab omni ſæculari cura ſic ipſos liberos reddit, vt prædicationi ſolùm vacare poſſint: ad hæc immenſam ſuam potentiam ipſis patefecit, quod & poſteà commemorauit dicens : nunquid vobis tunc aliquid defuit, quando vos nudos & abſque calceis miſi*, &c. & infra.

Sed, inquies, cætera quidem non abſque ratione certa dicta eſſe : quid autem vt peram non habeant in viam, nec duas tunicas, nec virgam, nec calceos ? quanam de cauſa eis iniunxit ? exactiſſimè certè ſublimioris vitæ fundamenta voluit iacere : ſic & in ſuperioribus nullam de craſtino die curam ipſos habere conatur : nam cùm ad vniuerſi terrarum orbis magiſterium

rium ipſos miſſurus eſſet, non incuriâ ad Angelicam, vt ita dixerim, diſciplinam ex humana vita traducit, ab omni cura rerum ſecularium liberos reddens, vt vni rei, prædicationi videlicet Euangelij ſolummodò vacarent, &c. *Nulla enim res tranquillitatem animi magis, gaudiumque ſolet efficere, quâm ſi omnem curam, & ſolicitudinem depoſueris, præſertim cùm liceat ipſis huiuſmodi ſolicitudine liberis nihil detrimenti accipere, Deo videlicet præſente, atque abunde ipſis omnia ſuppeditante. Deinde ne dicant, vnde quæ ad vitam neceſſaria ſunt, conſequemur? non adduxit in medium, quod aliàs eis dixerat. Inſpicite volucres cœli, nondum enim poterant reipſa hoc præceptum præſtare, ſed quod multò eſt minus adducit dicens; dignus eſt enim operarius cibo ſuo. Vnde perſpicuum eſt à diſcipulis ipſos eſſe alendos, ne aut ipſi aduerſus eos, quos docebant, quaſi omnia præbentes, & nihil viciſſim accipientes inſurgerent, aut illi, qui audirent quaſi neglecti, aut ſpreti decederent, ac ne eos pudeat, qui quaſi mendicando viuere ipſos volebat, operarios vocauit: & quod eis dabatur, mercedem appellauit, vt rem debitam dari ſibi oſtenderet, nam etſi verbis ſolùm operari videbantur, res tamen erat non parui laboris, & beneficia collata non parua, quare, quod Apoſtolis dabatur, non gratis offerebatur, ſed ad retributionem beneficiorum: dignus eſt enim operarius cibo ſuo, non quia tanti ſolummodo labores illi Apoſtolici fuerunt, abſit. Nequaquam enim hoc cogitandum eſt, ſed propterea iſtud ita ordinauit, ne Apoſtoli plus aliquid quærant, & qui ipſis neceſſaria miniſtrabant, nullâ iactatione liberalitatis tumerent ſi debitum perſoluebant,* &c. quid clarius?

Idem hom. 25. in illa. *Nolite ergo ſolliciti eſſe in craſtinum: craſtinus enim dies ſollicitus erit ſibi ipſi,* &c. Matth. 6. *Quod verò ait craſtinus dies ſollicitus erit ſibi ipſi, non ipſum prorſus diem aliquid curare dixit, ſed quia etiam ad imperfectum vulgus ei ſermo eſt, volens expreſſius eſſe, quod protulit, perſonam quandam adſcripſit tempori, iuxta multorum profectò ad illos morem locutus, idipſum autem hic ſuadet conſilio, quod ad altiora progreſſus ſanxit. Nolite, inquit, poſſidere aurum, neque argentum, neque peram in via, poſtquam enim hæc ipſa operibus oſtendit, tunc etiam verbis firmiora præcepta conſtituit, vnde etiam receptu facilis ſermo effectus eſt, quia ſcilicet operibus eius fuerat ante firmatus. Vbi hoc ergo per opera monſtrauit? audi ipſum loquentem; filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet. Neque hoc tamen ſolùm dixiſſe contentus eſt, verùm in diſcipulis quoque virtutis huius præſtat ſplendoris documentum, nam & cùm ipſos ad huiuſmodi inopiam coarctaſſet, nullo eos indigere permiſit,* &c.

Idem homil. 64. in illa; *Si vis perfectus eſſe*, videri poteſt. Item ſuper illa. *Difficile in regnum cœlorum diuites intrabunt. Cur autem,* inquit, *diſcipulis adeo pauperibus, vt nihil prorſus haberent hæc dicit? ſanè vt eos erudiret, ne pudori paupertatem ſibi putarent, & quaſi reſpondeat, quamobrem nihil habere eos permiſerit,* &c. Item ſuper illa, *Ecce nos reliquimus omnia,* hom. 65. Item in Acta Apoſtolorum hom. 8. in illa cap. 3. *Argentum & aurum*, &c. *Argentum*, inquit, *& aurum non eſt mihi: non dicit, non habeo hîc, qualia nos dicimus, ſed prorſus non habeo,* &c.

Gregorius

Gregor. Nyſſenus. Gregorius Nyſſenus lib. de beatitudinibus orat. 1. in fine ita habet: *Nec tamen alteram frater, paupertatis rationem reiicias, quæ cœleſtium diuitiarum conciliatrix eſt. Vende,* inquit, *omnes tuas facultates, & da pauperibus, & veni, & ſequere me, & habebis theſaurum in cœlis. Etenim eiuſmodi paupertas non videtur mihi diſcrepare ab ea egeſtate, quæ beata indicatur. Ecce omnibus quæcumque habebamus, relictis ſequuti ſumus te, inquit diſcipulus ad Dominum, quid igitur erit nobis? & quod eſt reſponſum? Beati pauperes ſpiritu, quoniam eorum eſt regnum cælorum. Vis ſcire, quis pauper ſpiritu ſit? qui corporalem opulentiam animæ diuitiis permutat, qui propter ſpiritum egenus eſt, qui terrenas diuitias veluti quoddam onus excuſſit, & abiecit,* &c. & infra. *Qui pauperi impertitus fuerit, in partem eius, qui propter nos pauper fuit, ſeipſum conſtituet egenus fuit Dominus, ne tu quidem metuas egeſtatem. Verùm regnum obtinebit omnis creaturæ, qui propter nos egenus fuit. Ergo ſi cum eo, qui egenus fuit, vnà pauper eris, cum regnante quoque vnà regnabis,* &c. Videri etiam poteſt Origenes tract. 8. & 9. in Matth.

Theodoretus. Theodoretus in 2. ad Corint. 8. *Reſpicite enim ad vniuerſorum effectorem, & Dominum vnigenitum Dei filium, qui cauſa noſtræ ſalutis extremam paupertatem ſuſcepit, quæ ex paupertate oriuntur nobis diuitias procurans,* &c. & infra. *Perfectionem quidem definit Dominus omni ex parte perfecto pecuniæ contemptu, & voluntariâ paupertate: docuit tamen, quod etiam abſque perfectione poteſt quiſpiam æternam vitam conſequi; ab adoleſcente enim interrogatus, quid faciens vitam æternam poſſidebo? perfectionis doctrinam non ei ſtatim tradidit, ſed alia præcepta in memoriam reuocat, cùm autem ille dixiſſet ſe omnia impleſſe, tunc vt à curis remotam, & poſſeſſionibus carentem vitam ſequeretur, hortatus eſt,* &c. Item 1. ad Corinth. 9. *Illud autem ſororem mulierem circunducendi, quidam ita ſunt interpretati, quòd quemadmodum Dominum ſequebantur fideles mulieres; neceſſarium alimentum diſcipulis ſuppeditantes: ita etiam aliquos ex Apoſtolis ſequebantur aliquæ ardentiorem fidem oſtendentes, & ab eorum doctrina pendentes, & diuinam prædicationem adiuuantes,* &c.

Euthymius. Euthymius in Pſalm. 21. in illa; *Pauper & dolens ſum ego. Summus Rex Regum Chriſtus, de pauperima matre natus eſt non in domo aliqua ſed in ſpelunca: poſituſque non in lecto, ſed in irrationalium animalium præſepio, viliſſimis ac contemptibilibus pannis induebatur, nulloque comitatus ſeruo circumibat, atque ipſo etiam carebat tugurio, & ab aliis alimenta ei præſtabantur,* &c. Vide eundem in Euangelia pluribus in locis differentem de Apoſtolorum & Chriſti Domini paupertate.

Theoph. Theophylactus ſuper illa Lucæ 10. *Edentes, & bibentes quæ apud illos ſunt,* &c. *Vide,* inquit, *qualiter diſcipulos mendicare inſtituit, & pretio eos alimentum habere noluit,* &c. Vide eundem in antecedentibus, & ſuper cap. 9. & in Matth. & Marc.

Idem in 1. ad Corinth. 9. ſuper illa. *Non habemus poteſtatem,* &c. *Diuites fœminæ comitabantur Apoſtolos, vt ſuppeditarent eis neceſſaria, omnes illis ſecuritatem horum cauſâ parantes, vt ſoli Euangelij prædicationi vacarent,* &c. Item ad Galat. 6. in illa, (*communicet autem, qui inſtruitur verbo*)

verbo,) ita quærit; *Cuius autem rei gratiâ Doctores Chriſtus à diſcipulis ali conſtituit? propter duo hæc, ne magiſtri extollantur nimium, ſed tanquam diſcipulis egentes moderatè ſapiant, vtque ſoli verbo vacent, nec alimenti nomine circumagantur.* &c.

Hæc adduxiſſe ex Patribus Græcis ſufficiat. Locutiones autem tam manifeſtæ ſunt, vt expoſitore non indigeant, ac proinde ſuperuacaneum cenſeam circa earum ſenſum hærere, aut manifeſtiſſimum otioſo conatu bellè manifeſtiorem reddere, ne dum officioſus eſſe cupiam, ſuperfluus, & grauis inueniar, ipſamque veritatem non neceſſariis æquè diſpoſitis præſidiis, non tam defenſam, ac tutam quàm inacceſſibilem faciam. Eodem ergo ſtylo ſubiungemus Patres Latinos, quo vtrumque ſanctuarij latus ſacer Senatus vnanimi coniungat choro, vitæque Chriſti exempla ſuo promulget teſtimonio commendata.

Patres Latini.

Tertullianus aduerſus Marcionem cap. 21. *Dimittit diſcipulos ad prædicandum Dei regnum: nunquid vel hic edidit enim prohibet eos victui aut veſtitui, quid in viam ferre? Quis hoc mandaſſet, niſi qui & coruos alit & flores agri veſtit. Qui boui quoque terenti libertatem oris ad veniam pabuli ex opere ſummouendi ante præcepit; quia dignus eſt operarius mercede ſuâ,* &c. Tertullian.

Idem lib. de idololatria cap. 18. *Ille Dominus in humilitate, & ignobilitate inceſſit domicilio incertus: nam filius, inquit, hominis non habet vbi caput ſuum collocet, veſtitu incultus, neque enim dixiſſet; Ecce qui teneris veſtiuntur in domibus Regum ſunt. Vultu denique, & aſpectu inglorius, ſicut & Eſaias pronunciauerat. Si poteſtatem quoque nullam ne in ſuos quidem exercuit, quibus ſordido miniſterio functus eſt: Si Regem ſe denique fieri conſcius ſui regni, refugit, pleniſſimè dedit formam ſuis dirigendo omni faſtigio, & ſuggeſtu tam dignitatis, quàm poteſtatis. Quis enim magis his vſus fuiſſet, quam Dei filius, quales, & quanti eum faſces producerent, qualis purpura de humeris eius floreret, quale aurum de capite radiaret, niſi gloriam ſæculi alienam & ſibi, & ſuis iudicaſſet, igitur quæ noluit, reiecit; quæ reiecit, damnauit; quæ damnauit, in pompa diaboli deputauit. Non enim damnaſſet niſi non ſua: alterius autem eſſe non poſſent, niſi diaboli, quæ Dei non ſunt,* &c.

Idem aduerſus Marcion. lib. 4. cap. 19. *Quod diuites Chriſto mulieres adhærebant, quæ & de facultatibus ſuis miniſtrabant ei, inter quas & vxor Regis procuratoris, de prophetia eſt. Has enim vocabat per Iſaiam: Mulieres diuites exurgite, & audite vocem meam: vt diſcipulas primò, dehinc vt operarias, & miniſtras oſtenderet. Filiæ in ſpe audite ſermones meos, dies anni mementote cum labore in ſpe: cum labore enim quo ſequebantur, & ob ſpem miniſtrabant.* &c.

S. Cyprianus de opere & eleemoſynis, aliquantulum poſt initium. *Itaque in Euangelio Dominus Doctor vitæ noſtræ, & magiſter ſalutis* S.Cyprian.

æternæ, viuificans credentium populum, & viuificatis conſulens in æternum, inter ſua mandata diuina, & præcepta cœleſtia nihil crebrius mandat, & præcipit, quàm vt inſiſtamus eleemoſynis dandis: nec terrenis poſſeſſionibus incubemus. ſed cœleſtes theſauros potius recondamus. Vendite, inquit, *res veſtras, & date eleemoſynam*, &c. & infra. *Et cùm obſeruatâ lege perfectum, & conſummatum vellet oſtendere; ſi vis, inquit, perfectus eſſe, vade, & vende omnia tua, & da egenis, & habebis theſaurum in cœlo, & veni ſequere me. Item alio loco negociatorem cœleſtis gratiæ, & comparatorem ſalutis æternæ diſtractis omnibus rebus ſuis, pretioſam margaritam, hoc eſt, vitam æternam Chriſti cruore pretioſam de quantitate patrimonij ſui dicit debere mercari*, &c.

Idem (ſiue quicumque eſt author) de ſingularitate Clericorum; *Video*, inquit, *planè ſic apud vos calcari auaritiam, ſicut Apoſtoli cuncta dimiſerunt; video crapulam & ebrietatem ſic veſtris conuiuiis abeſſe, ſicut Apoſtoli nihil habentes frequenter coacti ſunt eſurire*, &c. & infra. *Sic Apoſtolos mulierum comitatus decebat, non vt perderent, ſed vt diſcerent reuerentiam, & propter humanitatis exhibendum miniſterium ſequebantur, ſicut in Euangelio de Domino, & de ipſis pariter memoratur. Et factum eſt*, inquit, *poſt hæc, & ipſe iter faciebat per ciuitates, & caſtella euangelizans regnum Dei, & duodecim cum illo, & mulieres, quæ erant curatæ à ſpiritibus immundis, & infirmitatibus, Maria quæ vocabatur Magdalena*, &c. *Et aliæ multæ, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis*, &c. Vide etiam eum de diſciplina & cultu virginum cap. 5.

Hilarius. Hilarius ſuper Pſal. 69. in illa verba: *Ego autem egenus & pauper ſum. Neque Regis dignitati, neque regni ſummæ paupertatis, atque inopiæ profeſſio congruit, ſed eius vox eſt, qui vt nos diteſceremus, pauperem ſe præſtitit, cui ne ad ſupremam quidem cœnam niſi quæſita, & aliena domus fuerit*, &c.

Item in Pſal. 118. ſuper verba illa; *Portio mea*, &c. *Rarus quiſque eſt, cui iſta fiducia eſt, vt portionem ſuam eſſe Deum audeat dicere, renunciandum eſt ſeculo, omnibuſque rebus eius, vt nobis Deus portio ſit*, &c. & paulo inferius. *Meminit, & Euangelij prædicator ille Petrus nullam ſibi eſſe portionem poſſeſſionis humanæ, cùm oranti alimoniam reſpondit; Aurum & argentum non eſt mihi, quod autem habeo hoc tibi do. Quid eſt Petre quod poſſides? renunciaueras omnibus Deo tuo dicens: Ecce nos omnia dereliquimus, & ſecuti ſumus te, quid erit nobis? & ille reſponderat, Amen dico vobis, quod vos qui ſecuti eſtis me*, &c. Vide eundem in Matth. cap. 7. 10. & 19.

Ambroſius. Ambroſius in Lucæ cap. 20. in illa; *Cuius imaginem habet, & inſcriptionem?* ſupple, denarius. *Alia eſt*, inquit, *imago Dei, alia imago mundi, vnde & ille nos admonet, ſicut portauimus imaginem terreni hominis, portemus, & imaginem huius cœleſtis. Imaginem Cæſaris non habet Chriſtus quia imago eſt Dei. Imaginem Cæſaris non habet Petrus, quia dixit, reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Imago Cæſaris non reperitur in Iacobo, vel Ioanne, quia filij tonitrui ſunt: ſed reperitur in mari, vbi dracones illi contritis capitibus ſuper aquam, & ipſe draco maior communitus caput,*

datur

datus eſt in eſcam populis Æthiopum. Si ergo non habuit imaginem Cæſaris, cur dedit cenſum? non de ſuo dedit, ſed reddidit mundo quod erat mundi, & tu ſi vis non eſſe obnoxius Cæſari, noli habere, quæ mundi ſunt; ſed ſi habes diuitias, obnoxius es Cæſari. Si vis nihil Regi debere terreno, relinque omnia, & ſequere Chriſtum, &c.

Idem in Lucam lib. 7. ſuper illa. *Nolite portare ſacculum. Quid ſit*, inquit, *ſacculum non eſſe portandum, alibi Dominus euidenter expreſſit. Scripſit enim Matthæus, quum ipſe dixit ad diſcipulos; Nolite poſſidere aurum, neque argentum*, &c. & infra. *Non ſic Apoſtolus Petrus, qui primus Dominicæ executor ſententiæ, vt oſtenderet non in vacuum Domini effuſa mandata, cùm poſceretur à paupere, vt ei aliquid pecuniæ largiretur, ait, Argentum atque aurum non habeo, ille gloriatur, quod non habeat argentum, neque aurum*, &c. *Tamen non tam hoc gloriatur Petrus, quòd argentum & aurum non habeat, quàm quod ſeruet mandatum Domini qui præcepit: Nolite poſſidere aurum. Hoc eſt dicere, videſne Chriſti eſſe diſcipulum. & aurum à me requiris*, &c. Vide eum ſer. 1. de Petro & Paulo & alibi.

Chromatius Aquileienſis Epiſcopus, qui floruit poſt annum 300. ſuper illa Matthæi; *Beati pauperes ſpiritu*, &c. *Hos*, inquit, *vtique pauperes ſignificat eſſe beatos, qui contemptis mundi diuitiis, ſpretâque ſæculi facultate, vt Deo fierent diuites, mundo eſſe pauperes voluerunt*, &c. *Cuius beatæ paupertatis exemplum nobis primi in ſe Apoſtoli præbuerunt, qui contemptâ omni facultate ſtatim ſequuti Domini vocem ipſius eſſe diſcipuli meruerunt.* & infra. *Inde denique Petrus cùm aſcendens in templum à claudo eleemoſynam peteretur, Argentum & aurum non eſt mihi*, &c. *Non dat quidem argentum aut aurum, ſed quod plus eſt diuitiis omnibus, reddit corporis ſanitatem; imaginem Cæſaris in nummo, quod daret, non habebat, ſed Chriſti imaginem in homine reformauit*, &c. Chromat.

Hieronymus ſuper illa Matth. 10. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum*, &c. *Conſequenter hæc dat præcepta Euangelij ſatoribus veritatis, quibus ante dixerat: gratis accepiſtis, gratis date. Si enim ſic prædicant, vt pretium non accipiant, ſuperflua eſt auri, argentique & nummorum poſſeſſio. Nam ſi habuiſſent aurum & argentum, videbantur non cauſa ſalutis hominum, ſed cauſa lucri prædicare. Neque æs in ſacculis. Qui diuitias detruncat propemodum & neceſſaria vitæ amputat: vt Apoſtoli Doctores veræ religionis, qui inſtruebant omnia prouidentiâ Dei gubernari, ſeipſos oſtenderent nihil cogitare de craſtino*, &c. & paulò inferius. *Et quia quodammodò nudos, & expeditos ad prædicandum Apoſtolos miſerat, & dura videbatur eſſe conditio magiſtrorum, ſeueritatem præcepti ſequenti ſententiâ temperauit: dignus eſt operarius cibo ſuo. Tantum, inquit, accipite, quantum in victu, & veſtitu vobis neceſſarium eſt*, &c. Vide eum ſuper illa Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe*, &c. Hieron.

Idem epiſtolâ ad Ruſticum paulò pòſt initium: *Apoſtoli de piſcatione Lacus Genezareth ad piſcationem hominum tranſierunt. Qui tunc habentes patrem, rete, nauiculam ſecuti Dominum, protinus omnia reliquerunt portantes quotidie crucem ſuam, & ne virgam quidem in manu habentes*, &c.

Item epiſtola ad Paulinum. *Denique & tu auditâ ſententiâ Saluatoris, ſi vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me: verba vertis in opera, & nudam crucem, nudus ſequens expeditior, & leuior ſcandis ſcalam Iacob. Tunicam mutas cum animo, nec pleno marſupio glorioſas ſordes appetis, ſed puris manibus pauperem te & ſpiritu, & operibus gloriaris,* &c. Vide eundem in epiſtola ad Heliodorum de morte Nepotiani, vbi ſimilia laudat in Cornelio Centurione conuerſo, & baptizato.

Idem epiſtola ad Ageruchiam. *Apoſtoli toto orbe peregrini, non æs in zona, non virgam in manu, non caligas habuêre in pedibus; & tamen dicere poterant: nihil habentes, & omnia poſſidentes,* &c. *Aurum & argentum non eſt nobis: quod autem habemus, hoc tibi damus: in nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula. Non enim erant diuitiarum ſarcinâ prægrauati. Et ideo ſtantes cum Helia in foramine petræ, per anguſtias acus tranſire poterant, & poſteriora Domini contemplari,* &c.

Item epiſtolâ ad Iulianum, eum inuitans ad mundi renunciationem conſilio Chriſti Matth. 19. *Vade,* inquit, *& vende: non partem ſubſtantiæ, ſed vniuerſa quæ poſſides: & da non amicis, non conſanguineis, non propinquis, non vxori, non liberis: plus aliquid reddam; nihil tibi ex omnibus metu inopiæ reſeruans, ne cum Anania damneris & Saphira: ſed da cuncta pauperibus,* &c. *Vt Dominum mundi poſſeſſionem habeas,* &c. *& vt verus Leuita de terrena hæreditate poſſideas, & hortor; ſi vis eſſe perfectus, ſi Apoſtolicæ dignitatis culmen cupis: ſi ſublatâ Cruce Chriſtum ſequi,* &c. & inferius. *Extruis monaſteria, & multus a te ſanctorum numerus ſuſtentatur. Sed melius, ſi & ipſe ſanctus inter ſanctos viueres,* &c. *Apoſtoli gloriantur, quod omnia dimiſerint, & ſequuti ſunt Saluatorem,* &c.

Item aduerſus Vigilantium hæreticum; *Quod autem aſſeris eos melius facere, qui vtuntur rebus ſuis, & paulatim fructus poſſeſſionum ſuarum pauperibus diuidunt, quàm illos, qui poſſeſſionibus venundatis, ſemel omnia largiuntur: non à me eis, ſed à Domino reſpondebitur ſi vis eſſe perfectus, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus & veni ſequere me. Ad eum loquitur qui vult eſſe perfectus, qui cum Apoſtolis patrem, nauiculam, & rete dimittit. Iſte, quem tu laudas, ſecundus & tertius gradus eſt; quem & nos recipimus dummodo ſciamus, prima ſecundis & tertiis præferenda,* &c. In epitaphio Fabiolæ laudat ſimiliter, quòd non ſolum omnia diſtribuere, ſed etiam pro Chriſto pauper mendicare deſiderarit, alia multa huius argumenti ex eodem ſancto adducere liceret, ſed prædicta ſufficiant.

Iuuencus. Iuuencus presbyter antiquior Hieronymo, ab eóque laudatus lib. de ſcriptor. epiſtola ad Magnum, & Commentario ad 7. cap. Matthæi. Is autem lib. 2. hiſtor. Euangelicæ miſſionem Apoſtolorum hoc complexus eſt carmine.

Non auri, argentive domet poſſeſſio mentem,
Nec vos nummorum ſubigat ſcelerata cupido,

Nec

Nec geminas veſtes, nec plantis tegmina bina
Virtutis nudæ cupiat ſeruire Miniſter, &c.
Excludet, quicumque ferus vos limine tecti,
Auribus aut duris ſpernet vitalia verba,
Siue auerſa Dei famulos ſuccedere tectis
Hoſpitiiſque focos miſerè grauata vetabit, &c.

Item lib. 3.

Tum Chriſtus fatur: nunc ſi perfecta requiris
Prendere precelſis meritis veſtigia vitæ,
Omnia, quæ proprio retines ſolus dominatu
Diſtrahe, & in miſeros confer ſecurus egentes,
Tunc theſaurus erit cœli tibi conditus arce,
Virtutiſq́; tenax veſtigia noſtra ſequeris, &c.

Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 68. ſuper illa: *Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia*, &c. Intelligit per ſubſtantiam diuitias, dicitque Chriſtum ad ſummam deueniſſe paupertatem. *Ergo*, inquit, *paupertatem ſuam volens Dominus nobis commendare, fortaſſe dixerit, non eſt ſubſtantia. Ad ſummam enim paupertatem peruenit, quando formam ſerui induit*, &c. Auguſt.

Idem in Pſal. 108. primâ explicatione, quâ eum litteraliter intelligit de Iuda proditore: *In illa ſcrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam eius*,&c. *Si autem mouet*, inquit, *quomodo potuerit habere ſubſtantiam, quam fœnerator ſcrutaretur, alieni que diriperent, quando iam cum aliis vndecim Dominum ſequebatur, credas eum omnia, quæ habebat ita dimiſiſſe filiis, & vxori, vt non inde ſinceriter, vel perſeueranter vinculum cupiditatis abruperit: qui etiam ſi ea velut vendere videretur diſtribuenda pauperibus, profectò faceret quod Ananias poſt Domini aſcenſionem, neque eum metueret, ne hoc Dominus diuinitate cognoſceret, quem falli putabat, quando ea, quæ mittebantur. de loculis auferebat.*

Idem in Pſalmum 103. ſuper his verbis, *Producens fœnum iumentis, & herbam ſeruituti hominum*, &c. *Quomodo ergo producit terra*, inquit, *fœnum? quia Dominus conſtituit, vt qui Euangelium annuntiant de Euangelio viuant*, &c. Et inferius docet, quomodo habuerit loculos aliquando ſubleuandis neceſſitatibus, & aliquando ſuſtentationem à diſcipulis accipiebat, *Habuit enim*, inquit, *loculos, & dictum eſt de quibuſdam fœminis religioſis, quod ambulabant, quà ibant pedes eius euangelizantes, & miniſtrabant ei de ſubſtantia ſua.*

Idem de opere Monachorum cap. 4. probans Paulum ſuis manibus laboraſſe, adducit ipſius teſtimonium 1. ad Corinth. 9. ſupra à nobis expreſſum. *Et probat*, inquit, *ſe Apoſtolum eſſe dicens: Nonne Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum vidi? nonne opus meum vos eſtis in Domino? quo probato oſtendit ſibi licere, quod cæteris Apoſtolis, id eſt, vt non operetur manibus ſuis, ſed ex Euangelio viuat, ſicut Dominus conſtituit eis, quod in conſequentibus apertiſſimè demonſtrauit: ad hoc enim, & fideles mulieres habentes terrenam ſubſtantiam ibant cum eis, & miniſtrabant eis de ſubſtantia ſua, vt nullius indigerent horum, quæ ad neceſſaria vitæ huius*

 pertinent:

pertinent : quod beatus Paulus licere quidem ſibi demonſtrat, ſicut, & cæteri Apoſtoli faciebant, ſed eâ poteſtate ſe vti noluiſſe poſtea commemorat, &c. Poſteà verò reprobans interpretationem eorum, qui pro muliere vxorem verterunt, ſubiicit cap. 5.

Quod quiſquis putat non potuiſſe ab Apoſtolis fieri, cum eis ſanctæ conuerſationis mulieres circuirent quacumque Euangelium prædicabant, vt eis de ſua ſubſtantia miniſtrarent neceſſaria, Euangelium audiant, & cognoſcant quemadmodum hoc ipſius Domini exemplo faciebant. Dominus enim noſter amore miſericordiæ ſuæ infirmioribus compatiens, cum ei poſſent Angeli miniſtrare, & loculos habebat quo mitteretur pecunia, &c. *Et mulieres voluit, vt ſe ad præparanda, & miniſtranda neceſſaria ſequerentur, oſtendens, quòd Euangeliſtis, & miniſtris Dei tanquam militibus à plebibus Dei tanquam prouincialibus deberetur, vt ſi quis eo, quod ſibi deberetur*. &c. *In Euangelio enim ſcriptum eſt; deinceps & ipſe iter faciebat per ciuitates & caſtella prædicans, & euangelizans regnum Dei, & duodecim cum eo,* Matth. 10. Luc. 9. *& mulieres aliquæ, quæ erant curatæ*, &c. *miniſtrabant eis de facultatibus ſuis. Hoc exemplum Domini Apoſtoli ad accipiendum ſibi debitum cibum, de quo ipſe Dominus loquitur, euntes, inquit. prædicate dicentes, quia appropinquat regnum cælorum*, &c. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris, neque peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta*, &c.

Item lib. 17. de ciuitate Dei cap. 4. *Iam verò, quod adiungitur, ſuſcitat à terra pauperem: de nullo melius, quàm de illo intelligo, qui propter nos factus eſt pauper, cùm diues eſſet vt eius paupertate, ſicut paulò ante dictum eſt, ditaretur. Ipſum enim de terra ſuſcitauit tam citò, vt caro eius non videret corruptionem*, &c. *De terra ergo ſuſcitatus eſt ſupra omnes diuites ille pauper, & de illo ſtercore erectus eſt ſupra omnes opulentos ille inops, vt ſedeat cum potentibus populi, quibus ait; ſedentibus ſuper ſedes. Et ſedem gloriæ hereditatem dans eis. Dixerant, erant enim potentes iſti, Ecce nos dimiſimus omnia, & ſecuti ſumus te: hoc votum potentiſſimi vouerant*, &c.

Idem de bono coniugali aduerſus Iouinianum cap. 8. *Bonum erat, quod faciebant, qui de ſubſtantia ſua Chriſto, ac diſcipulis ſuis neceſſaria miniſtrabant, ſed melius, qui omnem ſubſtantiam ſuam dimiſerunt vt expeditiores eundem Dominum ſequerentur*, &c.

Qui vlterius Auguſtini teſtimonium, atque ſententiam in hac quæſtione deſiderat conſulat eundem epiſtola ad Hilarium 89. contra Fauſtum cap. 77. Item lib. 5. cap. 1. in Ioan. 21. lib. de mendacio cap. 22. ſerm. 13. de verbis Domini contra Adimantum cap. 20. de conſenſu Euangeliſtarum lib. 2. cap. 30. inter alia plura ita refert: *Hoc ergo ordinans Dominus* (ſupple, ex Euangelio viuere) *quod eum ordinaſſe dicit Apoſtolus. qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere. Illa Apoſtolis loquebatur, vt ſecuri non poſſiderent, neque portarent huius vitæ neceſſaria, nec magna, nec minima, ideo poſuit, nec virgam, oſtendens à fidelibus ſuis, omnia deberi miniſtris ſuis nulla ſuperflua requirentibus*, &c. Expreſſus etiam eſt locus eiuſdem lib. de 8. quæſtionibus ad Dulcitium quæſtio-

ne prima ſuper illa Apoſt. *Si quis autem ædificat ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretioſos,* &c. In quibus intelligit paupertatem, in reliquis vt ligno, ſtipula, &c. opera diuitum qui mandata ſeruant, non vendunt tamen quæ poſſident, ſed in ſollicitudine viuunt terrenorum.

Leo Papa homil. in feſto omnium Sanctorum; *Beata igitur illa paupertas, quæ rerum temporalium amore non capitur, nec mundi opibus augeri appetit, ſed cœleſtibus bonis diteſcere concupiſcit. Huius nobis magnanimæ paupertatis exemplum primi poſt Dominum Apoſtoli præbuerunt, qui omnia ſua ſine differentia relinquentes ad vocem cœleſtis magiſtri, a captura piſcium in piſcatores hominum alacri conuerſione mutati ſunt, & multos ſui ſimiles fidei ſuæ imitatione fecerunt,* &c. Et paulò inferiùs. *Hinc Beatus Petrus Apoſtolus cùm aſcendens in templum à claudo eleemoſynam poſceretur; argentum, inquit, & aurum non eſt mecum, quod autem habeo hoc tibi do,* &c. *Quid hac paupertate locupletius? non habet præſidia pecuniæ, ſed habet dona naturæ: quem debilem edidit mater ex vtero, ſanum fecit Petrus ex verbo: & qui imaginem Cæſaris in nummo non dedit, imaginem Chriſti in homine reformauit,* &c. Leo Papa.

Gregorius homil. 17. in Euangelia ſuper illa Lucæ 10. *In illo tempore deſignauit Dominus Ieſus, & alios ſeptuaginta duos,* &c. *Nolite portare ſacculum,* &c. *Nolite,* inquit, *portare ſacculum, neque peram, neque calceamenta, & neminem per viam ſalutaueritis: prædicatori etenim tanta debet in Deo eſſe fiducia, vt præſentis vitæ ſumptus, quamuis non prouideat, tamen ſibi hos non deeſſe certiſſimè ſciat: ne dum mens eius occupatur ad temporalia, minus aliis prouideat æterna,* &c. Gregor.

Arnobius ſiue is, qui poſt S. Leonem, ſiue anterior ſit, qui ſub Diocletiano vixit Comm. in Pſalm. 14. ad hæc; *Pecuniam verò ſuam non dedit ad vſuram,* &c. *Pecuniæ,* inquit, *eius* (ſupple, Chriſti) *virtutes ſanitatum erant, quas non ſolùm ipſe ab vllo nihil accipiens exercuit, ſed & ipſos diſcipulos ſuos taliter informauit, dum daret eis poteſtatem infirmos curandi, ac mortuos ſuſcitandi, diceretque, gratis accepiſtis, gratis da-*, &c. Arnob.

Idem in Pſalm. 68. in illa, *Videant pauperes & lætentur,* &c. *Pauperes,* inquit, *Apoſtoli, non habentes duas tunicas, non peram, non pecuniam in zonis ſuis. Vnde & Petrus mendicanti infirmo: Argentum & aurum non habeo, ſed quod habeo, hoc tibi do,* &c.

Beda ſuper illa, *Vulpes foueas habent,* &c. *Quid me,* inquit, *propter diuitias, & ſæculi lucra cupis ſequi, cùm tantæ ſim paupertatis, vt ne hoſpitiolum quidem habeam, & non meo vtar tecto.* Eum conſule ſuper Euangelia Marc. 6. Matth. 10. & 9. Luc. 8. & 10. 1. ad Corinth. 9. 2. ad Corinth. 6. & 8. & alibi. Beda.

Anſelmus in illa, *Nolite poſſidere,* Matth. 10. *Quia alios ad contemptum ſæcularium debent inuitare, præcipit, vt neque aurum, neque argentum, vel nummos in zonis poſſideant, qui enim eos videret abſcondere nummos, & habere, putaret eos cauſa lucri prædicare. Per aurum, & argentum accipit omnes diuitias, per pecuniam in zonis, & per peram accipit omne* Anſelmus.

omne viaticum. Viaticum habet duas partes, vel vnde emantur neceſſaria, vel ipſa neceſſaria · per pecuniam accipitur illud viaticum vnde emuntur neceſſaria, &c. Eum conſule in illa, *Si vis perfectus eſſe.* Matth. 19.

Paſchaſ. Paſchaſius Bartbertus in illa Matth. verba, *Ecce nos reliquimus omnia. Non cognat*, inquit, *parum quod reliquit ipſe & cæteri . ſed omnia, quæ reliquit, qui ſeipſum & omnia, quæ concupiſci poſſunt in ſæculo, & perfectè pro Chriſti amore deſeruit. Nec dubium quod Apoſtoli, & Apoſtolorum ſequaces, licèt parum habuerint, plus omnibus reliquerunt, quia perfectius omnia, quæ concupiſci poſſunt, calcarunt, qui non ſolùm vitia vniuerſa . verumetiam & ſeipſos pariter cum mundo contempſerant,* &c.

Idem etiam in illa; *Erant autem ibi mulieres multæ a longè quæ ſequutæ fuerant Ieſum a Galilæa miniſtrantes ei*, &c. explicat verbis Hieronymi, quæ ſupra poſita ſunt cap. præcedenti argumento ſeu loco 4. ille author habetur tom. 9. Biblio. vet. Patrum editionis Colonienſ. Floruit circa 800. annum.

Chriſtianus Druchmanus. Chriſtianus Druchmanus expoſitione in Matth. cap. 18. in illa; *Vulpes foueas habent*, &c. *Ac ſi ei dicat*, inquit, *quid me vis ſequi lucri cauſa: cum tanta paupertatis ſim, vt quod beſtiæ paruæ, & volucres cœli habent in proprio. caream: videlicet nec lectum faciam, niſi in aliorum manſionibus hoſpitando: victu, & veſtitu contentus ſim,* &c.

Idem cap. 43. in illa, *Ecce nos reliquimus omnia, hoc eſt, ſi reliquimus vt tu habes derelicta, qui non vis quidquam in hoc ſæculo poſſidere* &c. Floruit anno 850.

Bernard. Bernardus ſerm. 2. in cœna Domini poſt initium: *Nobilis itaque titulus voluntariæ paupertatis, quam Chriſtus docuit verbo*; *Beati*, inquiens, *pauperes ſpiritu*, &c. *Conſecrauit exemplo, nec enim habuit propriam domum, in qua caput reclinaret, & in qua cum diſcipulis Paſcha manducaret: nec proprium habuit vnde tributum ſolueret.*, &c.

Idem in declaratione ſuper illud: *Dixit Simon Petrus ad Ieſum, ecce nos reliquimus omnia*, &c. Plura ad propoſitum diſcurrit, hæc pauca tranſcribemus; *Nimirum*, inquit, *longè aliud eſt in luto aquarum multarum diuiſi fundo maris iter carpere, terrena licitè poſſidendo: aliud ipſam quoque nouis greſſibus vndam calcare, omnia relinquendo. Sed tempori gratiæ prærogatiua hæc debebatur Petro, nouum iter, & noui typus itineris ſeruabatur, antiquorum ſanè Patrum diebus, donec in terris videretur, & conuerſaretur inter homines Dominus Maieſtatis, non erat Euangelicæ forma perfectionis, ſed ſpiritum Domini ſolo interim ſpiritu ſequebantur. At vbi Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, iam nobis tradita eſt imago vitæ, & conuerſationis exemplar, quod oporteat etiam corporaliter imitari, vt vtroque ſequentes veſtigio, non vlteriùs cum Patriarcha Iacob altero femore claudicemus. Vbi enim audiuimus, quia dictum ſit antiquis: Niſi quis renunciauerit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et item, ſi vis eſſe perfectus vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni ſequere me? neque id dicimus tanquam ſaluari quis vel hoc tempore nequeat, ſi ſecus egerit, ſed vt gradum cognoſcat proprium, & locum perfectionis; aut diſcipulatus*

officium

officium non vſurpet. Habent Euangelia, & perfectionis conſilium, & remedium infirmitatis. Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra. Hæc perfectio eſt. Siquidem filius hominis vbi caput ſuum reclinaret non habebat. Petro & Ioanni nec argentum, nec aurum erat. Paulus victu ſimplici, veſtitúque contentus, hæc ipſa labore manuum acquirebat, ſed non omnes capiunt verbum hoc, ſicut nec conſilium caſtitatis: quid dicitur populo? facite vobis amicos de mammona iniquitatis, &c.

S. Thomas opuſc. 17. integrum cap. 14. 15. & 16. hoc noſtro ſoli intento latè dictauit, & contrariam doctrinam vt hæreticam fideíque contrariam damnat. ita enim concludit cap. 15: *Sic igitur*, inquit, *patet vanam eſſe doctrinam, imò peſtiferam; & Chriſtianæ doctrinæ contrariam illorum, qui dicunt, quod poſſeſſionibus communibus carere propter Chriſtum ad perfectionem non pertineat: de quibus illud Pſalm. 6. Conuertantur & erubeſcant valde velociter.: dicit Gloſſa, hoc non eſt hîc, vbi potius iniqui rident eos qui omnia relinquunt, & ſuis irriſionibus infirmos Chriſti nomine erubeſcere faciunt*, &c. S. Thom.

Item ſuperiùs ita ſimiliter infert; *Manifeſtum eſt igitur ad cumulum perfectionis pertinere, quod aliqui poſſeſſiones non habeant, nec proprias, nec communes.*

Item cap. 6. reſponſione ad 1. argumentum: *Vnde ſi qua ſit congregatio, in qua omnes ad maiorem perfectionem tendant, expedit eis communes poſſeſſiones non habere.*

Item reſponſione ad 4. *Quod verò quartò inducitur, quod Dominus non inſtituit ordinem non habentium poſſeſſiones, ſed ordinem Prælatorum, qui poſſeſſiones habet, in altero quidem eſt apertum mendacium. Cùm enim Dominus diſcipulos inſtituit, quod nec argentum, nec aurum poſſideant, & quòd corda eorum non grauentur curis huius mundi, & dimittentibus agros, & domos propter nomen ſuum præmiſſa repromittit non ſolùm in futuro, ſed in hoc ſæculo, vt ſcilicet ſint cum Apoſtolis nihil in hoc mundo habentes, & omnia poſſidentes, manifeſtum eſt quòd omnes, qui hanc regulam ſecuti fuerint, inſtitutionem Chriſti ſequuntur*, &c.

Item ſuper illud Matth. 10. *Nolite poſſidere aurum*, &c. *Quia omnis pecunia vel eſt de auro, vel de argento, vel ære: ideo prohibet, ne poſſideant aurum, nec argentum, vnde dicebat Petrus; argentum & aurum non eſt mihi: quod autem habeo hoc tibi do.* Act. 3. *Et quare hoc Deus præcepit? vna ratio eſt, quia Dominus mittebat pauperes ad prædicandum: ideò poſſet aliquis credere, quòd non prædicarent, niſi propter quæſtum. Vt igitur iſta ſuſpicio amoueatur, ideò præcepit nihil portare. Item ad tollendam ſolicitudinem, quia ſi eſſent circa hoc nimis ſollicitì, impediretur verbum Dei. Item prohibet diuitias, quia ſubueniunt in neceſſitate. Et quia poſſent dicere: non feremus aurum, non argentum, ſed peram poſſumus: vbi portabimus oua, & panem, quæ ſunt neceſſaria ad victum. Et iſtud prohibet, non peram in via, & quare hoc prohibuit? dicit Chryſoſtomus; vt oſtenderet virtutem ſuam; quia ſine his poterat eos mittere:* Vnde Lucæ 22. *Quando miſi vos ſine baculo, & pera: nunquid aliquid defuit vobis*, &c. *Fecit vt oſtenderet virtutem ſuam*, &c. Vide eundem opuſcul. 19. cap. 6. & 7. Item

Ll Matth. 19.

Matth. 19. & ſuper Apoſtolum locis præallegatis, & 3. part. quæſt. 40. artic. 3. per totum quodlib. 7. artic. 18. & alibi ſæpè multis rationibus, & authoritatibus tam Patrum, quàm Scripturæ paupertatem in communi, eiúſque perfectionem aſſerit, atque defendit eam Chriſti atque Apoſtolorum vitam fuiſſe.

S. Bonau. Sanctus Bonauentura in Lucæ 9. *Nihil tuleritis in via, &c. Occaſione ſcilicet temporalis ſuſtentationis, vt exemplo prędicetis illud: nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quod nec auferre quid poſſumus: & vt magis innoteſcat, deſcendit ad ſpeciale, cùm ſubdit: neque virgam, ſcilicet ad ſuſtentandum; neque peram, ad reponendum; neque panem, ad manducandum; neque pecuniam, ad emendum. In quo eſt prohibitio omnis præſidij temporalis, vt oſtenderet, quod prędicator ex magnitudine ſpei ſoli Deo debet inniti ſecundùm iſtud: omnem ſolicitudinem veſtram projcientes in* 1. Petr. 5. *eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis*, &c. & infrà. *Litteralis autem obſeruantia huius præcepti eſt exemplum perfectorum prędicatorum perfectè Chriſtum imitantium. In quorum perſona Petrus dicit: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.*

Item cap. 9. in illa; *Vulpes foueas habent*, &c. *Filius autem hominis non habet, vbi reclinet caput ſuum*, &c. *In quo miram oſtendit inopiam, quaſi diceret ſe nolle habere comitem, qui terrena diligat.* Vnde infrà: *Qui non renunciat omnibus quę poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus; hoc eſt, imitator perfectus.* Vnde Chryſoſtomus: *Reſpondet Dominus ad mentem eius quaſi diceret: quid me ſequeris propter diuitias, qui vides non tantum mihi diuerſorium eſſe, quantum auibus?* &c. Idem docet cap. 18. ſed non eſt, vt teſtimonium eius hac in re quæramus, vt qui hoc demonſtrat variis rationibus, & authoritatibus contra Gulielmum de Sancto Amore opuſculo de paupertate Chriſti; alio item opuſculo dicto, Apologia pauperum, aduerſus eius aſſertorem Gyraldum de Abbatis Villa, ſicut & Sanctus Thomas opuſc. 17. & 19. & quodlib. 7. art. 18. idem clariſſimè conuincit, ſicut & Alenſis.

His adiicere licet Beatum, & Seraphicum Patrem noſtrum Franciſcum regulæ Minorum conditorem, qui ita Euangelij ſententiam intellexit, omnimodam nempe expropriationem, litteraliter Euangelium ſuadere perfectionis viam ſequentibus, quam Chriſtus verbo docuit, exemplo firmauit, & Apoſtolis colendam præcepit: ideóque eam ſibi, B. Pater Franciſcus. & ſuis imitandam, & obſeruandam elegit: *Regula*, inquit, *& vita Minorum fratrum hæc eſt, ſcilicet Domini noſtri Ieſu Chriſti ſanctum Euangelium obſeruare viuendo in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate*, &c. Quomodo ſine proprio? *Præcipio*, inquit, *firmiter fratribus vniuerſis, vt nullo modo denarios vel pecuniam recipiant per ſe, vel per interpoſitam perſonam*, &c. cap. 4. *Item fratres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem: ſed tanquam peregrini & aduenæ in hoc ſæculo in paupertate, & humilitate Domino famulantes: vadant pro eleemoſyna confidenter: nec oporteat eos verecundari: quia Dominus pro nobis ſe fecit pauperem in hoc mundo.* cap. 6. &c.

Item cap. 12. *Sanctum*, inquit, *Domini noſtri Ieſu Chriſti Euangelium,*

quod

quod firmiter promiſimus, obſeruemus, &c. Item in teſtamento ſuo, ita idem ſanctus: *Et poſtquam dedit mihi Dominus de fratribus: nemo oſtendebat mihi, quid deberem facere, ſed ipſe Altiſſimus reuelauit mihi, quod deberem viuere ſecundum formam ſancti Euangelij*, &c. *Reuelauit*, inquit, & quæ illa forma? ſubiicit ſanctus: *Et ego paucis verbis, & ſimplicibus feci ſcribi, & Dominus Papa confirmauit mihi: & illi, qui veniebant ad recipiendum vitam iſtam, omnia, quæ habere poterant, dabant pauperibus, & erant contenti tunicâ vnâ intus, & foris repetiatâ, qui volebant, & cingulo, & brachis, & nolebamus plus habere*, &c. Ecce forma ſancti Euangelij quam ſanctus ex reuelatione altiſſimi elegit; quæque Matth. 10. & 19. Lucæ 9. 10. & 18. Marci 6. præſcribitur. Porrò decem Apoſtolis ad prædicandum miſſis vna tunica duntaxat permittitur & cingulum ſeu zona (nam pecuniam in ea ferre, non ipſa, prohibetur) reliqua autem omnia interdicuntur. Matth. 19. & Luc. 18. via ad perfectionem deſignatur omnia vendere & dare pauperibus, & deinde Chriſtum ſequi, quod à ſe, & aliis factum aſſerit præfato loco Petrus; eámque fuiſſe vitam Apoſtolorum ſatis liquet, quam tenuit ex reuelatione Domini Franciſcus.

Si incredulus adhuc animus hæreat, alióſve etiamnum veritatis teſtes pertinaciùs, quàm ſaniùs exigat, vlteriùs adſtruimus communi ſuffragio Doctores in hanc ſententiam veniſſe. Conſulantur Abulenſis, Lyranus, Gloſſæ, Caietanus, Carthuſianus, Maldonatus, Barradius, Titelmannus, Rupertus, cæteríque interpretes. Item Turrecremata lib. 2. Summ. cap. 12. ad 10. Can. lib. 6. de locis cap. 8. ad 6. Corduba lib. 4. quæſtionarij quæſt. 3. ad 5. Bellarmin. lib. 4. de Summo Pontif. cap. 14. Vaſquez in opuſcul. de redditibus Eccleſiæ § primo. Thomas Waldenſ. lib. 4. doctrinalis fidei art. 1. ſpeciatim cap. 4. & 5. Auguſt. Triumphus in Summa de poteſtate Eccleſiaſtica quæſt. 106. artic. 1. ad primum; hic ſub Ioanne XXII. floruit, dum controuerſia ipſa, de qua agimus, ventilaretur, & eidem hanc Summam nuncupauit, quod vſquequaque Pontifici gratum fuit; ideò non abs re erit verba eius tranſcribere, quæ talia ſunt.

Ad primum ergo dicendum, quod omnis modus viuendi in voluntaria paupertate in Christo diuerſis temporibus exemplariter monſtratus eſt. Nam modus viuendi de propriis laboribus monſtratus eſt tempore parentum ſubiectionis à pueritia vſque ad triginta annos, in qua ætate parentibus obediens humiliter, & reuerenter laborem corporeum cum eis ſuſtinuit, vt dicit Baſilius lib. 3. Modus verò viuendi mendicantium de eleemoſynis, quæ ab aliis inferuntur, monſtratus eſt tempore ſuæ prædicationis, quod ipſe & Apoſtoli viuebant de his, quæ miniſtrabant eis de ſuis facultatibus mulieres, & aliæ perſonæ, quæ ſequebantur eum, vt ſcribitur Lucæ 8. Modus autem viuendi, quo aliqua mobilia in communi ſeruantur, monſtratus eſt per eum tempore perſecutionis, & paſſionis, quando totâ illâ gente Iudaicâ paſtorem ſimul & gregem perſequente, congruam regulam tempori diſpenſauit, permittens diſcipulis, vt tollerent, & ſeruarent victus neceſſaria, dicens Lucæ 22. Nunc qui habet ſacculum, tollat, ſimiliter & peram. Sed

modus viuendi de poſſeſſionibus in communi per Chriſtum & Apoſtolos non fuit demonſtratus propter tranſlationem Eccleſiæ de Iudæis ad Gentiles, vt dicit Melchiades Papa 12. *queſt.* 1. *cap. futuram.* Hæc ille, quatuor ſtatus nobis deſignans, quorum tres priores obſeruauit Chriſtus congruis temporibus: ſed ſecundus ſtatus ponitur ab eo in plena expropriatione tam in communi, quàm in particulari, quam Chriſtus obſeruauit tempore prædicationis, tertius verò admittit poſſeſſionem mobilium in communi. Quartus verò etiam immobilium. Aluarus Pelagius lib. 2. de planctu latiſſimè eandem ſententiam demonſtrat à cap. 55. vſque 63. incluſiuè per octo capita; aliique quàm plurimi, quibus ſuperſedemus. Concludo igitur verã eſſe determinationem illam Nicolai Papæ (quam poſtmodum ſequuti ſunt Minoritæ) videlicet Chriſtum, & Apoſtolos eam aliquando paupertatem coluiſſe, quæ nullam poſſeſſionem aut dominium etiam in communi admitteret, idque ex ſacra Scriptura, Patribus, & Doctoribus notiſſimum eſſe, neque oppoſitum cum fidei veritate congruere (cenſura eſt D. Thomæ) vllatenus poſſe.

Aluarus.

CAPVT V.

Quod huiuſmodi paupertas excludens poſſeſſiones in communi ad perfectionem ſpectet.

DVo continet prædicta Nicolai determinatio, videlicet Chriſtum & Apoſtolos ſine proprio in communi vixiſſe: & (quod ſecundum eſt) perfectionem ſequentibus hanc vitam, exemplum, & doctrinam eum propoſuiſſe, quam Apoſtoli perfectionis viam ingreſſi tenuerunt. Primum ex dictis liquidò conſtat; nec minus ſecundum eſt euidens, eius tamen impugnatores excitauit proprij aut ſtatus, aut opinionis affectus, qui in aliis improbat, quod ſibi deeſſe videt. Iſtiuſmodi Theologia maximè poſt Lugdunenſe Concilium increbuit, cùm aliqui primæ inſtitutionis rigorem deſerentes, mendicitati poſſeſſiones ſuperinduxerunt velut vxori concubinam, & quam aliàs cum Eccleſia damnauerunt in Gulielmo à Sancto Amore, poſtliminio ſententiam amplexi, conuerſationis ſimul & doctrinæ ſuæ innouarunt principia. Nec ſat fuit primæ educationis, correctione quadam, ſanctos fundatores redarguiſſe tanquam rudes admodum pædagogos, & inutilis rigoris, ſeu obſeruantiæ ſuperſtitioſos inſtitutores, niſi & ſe iactarent ſuperiorem perfectionis gradum in eo ipſo potiſſimum conſcendiſſe, in quo exciderunt; non veriti gratuitum ſuæ fragilitatis indultum ſtatuere iuſtitiam, & quod vel abuſus, diſpenſante cupiditate, docuit, vel neceſſitas inuexit, meritum prædicare. Sed nos cum magno Auguſtino, *non in contentione, & æmulatione, & vana gloria cupiditate amantes loqui, quod neſcimus,* dicamus; *Itaque tã & maſculi, & fæminæ, & omnis ætas, & omnis huius*

Auguſt. de agon. Chriſtiano c. 11.

ſeculi

ſeculi dignitas ad ſpem vitæ æternæ commutata eſt: alÿ neglectis temporalibus bonis conuolant ad diuina: alÿ cedunt eorum virtutibus, qui hæc faciunt, & laudant, quod imitari non audent. Pauci autem adhuc murmurant, & inani liuore torquentur; aut qui ſua quærunt in Eccleſia, quamuis videantur Catholici, aut ex ipſo Chriſti nomine gloriam quærentes, hæretici, &c. *Sed Eccleſia Catholica per totum orbem longè latéque diffuſa impetus eorum prioribus temporibus frangens magis magiſque roborata eſt: non reſiſtendo ſed perferendo. Nunc verò inſidioſas eorum quæſtiones fide irridet, diligentia diſcutit, intelligentia diſſoluit,* &c. Diſcutit, inquam, & ita diſcutit, ita diſſoluit, ita definit; *Dicimus quod abdicatio omnium rerum, tam in ſpeciali quàm etiam in communi propter Deum meritoria eſt, & ſancta: quam & Chriſtus viam perfectionis oſtendens, verbo docuit, & exemplo firmauit, quamque primi fundatores militantis Eccleſiæ, prout ab ipſo fonte hauſerant in volentes perfectè viuere per doctrinæ, ac vitæ ipſorum* Cap. Exiit *alueos deriuarunt,* &c. Hanc fidem illa docuit; hanc eandem ſæpius de verb. ſibique conſtans confirmauit; hos poſuit terminos, quos præterire ſignifi. in 6. non licet; hoc denique vallo eos excluſit obtrectatores, qui, inſenſatâ aſtutiâ, teſte Nicolao, ſic arctam abdicationem deprauare conabantur, vitæque Chriſti inſtitutum lacerare, contra quos vrgentiſſimè tam Patres, quàm ſcriptura, quàm ratio ipſa, vel nobis ſilentibus pugnat.

Probatur ergo primò iſtiuſmodi abdicationem ad ſtatum acquirendæ perfectionis conducere, imò & initium eius præbere, Matth. 19. interroganti iuueni, quid faciens vitam æternam poſſideret, duo propoſuit Chriſtus. Primum eſt, ſi vis ad vitam ingredi ſerua mandata, quibus ſeorſim enumeratis, dum reſponderet iuuenis: *Omnia hæc cuſtodiui à iuuentute mea, quid mihi adhuc deeſt? ait illi Ieſus: ſi vis perfectus eſſe, vade & vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo: & veni ſequere me,* &c. Marci autem 10. *Vade*, inquit, *quæcumque habes vende & da pauperibus.* Lucæ 18. *Omnia quæcumque habes vende, & da pauperibus,* &c. Quibus verbis Chriſtus perfectionis viam docens conſulit omnia eſſe vendenda, & danda pauperibus, hoc autem idem eſt, ac omnia abdicare, & nihil omnino poſſidere, aut ſibi retinere; ergo nemo ſaluâ fide negare poteſt tale opus ad perfectionem ſpectare. Vnde Aug. epiſt. 89. *Magiſter bonus*, inquit, *mandata legis ab iſta excellentiore perfectione diſtinxit: ibi enim dixit: Si vis ve-* Aug. ep. 89. *nire ad vitam, ſerua mandata: hic autem, ſi vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes,* &c. *Cur ergo negamus diuites, quamuis ab illa perfectione abſint, venire tamen ad vitam,* &c. Excellentiorem perfectionem vocat ſanctus illam abdicationem, à qua perfectione diuites ait abeſſe.

Idem etiam de bono coniugali cap. 8. *Bonum erat*, inquit, *quod faciebant, qui de ſubſtantia ſua Chriſto ac diſcipulis ſuis neceſſaria miniſtra-* De bono coniugali. *bant, ſed melius qui omnem ſubſtantiam ſuam dimiſerunt, vt expeditiores eundem ſequerentur,* &c. Si melius; ergo perfectius, ac proinde ad perfectionem ſpectat omnem ſubſtantiam dimittere, & expeditius Chri-

ſtum ſequi, quod iis maximè conuenit qui nihil ſibi in communi retinent quod foret impedimento aut oneri. Hi enim à terrenis longè expeditiores ſunt, vide eundem lib. de octo quæſtion. ad Dulcitium quæſtione 1. vbi ita diſſerit ſuper verbis Apoſtoli 1. ad Cor. 3. *Sed quid ſit ædificare ſuper hoc fundamentum aurum, argentum, lapides pretioſos: & lignum, fœnum & ſtipulam, ſi ſubtilius diſſerere coner, vereor ne ad intelligendum difficilior ſit ipſa expoſitio: enitar tamen quantum Dominus adiuuat, & breuiter, & quantum potero dilucidè expedire quod ſentio. Ecce ille qui quæſiuit à Magiſtro bono, quid boni faceret vt haberet vitam æternam: & audiuit ſi ad vitam venire velit ſeruanda ſibi eſſe mandata. Dictum eſt enim ei, non occides,* &c. *Hæc faciens in fide Chriſti teneret proculdubio fidem quæ per dilectionem operatur,* &c. *Porrò ſi faceret etiam quod Dominus addidit dicens, ſi vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni ſequere me: ædificaret ſuper illud fundamentum aurum, argentum, lapides pretioſos: non enim cogitaret, niſi quomodo placeret Deo? & hæ cogitationes ſunt, quantum æſtimo, aurum, argentum, lapides pretioſi. Porrò ſi circa diuitias ſuas carnali quodam teneretur affectu, quamuis ex eis multas eleemoſynas faceret, nec ad eas augendas fraudis aliquid rapinæque molir etur, aut earum minuendarum, vel amittendarum metu in aliquod facinus flagitiumve laberetur: alioquin iam ſe iſto modo ab illius fundamenti ſtabilitate ſubtraheret, ſed propter carnalem, vt dixi, quem in eis habet affectum quo talibus bonis ſine dolore carere non poſſet, ædificaret ſuper fundamentum illud lignum, fœnum, ſtipulam,* &c.

Hieron. Hieronymus epiſtola ad Iulianum; *Vade*, inquit, *& vende, non partem ſubſtantiæ, ſed vniuerſa, quæ poſſides,* &c. & paulo inferius. *Et vt verus Leuita, nihil de terrena hæreditate poſſideas, & hortor, ſi vis eſſe perfectus, ſi Apoſtolicæ dignitatis culmen cupis, ſi ſublata cruce Chriſtum ſequi,* &c. Item vide eum aduerſus Vigilantium loco ſupra citato. Idem etiam ſuper præfatis verbis Matth. 19. ita docet; *In poteſtate noſtra eſt, vtrum velimus eſſe perfecti. Tamen quicumque perfectus eſſe voluerit, debet vendere, quæ habet & non ex parte vendere, ſicut Ananias fecit, & Saphyra: ſed totum vendere, & cùm vendiderit, dare omnia pauperibus, & ſic ſibi præparare theſaurum in regno cœlorum, & hoc ad perfectionem non ſufficit niſi poſt contemptas diuitias Saluatorem ſequatur,* &c.

Idem etiam epiſtola ad Pammachium: *Si vis*, inquit, *perfectus eſſe, non tibi imponitur neceſſitas, vt voluntas præmium conſequatur; ſi ergo vis perfectus eſſe, & deſideras eſſe, quod Propheta, quod Apoſtoli, quod Chriſtus: vende non partem ſubſtantiæ, ne timor penuriæ infidelitatis occaſio ſit, & cum Anania & Saphyra pereas: ſed vniuerſa, quæ poſſides: cùm vendideris, da pauperibus,* &c. Ergo ad perfectionem ad Apoſtolicæ dignitatis culmen, ad imitationem Prophetarum, Apoſtolorum, & Chriſti ſpectat omnia relinquere, nihil poſſidere, teſte Hieronymo.

Cyprianus. Cyprianus loco ſupra citato de oper. & eleem. *In Euangelio Dominus, Doctor vitæ noſtræ & Magiſter ſalutis æternæ,* &c. *Cum obſeruatâ lege*

lege perfectum & conſumatum vellet oſtendere; Si vis, inquit, *perfectus eſſe, vade, & vende omnia tua, & da egenis, & habebis theſaurum in cœlo, & veni ſequere me*, &c.

Theodoretus in 2. ad Corinth. 8. *Perfectionem quidem definit Dominus omni ex parte perfecto pecuniæ contemptu, & voluntariâ paupertate: docuit tamen quod etiam abſque perfectione poteſt quiſpiam vitam æternam conſequi: ab adoleſcente enim interrogatus; quid faciens vitam æternam poſſidebo? perfectionis doctrinam non ei ſtatim tradidit, ſed alia præcepta in memoriam reuocat. Cùm autem ille dixiſſet ſe omnia impleſſe, tunc vt à curis remotam, & poſſeſſionibus carentem vitam ſequeretur, hortatus eſt*, &c. Idem eſt ſenſus reliquorum interpretum. Vide Chryſoſtomum, Bedam, Anſelmum, D. Thom. Bon. & alios quos breuitatis ergo prætermitimus in re minimè dubia. *Manifeſtum eſt autem* (verba ſunt S. Thomæ opuſ. 17. cap. 15.) *nec alicui Chriſtiano debet venire in dubium, quod Chriſtus ſummam perfectionem docebat: ſi vis perfectus eſſe, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me, in quo eſt perfectionis ſumma, vt Hieron. dicit*, &c. *Eſt ea igitur ſumma paupertatis perfectio, vt ad exemplum Chriſti aliqui homines poſſeſſionibus careant, etſi aliqua reſeruent ad pauperum vſum, præſertim quorum eis cura incumbit*, &c. hactenus D. Thomas. Theodor.

Secundò idem probatur, hoc paupertatis vitæque genus & ipſe ſibi Chriſtus elegit, & vocatis diſcipulis atque ad euangelizandum miſſis præcepit vt præcedentibus eſt demonſtratum, idemque ab ipſis Apoſtolis eſt obſeruatum, vt Lucæ 22. indicatur; *Quando miſi vos ſine ſacculo & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? at illi dixerunt, nihil.* Quibus verbis potentiæ ſuæ, & prouidentiæ circa eos memoriam Chriſtus reuocat, qui & ſi omni re vacuos deſtinauit ad prædicandum, abdicationem omnimodam præſcribens: eos tamen egere non permiſit. Ergo illa fuit vita Chriſti, & Apoſtolorum, hoc præſcriptum & mandatum diſcipulis ad euangelizandum miſſis ab illo eſt impoſitum; erroneum autem eſt, & à fide alienum aſſerere Chriſti & Apoſtolorum vitam non importare perfectionem, aut inſtructionem primam his datam inutilem eſſe, nihilque ad ſanctitatem aut perfectionem facere. Accedit ſecundùm communem expoſitionem Patrum hanc inſtructionem ad profectum datam eſſe, cuius omnia motiua ab iiſdem aſſignata & à nobis ſuperiùs expreſſa ad virtutem ſpectant. Nec ad prudentiam alioquin pertinget tantum ſine vllo fructu inducere rigorem. Vt quid enim nudi ſine auro, ſine pecunia, ſine pera, ſine calceamentis miſſi, ſi nihil conducat? *Exactiſſimè certè ſublimioris vitæ fundamenta voluit iacere, ſic & in ſuperioribus nullam de craſtino die curam ipſos habere conatur: nam cùm ad vniuerſi terrarum orbis magiſterium ipſos miſſurus eſſet, non iniuria ad angelicam, vti dixeram, diſciplinam ex humana vita traducit ab omni cura rerum ſecularium liberos reddens, vt vni rei, prædicationi videlicet Euangelij ſolummodo vacarent*, &c. Chryſoſt. hom. 33. in Matth.

Tertiò, eadem paupertas inter reliquas perfectiones Euangelicas

beata

beata prædicatur à Chriſto, & prima ſtatuitur, quia *parens eſt generatio quædam virtutum*, vt teſtatur Ambroſ. eiuſdemque cum martyrio
Ambroſius. præmij ſit conſors. *Beati pauperes, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum, Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Quid,* inquit Bernardus, *ſibi vult quod eadem promiſſio facta eſt pauperibus, & martyribus, niſi quod verè martyrij genus eſt paupertas voluntaria? item propterea pauperibus pariter & martyribus regnum cælorum promittitur, quia paupertate emitur: ſed in paſſione pro Chriſto abſque omni dilatione percipitur.* Si beata ergo eſt paupertas docente Chriſto, ſi eandem cum martyrio ſortitur retributionem, ſi primus ædificij ſpiritualis virtutum lapis, & fundamentum, ſi exordium ſermonis illius, in quo plena vitæ Chriſtianæ inſtituendæ, perfectionis acquirendæ proponuntur documenta, quis eam negabit ad perfectionem pertinere? hic namque viam perfectionis docet Apoſtolis Chriſtus in monte, cuius initium demonſtratur eſſe paupertas. Vnde Auguſt. de hoc eius ſermone agens, ita habet de ſer. Dom. in monte cap. 10. *Sermonem, quem locutus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus in monte, ſicut in Euangelio ſecundùm Matth. legimus, ſi quis piè, ſobrieque conſiderauerit, puto quod inueniet in ea, quantum ad mores optimos pertinet perfectum vitæ Chriſtianæ modum, quod polliceri non temerè audemus ſed ex ipſis eiuſdem Domini verbis coniicimus. Nam ſic ipſe ſermo concluditur, vt appareat in eo præcepta eſſe omnia quæ ad informandam vitam pertinent. Sic enim dicit, omnis ergo, qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilabo eum viro ſapienti,* &c. *Cum ergo non dicit, qui audit verba mea tantùm: ſed addidit dicens, qui audit verba mea hæc: ſatis vt arbitror, ſignificauit, hæc verba, quæ in monte locutus eſt, tam perfectè inſtruere vitam eorum, qui voluerint ſecundùm ea viuere, vt meritò comparentur ædificanti ſuper petram. Hoc dixi, vt appareat iſtum ſermonem omnibus præceptis quibus Chriſtiana vita informatur eſſe perfectum,* &c. Inter dicta autem præcepta ſtatuitur ab eo primo loco paupertas, nec dubium eſt Chriſtum Dominum hîc loqui de paupertate Apoſtolorum, qui omnia relinquentes eum ſecuti ſunt, vt ſupra dictum eſt; & Matth. 19. confitetur Petrus, *Ecce nos reliquimus omnia,* &c.

Quartò, eidem paupertati deſignat Chriſtus alia præmia videlicet habere theſaurum in cœlo, poteſtatem iudiciariam, retributionem cen-
Matth. 19. tuplam etiam in hac vita, & poſſeſſionem vitæ æternæ, Matth. 19.
Luc. 18. *Vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo,*
Mar. 10. &c. Item; *Amen dico vobis, quod vos qui ſecuti eſtis me in regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, vel ſorores,* &c. *propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit,* &c. Vt reliqua verò omittamus ex ſola poteſtatis iudiciariæ conceſſione ſatis colligitur eminentia & dignitas Euangelicæ paupertatis, quam tam ſublimis manet ſedes, vt Chriſto iudici aſſideat: vnde non ſolis Apoſtolis hoc præmij ſpondet Chriſtus, ſed reliquis, qui omnia relinquentes eandem virtutem cum

Apoſtolis

Apoſtolis ſunt profeſſi, atque adeò per ſedes duodecim vniuerſitatem quandam deſignari intelligit Auguſt. 20. de Ciuit. cap. 5. Item epiſtolâ 99. ad Hilarium ad idem alludit contra errorem Pelagianorum, qui ſpem ſupereſſe vitæ negabant iis, qui aliquid poſſiderent; *Ambulent*, inquit, *itaque perfectionis viam venditis omnibus ſuis rebus, & miſericorditer erogatis. Sed ſi verè pauperes Chriſti ſunt, & non ſibi ſed Chriſto colligunt, infirmiora eius membra quare puniunt, antequam ſedes iudiciarias acceperint? ſi enim tales erunt qualibus Dominus dicit: ſedebitis ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus Iſrael: & de qualibus Apoſtolus dicit, neſcitis, quoniam Angelos iudicabimus, præparent potius non criminoſos, ſed religioſos diuites recipere in tabernacula æterna, à quibus amici facti ſunt de mamona iniquitatis.*

Beda in hom. *Qui*, inquit, *mandata Domini ſeruat ad vitam ingreditur æternam. Qui autem non ſolùm mandata ſeruat, verùm etiam conſilium Domini ſeruat, quod pro contemnendis diuitiis mundi, ac luxibus tribuit, non tantùm ipſam percipiet, ſed etiam de vita aliorum cum Domino iudicabit.* Beda.

Gregorius X. moral. cap. 17. *Quiſquis*, inquit, *ſtimulo amoris excitatus hic poſſeſſa reliquerit, illud proculdubio culmen iudiciariæ poteſtatis obtinebit, vt ſimul tunc iudex cum iudice veniat, qui nunc conſideratione iudicij ſeſe ſpontaneâ paupertate caſtigat.* Gregor.

Origenes homiliâ 9. in Matth. *Qui ſecuti ſunt Chriſtum, non quædam, ſed omnia relinquentes, ſedebunt ſuper duodecim thronos*, &c. *Item quod dicitur; ſedebitis ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael, dicitur ad Apoſtolos, & ad eos, qui Apoſtolicam æmulati ſunt vitam, iudicaturos Iſrael. Si quis ergo reliquerit omnia, & ſecutus fuerit Ieſum; quæ Petro promiſſa ſunt, recipiet*, &c. Idem docet Gloſſa ordinaria in Matth. Item author ſuppl. 3. p. D. Thom. quæſt. 89. art. 2. aliquibus id rationibus probans. Scotus in 4. d. 47. quæſt. 1. art. 2. ex quibus ſequitur ſicut præmium merito conceditur, quod ſolum in virtute reperitur, ita ex tot præmiis Euangelicæ paupertatis indubiè colligi perfectionem & honeſtatem eius. Origenes.

Quintò, Apoſtolus Paulus 1. ad Corinth. 13. de charitatis excellentia differens per comparationem aliorum donorum & virtutum ad ipſam definit ea nihil eſſe, aut homini prodeſſe, quantumcumque excelſa, & præclara ſine charitate; inter hæc autem enumerat paupertatem, quæ eſt per omnium rerum abdicationem; ergo vel malè diſcurrit Apoſtolus, vel hæc abdicatio ad perfectionem ſpectat; conſequentia eſt manifeſta, quia extrema comparationis referuntur ad inuicem penes alicuius communis termini participationem, in quo fit comparatio iuxta exceſſum, defectum, vel æqualitatem: nec enim rectè aſinum, & hominem comparabis in ſcientia, cuius ille non eſt capax; aut animal, & lapidem, quo ad viſum. Licèt autem charitas ſit finis præcepti, & ab ea tota lex dependeat, & Prophetæ, tanquã à ſumma, & vltima perfectione, nihilominus tamen in ratione virtutis, & honeſtatis cum aliis communicat, vt hoc ipſo loco indicat Apoſtolus; *cum autem*, inquit, *venerit*,

quod perfectum eſt, euacuabitur, quod ex parte eſt: (ſupple, perfectum & loquitur de aliis quibuſcum antea comparauit charitatem. Audiamus modò ipſum Apoſtolum; *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam; & ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum, & ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*, &c. Proceſſus eſt gradatim ad id ſemper, quod magis perfectum eſt: nam primò à linguarum dono progreditur ad prophetiam, quæ perfectior eſt, à prophetia ad ſcientiam omnium myſteriorum, ab hac ad fidem cum virtute miraculorum. Quarto loco ad abdicationem omnium rerum, & quinto ad martyrium. Si quis ergo à perfectione excludit rerum abdicationem, excludat etiam martyrium, excludat & fidem, excludat ſcientiam omnium myſteriorum cum reliquis.

Charitatis præſtantia ſuper reliquas virtutes.

Chryſoſt.

Chryſoſtomus hom. 32. in 1. ad Corinth. ſuper illa verba, *ſi diſtribuero*, &c. *Papæ, quanta hyperbole? etenim hæc quoque per alia adiectione. Non dixit enim, ſi dedero pauperibus dimidiam partem mearum facultatum, aut duas, aut tres partes, ſed ſi omnes meas facultates, & non dixit, dedero, ſed diſtribuero, vt ſumptus addatur etiam miniſtrandi cum omni cura, & diligentia*, &c. Item ſuper illa: *Nihil mihi prodeſt*, &c. Ponderans coniunctim tam de abdicatione rerum, quam de martyrio hyperbolem; *Sed videndum*, inquit, *oſtendit omnem hyperbolem & exuperationem donec Chriſti teſtimonia, quæ de eleemoſyna & morte dixit, in medium adduxero. Quænam ergo ſunt teſtimonia? dicit dimitti. ſi vis perfectus eſſe, vende omnia quæ habes & da pauperibus; & veni huc, & ſequere me. Porro autem de dilectione quoque proximi dicit: Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt quis ponat animam ſuam pro amicis ſuis, vnde eſt perſpicuum, quod hoc quoque apud Deum eſt omnium maximum*, &c. & infra. *Quod autem* [illegible] *abſque ea* (ſupple, charitate) *nihil poſſit* [illegible] *indicat hyperbolem, & exuperationem, magnam affert dubitationem, maxime cum Chriſtus his ambobus ſuâ ſententiâ cernatur maximum tribuere, poſſeſſionum, inquam, abdicationi & periculis martyrij. Dixit enim diuiti, ſicut prius dixi ſi vis perfectus eſſe, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, veni & ſequere me, & cum diſcipulis de martyrio diſſerens dicebat qui perdiderit animam ſuam propter me inueniet eam*, &c. & quæ ſequuntur.

Comparatur paupertas martyrio.

Sextò, conſilia Euangelica ſemper quod perfectius eſt,& [illegible] dent; reſpiciunt enim opera ſupererogationis: ſed omnia vēdere [illegible] ſid mus, & facere eleemoſynam monet Chriſtus. Item non eſſe [illegible] dum, quid edamus, aut bibamus; non eſſe ſolicitos in craſtinum, p[illegible] tunicam, dimittēdum & pallium; non contendendum iudicio, &c. [illegible] autē conſilia nulli tam perfectè vel implere poſſunt, quàm qui omnibus rebus tam in cōmuni, quàm in particulari renunciant: ergo talis renunciatio ad perfectionem ſpectat. Minor probatur; quia huiuſmodi renun-

ciatio

ciatio non modò animum ab omni ſolicitudine abſtractum, ſoli diuinæ prouidentiæ committit: verùm etiam cauſas, & occaſiones ſolicitudinum radicitus tollit, quæ ex appetitu cõquirendi, & conſeruandi poſſeſſiones, exurgũt. Hinc Sanctus Thomas in Matt. 19. ſuper illa, *ſi vis perfectus eſſe: Dicendum*, inquit, *quod in perfectione charitatis* (ſupple, conſiſtit perfectio) *Col. 3. ſuper omnia charitatem habentes. quæ eſt vinculum perfectionis, vnde dilectio Dei eſt perfectio, ſed dimiſſio rerum eſt via ad perfectionem, & quomodo? Aug. in lib. 83. quæſtion. dicit, quod augmentum charitatis eſt diminutio cupiditatis, perfectio charitatis, nulla cupiditas: ille ergo perfectus eſt in charitate, qui diligit Deum vſque ad contemptum ſui & ſuorum. Vnde difficile, & quaſi impoſſibile eſt, quod aliquis poſſideat diuitias, quin eis alliciatur, & hoc patet de Gregorio, de quo legitur, quod cùm cogitaſſet melius ſe famulaturum Chriſto ſub ſpecie ſæculari, cœperunt contra illum tot ſuccreſcere, vt non iam ſpecie tantum, ſed etiam mente retineretur, ideo nihil eſt, quod animum tam liberum faciat, ut quod non occupetur circa diuitias. Et hæc eſt via perfectionis*, &c. Sed nullus circa diuitias minus occupatur, quàm qui omnibus renunciat, nihil retento, ne iure quidem poſſidendi etiam in communi; nec cupiditas habendi magis excluditur, quàm per huiuſmodi omnimodam abdicationem, quæ abdicantem non modò primum rebus quibuſcumque, ſed etiam iure eas acquirendi, aut oblata ab aliis poſſidendi, conſtituit: ergo talis paupertas maximè omnium diminuit cupiditatem, ac proinde ex Aug. magis perficit charitatem. Ita enim ille loco citato quæſt. 36. *Sed cum Deus magis diligitur quàm animus, vt malit homo eius eſſe quàm ſuus, tunc verè animo ſumméque conſulitur, conſequenter & corpori, nobis idem non curantibus aliquo aſpectu ſatagente, ſed tantum prompta & oblata ſumentibus. Charitatis autem venenum eſt, ſpes adipiſcendorum, aut retinendorum temporalium, nutrimentum eius eſt imminutio cupiditatis. perfectio nulla cupiditas, ſignum profectus eius imminutio timoris, ſignum perfectionis eius nullus timor: quia & radix eſt omnium malorum cupiditas. amor adipiſcendi, aut obtinendi temporalia* &c. Confirmat idipſum cultor eremi Hieronymus, qui eandem paupertatem inuitato ad ſolitariæ vitæ contubernium Heliodoro, tollendam ſuadet viæ ſolam comitem, & laboris ſolatium. *Nolo*, inquit, *priſtinarum neceſſitatem recorderis, nudos amat eremus, nolo te antiquæ peregrinationis terreat difficultas, qui in Chriſtum credis, & eius crede ſermonibus: Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis. Non pera tibi ſumenda eſt, non virga diues eſt, qui cum Chriſto pauper eſt.* &c.

S. Thomas.

Auguſt.

Libertas animi ex contemptu diuitiarũ.

Epiſt. 1.

Septimò, hæc via ad Chriſti diſcipulatum nos ducit, eiuſq́ue remouet impedimenta. Ergo ad perfectionem ſpectat. Antecedens eſt manifeſtum, Lucæ 14. *Omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet non poteſt meus eſſe diſcipulus*, &c. Item vocatione Apoſtolorum, qui relictis prius omnibus ſequuti ſunt Chriſtum. Vnde & Paulus ad Philippen. 3. *Sed quæ mihi fuerunt*, inquit, *lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta*, &c. *Propter quem omnia detrimentum feci & arbitror vt ſtercora vt Chriſtum lucrifaciam.* Ergo Chriſtum

lucrari apud Paulum eſt reliqua omnia abdicare, ſeu detrimentum facere.

Gregor. Octauò, probat idem S. Gregorius lib. 2. ſuper Ezechielem hom. 20. agens enim de octo gradibus, quæ ad interiorem atrij port[illegible] ducunt in ſenſu myſtico. *Ipſi itaque*, inquit, *& exteriores portæ no[illegible] ſunt, & interiores, qui nos & in primo aditu fidei, ſpei, atque chari[illegible] inſtituunt: & cùm iam proficientibus cœleſtis regni myſteria prædicant per ſubtiliorem ſenſum nos ad interiora perducunt. Vnde & per ſeptem [illegible] dus priùs aſcenſus earum deſcribitur, & poſtmodum per octo: per o[illegible] au[illegible] etenim gradum illius vitæ myſteria ſignantur, quam in ſecretis ſuis p[illegible] intelligunt, qui iam cuncta temporalia mente tranſcendere nouerunt. Habent igitur portæ ſpiritualis ædificij ſeptem gradus quia timorem D[illegible] mini, pietatem, & ſcientiam, fortitudinem, & conſilium, inte[illegible] ſapientiam ſuis auditoribus prædicant. Sed cùm iam omnia dimitti [illegible] piunt cùm n[illegible] in hoc mundo diligi admonent, nil per effectum te[illegible] contemplationis cœleſtis patriæ intendi, atque in eius ſuadent myſte[illegible] lectari, gradum addunt, & ad interiora traiiciunt. Iſte gradus [illegible] veritate, cuidam oſtenſus eſt, cui cùm legis præcepta dicerentur re[illegible] hæc omnia cuſtodiui a iuuentute mea, quaſi enim iam in ſeptem gr[illegible] ſtabat, cùm à iuuentute ſua omnia cuſtodiſſe ſe diceret. Sed ei mox [illegible] adhuc vnum deeſt, ſi vis perfectus eſſe, vade vende omnia quæ habes [illegible] pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni ſequere me. In [illegible] verbis octauum quidem gradum vidit, ſed aſcendere noluit: quia [illegible] abſceſſit. Quiſquis itaque contemptis rebus temporalibus, æternitatis c[illegible] templatione paſcitur, cœleſtis regni gaudia rimatur. Poſt ſeptem gr[illegible] quos timendo, & operando, atque intellectu ſapientiæ ſuæ creſcendo t[illegible] octauo gradu interioris portæ aditũ intrauit,* &c. Ecce quomodo Greg[illegible] in proficientibus ſtatuit octauum eſſe gradum, abdicare omnia, [illegible] aſcendere noluit ille cui à Chriſto dictum eſt: *Si vis perfectus eſſe [illegible] vende omnia, quæ habes*, &c Ergo ex mente Gregorij huiuſmodi [illegible] catio, non modò ad perfectionem ſpectat, ſed ad interiora contempl[illegible] tionis traiicit: alia ſententia eiuſdem homiliæ ad idem facit, in qu[illegible] uerſitatem ſignans inter ſacrificium, & holocauſtum; ſacrificiu[illegible] v[illegible] cat oblationem eorum qui partem ſibi retinent, eorum verò, qu[illegible] nia offerunt, holocauſtum.

Nonò, probatur manifeſtè, omnia offerre Deo, & nihil ſibi retinere, eſſe gratum, & meritorium ex illo Lucæ 21. & Marci 12. vbi Ch[illegible] dicitur ſedens contra Gazophylacium reſpexiſſe ad oblationes ram [illegible] uitum, quàm viduæ pauperculæ, quæ intulit tantùm duo æra m[illegible] *Vidit autem*, inquit, *& quandam viduam pauperculam mittentem [illegible] minuta duo: & dixit: verè dico vobis, quia vidua hæc pauper pluſ[illegible] omnes miſit, nam omnes hi ex abundanti ſibi miſerunt in munera Dei [illegible] autem ex eo, quod deeſt illi; omnem victum ſuum, quem habuit, miſit.* [illegible] el vt dicit Marcus; *Hæc verò de penuria ſua, omnia, quæ habuit, miſit [illegible] tum victum ſuum*. &c. Ergo totum victum & ſubſtantiam renunciare illud Deo offerendo perfectionis eſt, opúſque Deo gratius, quàm vel illud

illud ſibi retinere, vel ex parte offerre. Vnde Gregorius loco citato eos ſacrificium offerre docet, qui partem ſubſtantiæ ſibi retinent; Holocauſtum verò, qui totam Deo conſecrant, quaſi totam incendant nihil retinentes, in quo ſacrificium ab holocauſto differt, quod illo pars tantùm animalis, hoc autem totum ſacerdotes offerebant. *Laudat igitur Dominus viduam ſupra omnes quod ex penuria ſua totam ſubſtantiam dederat; nam hi duo oboli, etſi parui videbantur, attamen totus victus ex mendicimonio erat. Vidua enim erat pauper; neque enim Dominus mercedem reddet reſpiciens ad id quod datur, ſed ad id quod deficit. Igitur plura diuites in domibus relinquunt, paruáque, & pauca offerunt; hæc autem totam domum euacuauit, nihilque ſibi reliquit*, &c.

Ambroſius in epiſt. 2. ad Corinth. c. 9. in illa; *Potens eſt autem*, &c. *Iſta vidua in Euangelio de paruo laudata eſt: & qui multa mittebant, laudati non ſunt; illius enim paruum multum eſt, quia plus miſit quam poterat: diuites autem minus miſerunt, cum plus poſſent: ac per hoc modicum illius. quæ vires ſuas miſit, plus inuentum eſt, quam diuitum multum, quia de eo, quod abundabat eis, miſerunt. Qui ergo tantum dat, quantum poteſt, rectè facit: viduam tamen illam ante ſe habet, quia hæc omne quod habuit, miſit.* Et libro de viduis eiuſdem exemplum adducens, ait; *Vberior eſt enim nummus è paruo, quàm theſauris è maximo, quia, non quantum detur, ſed quantum reſideat, expenditur, nemo plus tribuit, quam qui nihil ſibi relinquit*, &c. Videantur expoſitores Caiet. S. Bonau. Maldon. Barradius, Toletus, & alij. Ambroſ.

Decimò inter cætera, quæ Chriſtus imitanda propoſuit iis, qui perfectionem volunt, eſt ſanctæ Crucis exemplum, vt conſtat Matth. 16. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum & crucem ſuam tollat & ſequatur me*. Vnde Apoſtolus. *Ego ſtigmata Domini in corpore meo porto.* Sed inter alia crucis inſignia apparet omnimodo paupertas Chriſti, in qua exterioribus priuatus eſt vſque ad corporis nuditatem; vnde ex perſona eius Pſalm. 21. dicitur; *Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Hanc autem crucis nuditatem per omnium rerum abdicationem tam in communi, quàm in particulari, rectè ſequi licet ad litteram, ergo talis ſequela erit perfectionis, & conſequenter nihil habere, ad perfectionis, de qua loquimur, ſpectat argumentum: eſt D. Thomæ; quin & Apoſtolus ex nuditate hominis in vitam & mortem properantis ſuadet contemptum temporalium. Sequelam probat Hieronymus in Pſalm. 111. ſuper illa; *Iucundus homo qui miſeretur, & commodat*, &c. *Putat aliquis*, inquit, *quod de auro dicat, & argento, & de pecunia? iuſti in tantum non habuerunt, quod alius commodarent, vt ipſi cibum ab alius acciperent. Ergo ſi non habuero quod dem, iam non ſum iuſtus: ſi non fecero eleemoſynam, iniuſtorum numero non habebor? quanti ſanctorum fecerunt eleemoſynam, ſed in ſanctitate ruerunt. Perfecti non fecerunt eleemoſynas. quia non habebant, vnde facerent: eleemoſynas non facere crimen habentis eſt. Ceterùm, qui non habet, vnde faciat eleemoſynam, liber eſt*, &c. *Tamen habent & ſancti, vnde faciant eleemoſynas. Dicit & Petrus: argentum & aurum non habeo: quod autem* Hieron.

habeo, hoc tibi do, &c. *Quid eſt magis, pecuniam dare, an debilem ſanum facere.* Ergo ad iuſtitiam, & perfectionem reputat Hieronymus n[illegible] habuiſſe iuſtos, & perfectos, vnde etiam eleemoſynam facerent, ex[illegible]plo nobis proponens Petrum.

Ratio Theologica.

Vndecimò probatur ratione Theologicâ. Perfecta iuſtitia h[illegible] Chriſtiani, eſt declinare à malo, & facere bonum, iuxta illud. *D[illegible] malo, & fac bonum*, &c. Neque hæc duo adimpletione præcept[illegible] duntaxat, ſed ſimul, & conſiliorum perficiunt iuſtitiam, al[illegible] diceret Chriſtus obſeruatori legis iuueni: *Vnum adhuc tibi deeſt* [illegible] Sed vtrumque horum cônueniunt Euangelicæ paupertati, de qu[illegible] di[illegible] agimus: ergo ad perfectionem ſpectat. Minor probatur, a[illegible] primis talem paupertatem ſub conſilio cadere eſt manifeſtum e[illegible] dictis, ſpeciatim verò loco præfato: *Si vis perfectus eſſe, vade* [illegible] *omnia, quæ habes & da pauperibus*, &c. Quod verò decl[illegible] à [illegible], probatur; Malum culpæ vniuerſaliter fit per conuerſionem i[illegible] tam ad commutabile bonum, hoc eſt, originem ducit à c[illegible] oculorum, à concupiſcentia carnis, a ſuperbia vitæ. Hinc Ap[illegible]

Radix omnium peccatorum.

Ioan. 2. *Si quis diligit mundum non eſt charitas Patris in eo. no[illegible] eſt in mundo concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum* [illegible] *perbia vitæ?* Tribus hiſce machinis aduerſarius Chriſtum in deſert[illegible] parentes in paradiſo adortus eſt. (Vide Auguſt. de vera religione c[illegible]

Auguſt.

ab iiſdem liberari orat Eccleſiaſticus cap. 23. *Aufer à me ventr[illegible] cupiſcentias, & concubitus concupiſcentiæ. ne apprehendant me* [illegible] *a irreuerenti & infruniro ne tradas me* &c. Vide S.Thom. part. 2. quæſt. [illegible] artic.

S.Thom.

Sed omnimoda, & perfecta rerum abdicatio, tam in communi, q[illegible] in ſpeciali directè, & per ſe tollit concupiſcentiam oculorum, [illegible] conſiſtit in amore inordinato & cupiditate res externas conqui[illegible] & habendi; indirectè verò reliquas, ſeu earum occaſiones & in[illegible] ergo declinat à malo. Subſumptum probatur quoad primam pa[illegible] quia amor inordinatus diuitiarum, & fuga opponuntur, ſicut e[illegible] dere dominio peculiari, ſeu communi, & iiſdem abdicato quoui[illegible] renunciare. Hæc inquam ſingula ſingulis opponuntur, ita vt rep[illegible] ea ſimul ſtare. Hanc contrarietatem expreſſit Chriſtus Lucæ 6 [illegible] inquit, *pauperes; quia veſtrum eſt regnum Dei*, &c. è contra ver[illegible] *Væ vobis diuitibus, qui habetis conſolationem veſtram.* Vide etiam [illegible] 19. Lucæ 18. Marc. 10.

Idem igitur ſubſumptum probatur quoad ſecundam partem, v[illegible]cet concupiſcentiam carnis, & ſuperbiam vitæ rerum omnimo[illegible]catione declinari. Teſte enim Apoſtolo 1 ad Timoth. 2. *Radix om[illegible] malorum eſt cupiditas.* Loquitur autem de cupiditate rerum tem[illegible]lium, vt patet ex antecedentibus. Apoſtolus porrò ſu[illegible]dens c[illegible] paupertatis ita ſcribit. *Nihil enim intulimus in hunc mundum: ha[illegible]bium quod nec auferre quid poſſumus, habentes autem alimenta, & q[illegible] tegamur, his contenti ſumus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in t[illegible]tationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt*

mergunt homines in interitum & perditionem. Horum verò rationem ſubdens adiungit; *Radix enim omnium malorum eſt cupiditas: quam quidam appetentes errauerunt à fide,& inſeruerunt ſe doloribus multis*. Vbi aduertendum duobus argumentis paupertatem arctiſſimant, quæ ſolum neceſſarium, ſimplicémque victum, & veſtitum admittit, probari à Paulo: primum eſt ex proportione extremorum cum medio, vitæ ſcilicet cum egreſſu eius,& ingreſſu; conueniens porrò naturæ eſt,vt medium cum extremis communicet, ne ab iiſdem nimium recedens non iam medium ſed extraneum videretur. Secunda ratio deſumitur à pluribus, iiſque maximis inconuenientiis, & periculis appetitus diuitiarum, ſeu cupiditatis, qui ducit in tentationem, & laqueum diaboli, in deſideria multa, inutilia, & nociua: ergo ex ſententia Pauli his medetur omnimoda paupertas, quam ad declinandas eiuſmodi tentationes opportunam ſuadet. Subiungit præterea Paulus rationem,quorſum omnia prædicta ex diuitiarum amore oriantur: quia ſcilicet, *Radix omnium malorum eſt cupiditas*; Vnde Sanctus Thomas 1.2.quæſt.84. artic.1. in corpore (qui ex hiſce Pauli verbis motus eſt) ita Apoſtoli ſententiam explicat; *Vnde manifeſtum eſt*, inquit, *quod loquitur* (ſupple, Apoſtolus) *de cupiditate, ſecundum quod eſt appetitus inordinatus diuitiarum. Et ſecundum hoc dicendum eſt, quod cupiditas, ſecundum quod eſt ſpeciale peccatum, dicitur radix omnium peccatorum ad ſimilitudinem radicis arboris, quæ alimentum præſtat toti arbori. Videmus enim quod per diuitias homo acquirit facultatem perpetrandi quodcumque peccatum, & adimplendi deſiderium cuiuſcumque peccati, eò quòd ad habenda quæcumque temporalia bona, poteſt homo per pecuniam iuuari, ſecundùm quod Eccleſ.10. dicitur, pecuniæ obediunt omnia*, &c. S.Thom.

Item Caietanus in Commento: *Manifeſtè námque patet diſcurrendo, quod ipſum inordinatè habere pecunias, & ſuperbiæ & vanæ gloriæ, & luxuriæ, & gulæ, iræ, & inuidiæ, & accediæ, & ſuo contrario ſcilicet prodigalitati fomentum præſtat*, &c. Sed abdicatio rerum omnium tam in communi, quàm in particulari hanc vitioſam radicem penitus tollit: ergo & effectus prædictos ex ea pullulantes, ac proinde declinat à malo, quod eſt perfectionis. Caiet.

Secundum membrum principalis argumenti ex eo ipſo patet; non enim declinatur à malo, niſi faciendo bonum, nec vitium deſtruitur, niſi per exercitium oppoſitæ virtutis. Sicut ergo cupiditas eſt omnium malorum radix, ita & eidem oppoſita rerum abdicatio eſt radix omnium virtutum: ac proinde dictam abdicationem prius indixit Christus homini (quem ad perfectionis viam poſt mandatorum obſeruantiam inducere voluit) quàm ſequelam ſuam.

Item, alibi refert ſine renunciatione omnium, quæ quis poſſidet, neminem poſſe eſſe ſuum diſcipulum; atque ideo eam primam ſtatuit inter beatitudines & perfectiones Euangelicas, cuius ratio eſt ex Ambroſio, quia ordine prima eſt, & parens generatióque quædam virtutum, quod idem eſt dicere ac eam eſſe radicem ex qua oriantur.

Sed & hoc ſpeciatim probatur quoad aliquas virtutes, ſicut affluentia

fluentia ſuperbiam & elationem parit, ita omnimoda paupertas humi-tatem.

Leo Papa. *Dubitari autem non poteſt, quòd humilitatis iſtius bonum, facilius pauperes, quam diuites aſſequantur: dum & illis in tenuitate eſt amica manſuetudo, & iſtis in diuitiis familiaris elatio,* &c.

Item, eſt exercitium ſpei per ſolam in Deum fiduciam, cuius proui-dentiæ ſe totum committit, qui ſic omnibus abrenunciat, iuxta euange-lium Chriſti, *Nolite ſolicitè eſſe, quid edatis aut bibatis; nolite ſoliciti eſſe in craſtinum,* &c.

Item, eſt exercitium patientiæ & mortificationis tam carnis quàm affectuum, vt de ſe conſtat. Ac tandem eſt exercitium charitatis ſiue ad proximum ſiue ad Deum: nam in ordine ad proximum tollit occaſio-nes inuidiæ, contentionum, litium aliarúmque multarum ſolicitudinum, quæ charitatem cum proximo dirimunt, & inter opera carnis à Pau-lo numerantur ad Galat. 5. 1. verò ad Corinth. 13. inter reliquos char-affectus dicitur, quod non *quærit, quæ ſua ſunt.* Hinc etiam Do-præcepit non contendendum iudicio: petenti tunicam, dimittend-& pallium. Charitatem autem ad Deum augeri & conſeruari per om-nimodam rerum abdicationem; præ cæteris teſtis eſt Ioannes 1. epiſt. 2. *Nolite diligere,* inquit, *mundum, neque ea quæ in mundo ſunt, ſi quis di-mundum non eſt charitas patris in eo:* à contrario igitur ſenſu, qui p-veram & ſynceram rerum abdicationem omnia, quæ in mundo ſ-contemnit, & à ſe reiicit propter Deum, charitas patris eſt in eo. Au-*Minus te Domine amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.* Confeſſio. 10.

Vndecimò Auguſtinus de catechizandis rudibus lib. vno cap. 22. *Omnia ergo bona terrena contempſit homo factus Dominus Chriſtus contemnenda monſtraret: & omnia terrena mala ſuſtinuit, quæ ſuſ-præcipiebat, vt neque in illis quæreretur fælicitas, neque in iſtis infe-timeretur,* &c. & paulò inferiùs. *Pauper etiam factus eſt, cuius ſunt o-ne quiſquam, cum in eum crederet, de terrenis diuitiis auderet extoli.* Sed contemptus temporalium tunc perfectus eſt, quando nihil e-retinetur etiam in communi poſſeſſione: ergo ſic omnibus ren-nc-Chriſti doctrinam & exemplum ſequitur, quod eſt perfectionis.

Duodecimò eiuſmodi abdicatio rerum tam in communi q-particulari cadit ſub voto ſolemni religionis approbatæ, & à Pontificibus confirmatæ: igitur ad perfectionem ſpectat. A-patet ex regula, & vita fratrum Minorum toties ab Eccleſia appr-& confirmata, quæ regula talem profeſſoribus obligationem ind-ex pluribus Pontificum interpretationibus, & declarationibus. Conſequentia probatur ex communi omnium Theologorum ſ-quæ materiam voti, vt validum cenſeatur, præſcribit, non-bono, ſed in meliori conſiſtere: ita D. Thomas 2. 2. quæſt. 88. art. 2. & in 4. diſtinct. 38. quæſt. 1. artic. 2. quæſt. 2. Bonauent. art. 1. quæſt. Albert. artic. 7. Durand. quæſt. 1. Richard. artic. 3. quæſt. 2. Supple-mentum Gabr. q. 1. Anton. 2. part. tit. 11. cap. 12. Caiet. in commento,

Sotus

Sotus articul. 3. Palud. in dicta diſtinctione quæſt. 5. Nauarr. cap. 12. Summiſtæ verb. Votum. Suarez tom. 2. de relig. lib. 2. de voto cap. 7. Sanchez tom. 1. de matr. lib. 1. diſp. 4. & alij: ergo ſi ad perfectionem non ſpectat nihil in communi poſſidere, ſub voto non cadit, ac proinde ad hoc Franciſcani non tenentur, cùm inualidum & ſtultum ſit votum de non bono, & quod abſurdius eſt, Eccleſia talis voti ſolemni approbatione definiens ad illud teneri fratres Minores in regulis morum errauit, quod blaſphemum & erroneum eſt aſſerere.

Decimotertiò, reliqua duo ſubſtantialia vota quantò generaliora, tantò perfectiora: quantò enim quis magis obedit, tantò perfectior eſt eius obedientia: hinc Chriſti commendatur præ reliquis obedientia, *Qui exinaniuit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem*, &c. Cuius extremæ obedientiæ ſeu exinanitionis ſubiungit præmium; *propter quod & Deus exaltauit* &c. Idem dicendum etiam de caſtitate, cuius diuerſi ſunt gradus. Ergo à ſimili, quantò maior erit paupertas, tantò perfectior: ſed maior eſt, quæ communem proprietatem rerum excludit, ergo. Similitudo manifeſta eſt; nam ſicut perfectio obedientiæ conſiſtit in domando inordinato appetitu ſuperbiæ, & elationis; caſtitatis verò in extinguenda concupiſcentia carnis; ita etiam paupertas in expugnanda cupiditate verſatur: ac proinde ſicut maior perfectio illarum, in eo gradu deprehenditur, in quo maximè prædominantur appetitui, & repugnant vitio contrario, ita ſimili ratione dicendum erit de paupertate; nemini autem dubio eſt, expropriationem in communi magis aduerſari cupiditati, quàm ea, quæ particularis tantum eſt. Hinc Nazianzenus illam ſibi optauit ad nuditatem vſque in Apologia: *Sed paupertatem*, inquit, *& inopiam exprobrabunt. At iſtæ ſunt diuitiæ meæ. Hæc me non ſolum gloriantem ſed & arrogantem faciunt. Videntur enim mihi inimici dum hoc obyciunt id obycere quod in veſtigiis illius incedam, qui propter nos inops factus eſt, cum eſſet diues; atque vtinam exuere me poſſem pannis iſtis, quibus circundari videor, vt nudus effugerem ſpinas ſæculi, quæ retinent & reuocant pergentes ad Deum*, &c. Nazianz. in Apologia.

Decimoquartò, tandem probatur, quia hanc veritatem Eccleſia definiuit, vt ſupra viſum eſt, ita enim Nicolaus Papa in cap. *Exiit, qui ſeminat*, &c. *Porro cùm regula ipſa expreſſe contineat, quod fratres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem*, &c. *Quam ſic arctam abdicationem venenoſis obtrectationibus aliquorum inſenſata deprauauit aſtutia; ne fratrum eorumdem perfectionis claritas talium impetitis ſermonibus laceretur. Dicimus quod abdicatio proprietatis huiuſmodi omnium rerum tam in ſpeciali, tam etiam in communi propter Deum meritoria eſt & ſancta, quam & Chriſtus viam perfectionis oſtendens verbo docuit, & exemplo firmauit, quámque primi fundatores militantis Eccleſiæ, prout ab ipſo fonte hauſerant, in volentes perfectè viuere per doctrinæ, ac vitæ ipſorum alueos deriuarent*, &c. & infrà. *Verum condecens fuit ei profeſſioni, quæ ſponte deuouit Chriſtum pauperem in tanta paupertate ſectari, omnium abdicare dominium & rerum ſibi conceſſarum neceſſario vſu fore contentam*, &c. Hæc Nicolaus, cuius ſunt clariſſima verba: verum- Definitur paupertatē in communi eſſe meritoriam.

tamen, quia quis ſubdubitare poſſet nihil hîc definitum, aut declaratum eſſe, quod ad fidem, aut mores ſpectat, operæpretium erit probare dictis verbis contineri veram definitionem: in hoc enim totius res cardo voluitur. Reſponderet ergo aliquis, Primò, quòd decretalis non ex Pontificia authoritate, ſeu, vt aiunt, ex cathedra emanauit, ſed priuato ſenſu Doctoris Pontificem diſſeruiſſe. Secundò, dato etiam oppoſito, prædicta verba vim definitionis, aut ſtylum haudquaquam [illegible].

Veritas definitionis probatur.

Primam reſponſionem impugnant tria, ſtylus conſtitutionis, acceptatio Eccleſiæ, confirmatio eius facta ab alijs Pontificibus. Et quidem ſtylus tam manifeſtè Pontificiam dignitatem, & authoritatem [illegible], vt nihil clarius, nihil certius. In veſtibulo enim decretalis [illegible] author Nicolaus ſeruus ſeruorum Dei: mox exprimitur motiuum conſtitutionis eſſe, vt remedium contra obtrectatores tam regulæ, quam ſtatus efficax per eam ſtatueretur, ipſorúmque fratrum quieti, & paci prouideret. Ita porrò narratio, *Sed nec ſic contra ipſos fratres Minores & regulam hoſtis antiqui ceſſauit malitia: quin potius contra eos [illegible] perſeminare zizania, interdum æmulatores agitatos inuidiæ, iracundia [illegible] indiſcretâ ſuſtitâ concitauit, mordentes fratres, & eorum regulam [illegible] illicitam, inobſeruabilem, & diſcriminoſam caninis latratibus lacerantes, non attendentes hanc ſanctam regulam (vt prædicitur) præceptis ac monitis ſalutaribus inſtitutam, Apoſtolicis obſeruationibus roboratam, per [illegible] Romanos Pontifices approbatam, & per Sedem Apoſtolicam confirmatam [illegible] tot diuinis teſtimonijs communitam*, &c. infrà verò ſubdit motiuum. *[illegible] rumtamen vt ordo prædictus, quibuſlibet præciſis anfractibus diſſenſionis [illegible] purâ vigeat charitate; ſicut fratres eiuſdem ordinis nuper in generali Capitulo congregati prouiderant, dilectis filius Generali, & nonnullis aliis [illegible] uincialibus eiuſdem ordinis Miniſtris, qui in Capitulo ipſo conuenerant [illegible] noſtra præſentia conſtitutis: cum ad plenam obſeruationem eiuſdem regulæ in feruore ſpiritus, eorum feruere noſcatur intentio: viſum eſt nobis [illegible] cibus huiuſmodi vias mordendi præcludere, aliqua, quæ in ipſa regula [illegible] poterant dubia, declarare. nonnulla etiam, per prædeceſſores noſtros [illegible] rata, pleniori claritate diſſerere, in aliquibus etiam regulam ipſam [illegible] gentibus puritati eorundem conſcientiæ prouidere*, &c.

Decretalis edita ex cathedra.

Fratrum conſcientiæ proſpicere, obtrectatorum morſibus viam præcludere, & prædeceſſorum declarationes amplius explicare, & ſupplere fortè potuit Nicolaus, vt priuatus Doctor; vel ab eodem ex priuato ſenſu differente, opem poſcerent Franciſcani aduerſum per[illegible] hoc ridiculum eſt cogitare, ne dicam aſſerere. Hæc porrò Vicario Chriſti, Paſtori animarum, & Pontifici Romano conuenient, vel prærogatiuæ, & officij munera propria, atque authoritatis à Chriſto conceſſæ verum exercitium: igitur tanquam Pontifex legem d[illegible] Nicolaus, & ex Petri cathedra aſſiſtente veritatis ſpiritu, non ex propriæ opinionis priuato arbitrio. Hoc ipſum ex decurſu totius conſtitutionis manifeſtiſſimum erit, ſi vel ſemel oculis ſubiectam quis voluat, & conſideret, quâ authoritate Nicolaus potuerit (ſicut reipſa præſtitit) Romanorum Pontificum prædeceſſorum ſuorum circa eandem regulam declarationes

tationes innouare, ſupplere, interpretari, confirmare, ordinationes item, ſi quæ obſtant præſenti, reuocare: dominium rerum conceſſarum fratribus in ſe, & Apoſtolicam Sedem aſſumere; Procuratorem inſtituere, qui ex conceſſione, & nomine eiuſdem Sanctæ Sedis receptas eleemoſynas in fratrum neceſſitates expenderet: modum ſtatuere, quo dicti fratres cum puritate regularis obſeruantiæ ad amicos ſpirituales, ſeu benefactores ſine conſcientiæ anxietate, dum neceſſitas vrget, recurrerent: eam facultatem, quæ ex tenore regulæ ſoli Generali Miniſtro conceditur, examinandi, & inſtituendi prædicatores, ad Miniſtros etiam Prouinciales nouâ conceſſione, ſeu diſpenſatione extendere.

Idem amplius ex fine conſtitutionis (ſi quid amplius hac in re dici poſſit) declaratur: nam reuocatis aliis Apoſtolicis, quantumuis idem decernerent (ne obtrectatoribus aduerſum fratres iis vti liceret) hanc ſuam conſtitutionem, declarationem, ſeu ordinationem tantùm à fratribus ipſis præcisè, ac inuiolabiliter decernit perpetuis temporibus obſeruandam: & confirmationem adiicit in hunc modum. *Cùm igitur, inquit, ex prædictis, & aliis, per nos cum multa maturitate diſcuſſis, regula ipſa licita, ſancta, perfecta, & obſeruabilis, nec vlli patens diſcrimini euidenter appareat, illam, & omnia ſupra ſcripta per nos ſtatuta, ordinata, conceſſa, diſpoſita, decreta, declarata, etiam & ſuppleta de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine approbamus, confirmamus, & volumus exiſtere perpetuæ firmitatis, in virtute obedientiæ diſtricte præcipientes, quod hæc conſtitutio ſicut decretales epiſtolæ legatur in ſcholis.* &c. De Apoſtolicæ, inquit, poteſtatis plenitudine approbamus, &c. Diſtrictè præcipientes quod hæc conſtitutio ſicut cæteræ conſtitutiones, vel decretales epiſtolæ legatur in ſcholis. Ex quibus ſequitur eam eſſe decretalem epiſtolam authoritate Pontificia editam. Quod manifeſtè etiam colligitur ex ſequentibus, in quibus aduerſum proteruioris ingenij adinuentionem pœna excommunicationis adiicitur, ſi aliter quàm littera ſonat, interpretari ſtudeat, aut tentet decretalem.

Adiungo inſuper alia, quæ ſequuntur. *Et ne ſedem prædictam,* inquit, *contra detrectatores huiuſmodi oporteat vlterius laborare, vniuerſis, ac ſingulis, cuiuſcumque præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus diſtrictè præcipimus, ne contra prædictam regulam, & ſtatum prædictorum fratrum, ſeu contra præmiſſa per nos ſtatuta, ordinata, conceſſa, diſpoſita, decreta, & decretata, ſuppleta, & approbata, & etiam confirmata dogmatizent,* &c. *Sed ſi quid penes aliquem in his ambiguitatis emerſerit, hoc ad culmen prædictæ Sedis Apoſtolicæ deducatur, & authoritate Apoſtolica ſua in hoc manifeſtetur intentio: cui ſoli conceſſum eſt ſtatuta condere, & condita declarare,* &c. In fine autem indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum tranſgreſſoribus interminatur; quæ omnia maieſtatem, & authoritatem ſupremæ poteſtatis luce clarius oſtendunt; ergo reſponſio ſuperiùs expreſſa non ſubſiſtit. Authoritas decretalis

Eadem etiam reſponſio deſtruitur ex Eccleſiæ acceptatione; quadraginta enim quatuor annis illa conſtitutio inoffenſo pede, tanquam vera ex acceptatione Eccleſiæ.

 Pontificia

Pontificia decretalis proceſſit in ſcholis, foro, iudiciis, lectioni[illegible], pulpitis, ſuam vim, & authoritatem retinens, ab anno 1278. ad an[illegible] vſque 1322. nec toto eo tempore inuentus eſt, qui ſcrupulum moue ret, vſque dum ſub Ioanne XXII. liuor, neſcio quis, repentinâ faſ[illegible] natione obliquos in eam oculos defixerit: verùm tanto acceptio[illegible] curriculo, velut iam longæua, & ſolida, robuſtior, firmiorque eu[illegible], quàm vt teneræ ætatis malo, & inſidiis, aut decumberet, aut [illegible] correpta veneno occumberet. Eiuſdem acceptationis robur pe[illegible] variis Pontificibus data confirmatio probat, vt ex ſequenti rati[illegible] de monſtrabimus. Accedit tandem ad ſufficiens argumentum, qu[illegible]d præ dicta conſtitutio in iis etiam extrauagantibus Ioannis XXII. [illegible] *nonnunquam*, &c. &, *Ad conditorem*, &c.) quibus ex ſ[illegible] riorum contrarium dogma contra Nicolai determinatio[illegible]em [illegible] tur, pro vera Apoſtolica recipiatur. Ex dictis ergo conſtat accept[illegible] eius firmitas, & certitudo.

Eius authoritate & confirmatione Pontificum.

Tertia ratio aduerſus prædictam reſponſionem eſt varia c[illegible] tio eiuſdem decretalis per ſucceſſores Nicolai. Nam & [illegible] VIII. in conſtitutione, *Sanctæ Romanæ Eccleſiæ*, &c. Eam cum reliqu[illegible] ſim quas in lib. 6. decretalium tanquam veras Apoſtolicas d[illegible] & quibus ſtandum foret tam in ſcholis, quàm iudiciis, recen[illegible] & [illegible] firmauit, atque ſub titulo *de verborum ſignificatione* prop[illegible] lib. 5. Eandem Clemens V. in Concilio Viennenſi con[illegible] mentina, *Exiui de paradiſo*, &c. lib. 5. *de verb. ſignific.* Ite[illegible] nes XXII. in extrauagante, *Quorundam exigit*, Concili[illegible] C[illegible] decreto quod incipit, *Supplicationibus perſonarum*. Item B[illegible] ſub obedientia Pontificis hæſit decreto, quod incipit, *Sic* [illegible] Martinus V. ſæpius, maximè in conſtitutionibus, Eugenius IV [illegible] de quibus inferiùs: ergo decretalis ex vi ſuæ confirmationis, ma[illegible] in Conciliis generalibus, accedente tot Pontificum co[illegible], [illegible] cleſiæ acceptatione, ſupremum gradum authoritatis & cert[illegible]ud[illegible] ter conſtitutiones Pontificias multis capitibus attigit, ac proinde re[illegible] ſio ſuperius præmiſſa eſt falſa, & erronea.

Bonifacius VIII.

Clemens V.

Ioannes XXII.

Concil. Conſtan.

Baſilienſe.

Martin. V.

Eugen. IV.

Secunda reſponſio impugnatur.

Secunda reſponſio non magis vera eſſe probabitur ex dictis. I[illegible] miſſa namque decretali omnia concurrunt, quæ ad plen[illegible] thoritatem faciunt, aut in vlla alia conſtitutione Apoſtolica r[illegible] tur, aut poſſunt vllatenus reperiri ad certitudinem ſpectan[illegible]ia, [illegible] quod à Romano Pontifice edita, quod confirmata & acceptata [illegible] ceſſoribus, ab Eccleſia, a Conciliis generalibus. Igitur qu[illegible] ſcopo attigit, decidit, declarauit, infallibilem retinet cert[illegible] fidem, & mores concernit) atque veræ definitionis robur ſ[illegible]ur [illegible] quæ de Franciſcanorum profeſſa paupertate, eius mer[illegible], & ſan[illegible] declarauit Nicolaus primariò cadunt ſub ſcopo, & fine huius con[illegible] tionis, & pertinent ad fidem, & mores, vitam vtpote Chri[illegible], & [illegible] pretationem ſcripturæ reſpicit. Subſumptum probatur, & declara[illegible] Scopus conſtitutionis expreſſus eſt, declarare oborta circa regulam, & ſtatum fratrum, dubia quædam, ab ipſis fratribus mota, in quibus minus

princi

principaliter verſatur conſtitutio, potiſſimè verò edita eſt contra obtrectatores, vt illa, quæ ad ſenſum ſuum torquebant in odium fratrum, declararet, & os loquentium iniqua obſtrueret, ita enim Pontifex, præmiſſa regulæ, & ſtatus eminenti dignitate, ſubiungit; *Sed nec ſic, inquit, contra ipſos fratres Minores, & regulam hostis antiqui ceſſauit aſtutia, quin potius contra eos nitens ſuperſeminare zizania, interdum æmulatores agitatos inuidia, iracundiâ, & indiſcretâ vſtulia concitauit,* &c. & infra, exprimens motiuum, vt ſupra præmiſſum. *Veruntamen, vt ordo prædictus, quibuſlibet præciſis amfractibus, diſſimulâ & purâ vigeat charitate.* &c. *viſum eſt nobis mordacibus huiuſmodi vias mordendi præcludere*, &c. Ecce primum & principale motiuum conſtitutionis exprimitur eſſe, vt per hanc declarationem aduerſus mordaces fratrum, & regulæ æmulos, remedium ſtatueretur declaratione eorum, quæ ad calumnias, & detractionem adinuenit inſinuante ſe malitia, obtrectatio. Horum autem alij in vitam fratrum tanquam à regulæ inſtituto alienam inuolabant, non obſeruantem ſcilicet Euangelium, omniáque eius conſilia, prout in initio (*Regula & vita Minorum fratrum hæc eſt, ſcilicet Domini noſtri Ieſu Chriſti ſanctum Euangelium obſeruare,* &c.) & in fine (*& ſanctum Domini noſtri Ieſu Chriſti Euangelium, quod firmiter promiſimus, obſeruemus,*) illa præſcribit. Huc ſpectat totus primus articulus decretalis, eiuſque declarationem exhibet. Alij regulam ipſam impugnabant; *Eam illicitam, inobſeruabilem, & diſcriminoſam* (vt ait Nicolaus) *caninis latratibus lacerantes*: Hi autem in ſolam regulæ præſcriptam paupertatem, & expropriationem in communi offendebant (aliud porrò nihil impingit iiſdem Nicolaus in tota conſtitutione) aſſerentes nec licitam eam eſſe, nec meritoriam, vt quæ nec in Euangelio conſuleretur, nec in vita Chriſti, & Apoſtolorum exemplum vllum haberet, cùm loculos habuiſſe legantur; imò verò periculoſam eſſe, vt quæ ad ſui homicidium, Dei verò tentationem abdicatione omnium rerum tam in communi, quàm in particulari dominij induceret. Aduerſus hos eſt articulus 2. in cuius initio definit oppoſitum eorum, quæ obiiciebantur, ſcilicet talem abdicationem ſanctam eſſe, & meritoriam, eam Chriſtum, & Apoſtolos verbo docuiſſe, atque exemplo ſuo, & vitâ, & perfectionis viam ſequi volentibus monſtraſſe, declarans inſuper, quomodo per eiuſmodi abdicationem nullum incurratur diſcrimen, nec humanæ prouidentiæ, via ad victum, & vitam neceſſaria deſeratur, vſu rerum apud fratres, dominium verò earum (quibus vti permittit ſtatus) apud ſedem Apoſtolicam vel concedentes [illegible] modò illud ſibi reſeruent) perſiſtente. ita igitur Pontifex.

Porro cum regula ipſa expreſſa contineat, quod fratres nihil ſibi approprient, nec domum, locum, nec aliquam rem; ſitque declaratum per eundem prædeceſſorem Gregorium IX. & nonnullos alios, hoc obſeruari debere tam in ſpeciali, quàm in communi: quam ſic arctam abdicationem venenoſis obtrectationibus aliquorum inſenſata deprauauit aſtutia, ne fratrum eorundem perfectionis claritas (ecce motiuum expreſſum) *talium impetuis ſermonibus laceraretur; dicimus quòd abdicatio proprietatis huiuſmodi*

Primarium motiuum decretalis.

Definitio Pontificis circa ſtatum.

omnium rerum tam in ſpeciali, quàm etiam in communi, propter Deum meritoria eſt, & ſancta; quam & Chriſtus viam perfectionis oſtendens, verbo docuit, & exemplo firmauit, quamque primi fundatores militantis Eccleſiæ, prout ab ipſo fonte hauſerant, in volentes perfectè viuere per doctrina, ac vitæ ipſorum alueos deriuarunt. Neque his quiſquam putet obſiſtere, quod interdum dicitur, Chriſtum loculos habuiſſe: nam ſic ipſe Chriſtus, cuius perfecta ſunt opera in ſuis actibus viam perfectionis exercuit, quod interdum infirmorum imperfectionibus condeſcendens, & viam perfectionis extolleret & imperfectorum infirmas ſemitas non damnaret. Sic infirmorum perſonam Chriſtus ſuſcepit in loculis, ſic & in nonnullis aliis infirma humana ca nt aſſumens, prout Euangelica teſtatur hiſtoria, non tantum carne ſed mente condeſcendit infirmis: ſic enim humanam naturam aſſumpſit, quod in ſuis operibus perfectus exiſtens, in noſtris factus humilis, in propriis remanſit excelſus: ſic & ſumma charitatis dignatione ad actus quoſdã noſtræ imperfectioni conformes inducitur, quod à ſumma perfectionis rectitudine non curuatur. Egit namque Chriſtus, & docuit perfectionis opera: egit etiam & infirma, ſicut interdum in fuga patet, & in loculis: ſed vtrumque perfecte perfectus exiſtens, vt perfectis, & imperfectis ſe viã ſalutis oſtenderet, qui vtroſque ſaluare venerat, qui tandem mori voluit pro vtriſque, &c. hucuſque Pontifex.

Aduertendum autem, ſicut nihil æquè ac paupertas circa ſtatum regulæ inter æmulos, & fratres controuertebatur, ita nihil æquè impugnatum ab illis fuiſſe; nihil proinde æquè ad ſcopum decretalis pertinere (quæ aduerſum obtrectatores emanauit) ac ea, quæ de ſtatu paupertatis deciſa ſunt, & declarata; ergo in iis potiſſimum ſuam vim, certitudinem, & infallibilitatem ſortitur; quod etiam ſtyli proprietate, & proceſſu fit euidens. Primò docetur quid præſcribat regula. Secundò declaratio Gregorij IX. aliorúmque Pontificum circa idem. Tertiò obtrectatio aduerſariorum, qui abdicationem huiuſmodi non obſtantibus præmiſſis, inſenſata malitia deprauabant, ac inſuper declaratur eſſe ſententiuum deciſionis, ne talium ſcilicet obtrectatorum imperitis ſermonibus ſic abdicantium perfectionis claritas læderetur. Tandem expreſſo motiuo, ſubiicitur definitio, ſeu deciſio ipſius controuerſiæ verbis ſupra præmiſſis, *Dicimus*, inquit, *&c.*

Concludo igitur ex regulis inueſtigandæ & cognoſcendæ veræ definitionis in quæſtione fidei, & morum, qualis eſt præſens, vt nemini dubium eſſe poteſt & ſupra viſum eſt. Hæc ſententia Pontificis non obiter, incidenter, aut præter inſtitutum concepta eſt; ſed ex propoſito; non ex oblata leuiter occaſione, aut extranea ſubiectæ materiæ, ſed ex motiuo principali conſtitutionis intrinſeco, ſpecifico, & neceſſario: non narratiuè, diſputatiuè, opinatiuè, aut dubitatiuè, irreſolutoriè, & confusè, ſed expreſsè, reſolutoriè, indubitanter; ex certa ſcientia, aſſertiuè, deciſiuè, declaratiuè ſub iudiciali forma, & aſſertione: ergo eſt ſententia definitiua, & pro tali eſt habenda. Conſequentia eſt manifeſta ex proprietate ſtyli, & regulis cognoſcendæ veræ definitionis in decretalibus Pontificum, aut Eccleſiæ, quas communiter Doctores ſequuntur; & huius quidem argumenti vim penetrarunt ij, qui Nicolaum

aſtruunt

aſtruunt in hoc articulo ita definiſſe: ſed errâſſe tanquam particularem Doctorem; hæc autem eorum reſponſio tanquam erronea in ſuperioribus eſt reiecta, & hoc ipſo argumento eſt confutata: deciſio enim Pontificis ex cathedra, & ex plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis circa fidem, & mores, edita, ad particulare eius arbitrium, aut ſcientiam nullatenus referri poteſt, maximè in iis, quæ ex principali quæſtionis ſcopo deciduntur. Accedit, vt præmiſſum eſt, ad eius authoritatem acceptatio, & confirmatio ſucceſſorum, Eccleſiæ, & Concilij generalis Vienneniſis, Clementina *Exiui de paradiſo*, in qua hæc Nicolai conſtitutio ſpecialiter circa paupertatem in communi eſt approbata, & ſuborta dubia ex eius decreto, ad literam reſoluta.

Cæterùm vlteriùs duxi ad confirmationem dictorum circa hanc Nicolai determinationem, atque reliquorum, contrariæ opinionis cenſuram tam ex opinione Doctorum, quàm ex aliàs factâ eius damnatione adiungere; vt ſi noſtrum (quod nullum eſt) minus placeat, primariorum Theologorum iudicium nemo ſpernat.

In primis S. Thomas opuſc. 17. (quod inſcribitur contra retrahentes homines ab ingreſſu religionis) cap. 14. præmittens rationes ſententiæ contrariæ. *Nunc reſtat*, inquit, *conſiderandum, quomodo homines à religione retrahere conantur, religionis perfectioni derogando, maximè eorum, qui in communi poſſeſſiones non habent*, &c. Adductis verò rationibus, ſubiungit in fine; *Ex his igitur derogare nituntur perfectioni poſſeſſiones non habentium in communi.* cap. autem 15. eam ſententiam vocat in tit. errorem: *Confutatio*, inquit, *erroris prædicti.* Sed & in initio aſſertores eius dicit aduerſari non modicum doctrinæ & vitæ Chriſti. *Oportet autem*, inquit, *quod prædicti paupertatis impugnatores doctrinæ Chriſti, necnon vitæ ipſius non modicum aduerſantur, qui in omnibus paupertatem & ſeruandam docuit, & exemplo monſtrauit*, &c. Item ſub finem ſecundi argumenti quod eſt de imitando Chriſto poſito in Cruce, eiuſque paupertate & nuditate; *Sic igitur patet inimicos eſſe Crucis Chriſti prædictos aduerſarios paupertatis, qui terrena ſapientes terrenas poſſeſſiones ad perfectionem Chriſtianam pertinere arbitrantur, per quorum abiectionem fiat minor perfectio*, &c. & ſub finem capitis: *Nullus autem ſani capitis dicet ad mundi onera non pertinere communium poſſeſſionum curam*, &c. *Sic igitur patet vanam eſſe doctrinam, imo peſtiferam, & Chriſtianæ contrariam, illorum, qui dicunt, quod poſſeſſionibus communibus carere propter Chriſtum ad perfectionem non pertineat*, &c. Item cap. 16. in fine eandem doctrinam vocat erroneam, & peſtiferam, ſed ad hæc diceret aliquis S. Thomam non loqui hic niſi tantùm de abdicatione immobilium, eiúſque impugnationibus. Reſpondetur hoc eſſe manifeſtè falſum, vt videre eſt legenti. Conſulatur reſponſione ad ſeptimum, quod ex maiori ſolicitudine ſuborta ex mendicitate quotidiani victus cauſa obiicitur. *Quis enim*, inquit ſanctus, *non videat in immenſum maioris eſſe ſolicitudinis poſſeſſionibus procurandis curam impendere, ad quod vix ſæculares ſufficiunt, quam acquirere ſimplicem victum ex fidelium pietate collatum, & clementia diuina prouiſum*, &c.

Cenſura contrariæ ſententiæ ex S. Thom.

Impugnatores paupertatis in communi contrarij vitæ, & doctrinę Chriſti.

Eorum ſententia vana, peſtifera, erronea appellatur.

Reſpon

Reſponſione verò ad vltimum, quod impoſſibilitatem huius abdicationis vrget ex cibo, potu, quorum dominium nequit abdicari, ita [illegible]. *Quod autem vltimo propoſitum eſt, eſt friuolum: quia ea, quibus vtuntur religioſi ad ſuſtentationem vitæ, non ſunt eorum, quantum ad proprietatem domini, ſed diſpenſantur ad vſum neceſſitatis eorum ab his, qui harum dominium habent, quicunque ſunt illi*, &c. Idem patet ex ſecundo argumento, quod proponit de imitando Chriſto iuxta ſtatum, quem in Cruce nudus omni terrenâ facultate præſentauit. Et per totum.

Cenſura S.Bonau. in eoſdem.

S. Bonauentura opus de paupertate Chriſti quæſt. 1. art. 2. in fine §. ex iam dictis. *Si quis ergo impugnat rerum temporalium vniuerſalem renunciationem impugnat Chriſtum pauperem crucifixum, impugnat euangelicum conſilium, impugnat cœtum Apoſtolorum dicentium: ecce nos reliquimus omnia; impugnat Spiritum ſanctum, qui hoc inſpirat*, &c. In Apologia verò pauperum damnat erroris & blaſphemiæ opinionem oppoſitam, quam docuit Gulielmus à S. Amore.

Damnantur erroris & blaſphemiæ.

Alex. Alenſis in eoſdē cenſura.

Alexander Alenſis 4. part. quæſt. 30. memb. 2. art. 2. (in quo præſentem difficultatem fuſius explicat) ante reſponſionem ad argumenta [illegible] poſitæ ſententiæ ita habet. *Ex his apparet euidenter, quod omnibus [illegible] bus vniuerſaliter abrenunciare pro Chriſto culpandum non eſt, ſed [illegible] laudandum, tanquam culmen perfectionis Euangelicæ. Vnde rationes e[illegible] pla, authoritates concedendæ ſunt ad iſtam partem, ad quam [illegible] aſtruendam vna ſola authoritas ex ore Chriſti, conſulens dimittere [illegible] eſſet ſufficientiſſima*, &c. paulò inferius; *Igitur quoniam diuina auth[illegible] ſic expreſſe dicit omnia dimittenda eſſe qui vult ad perfe[illegible] euangelicam, manifeſtum eſt, quod verum iſtud ita certitudinaliter [illegible] teneri, quod ei non poſſit ſine periculo fidei obuiari.*

Eos periculum in fide incurrere.

Cenſura Henrici de Gandauo.

Henricus de Gandauo quodlibeto 7. quæſt. 28. in reſolutione quæſtion. *Si autem comparemus* inquit *habere propria ad non habere ea, [illegible] eo, quod eſt non habere communia, [illegible] aliqui dubitant, quid ſcilicet m[illegible] ſit an habere, an nihil habere omnino, nec propria, nec communia, [illegible] quoad ius, [illegible] dominium, quia ſiue [illegible] ſic [illegible] poteſt eſſe [illegible] in ſequenti quæſtione. Aliqui enim dicunt quod obligari ad nihil habere omnino eſt diſcrimini ſe committere, ac tentare Deum circa prouiſionem neceſſariorum, aut eſt multum propinquum illi, propter quod abſque [illegible] dictione dicunt hoc nullo modo licere, & ita non eſſe melius, quam habere propria, imò multò deterius.*

Damnatos per Nicolaum Pontificem cenſet.

Quorum opinionem damnat Nicolaus Papa in expoſitione regulæ Fratrum Minorum dicens, quod taliter propter Deum omnia abdicantes [illegible] tanquam homicidæ ſui, vel tentatores Dei, viuendi ſe diſcrimini com[illegible]. Sic enim ſeipſos committunt diuinæ prouidentiæ in viuendo vt viam [illegible] contemnant humanæ prouidentiæ, &c. vide, quæ ſequuntur.

Quæſtione autem 29. *Reuera nihil vniuerſaliter habere, niſi ad [illegible], & ab omni dominio poſſeſſorum, & poſſidendorum ſe expedire per omnimodam abdicationem, multum de illa ſolicitudine ſubtrahit, quæ conſiſtit in poſſidendo mobilia tantùm, aut cum illis etiam immobilia. Igitur ſi aſpiciamus ad abdicationem, & ſolicitudinem, quæ nata eſt eſſe in temporalia poſſidendo:*

Dicendum

Dicendum eſt, quod multò perfectior eſt ſtatus nihil habentium, nec in proprio, nec in communi, quàm aliquid habentium, & magis ſunt quoad hoc iſti expediti ad conuertendum totum amorem ſuum in Deum, quam alij. Propter quod Nicolaus Papa in expoſitione regulæ prædictæ, dicit, quod abdicatio proprietatis omnium rerum tam in ſpeciali, quàm etiam in communi propter Deum meritoria eſt & ſancta, quam & Chriſtus viam perfectionis oſtendens verbo docuit & exemplo firmauit,&c. Proſequitur deinceps Henricus tranſcribens reliqua decretalis, quæ ad idem faciunt, & mox ſubiicit; *Ecce quæ dicit, & proculdubio verum dicit regulam talem, quoad huiuſmodi abdicationem meritoriam, & perfectam, & non ſolùm meritoriam, ſed & eò magis meritoriam, quò*, &c. *Scilicet per ipſam profeſſores ipſius magis à temporalibus propter Deum elongantur*,&c. (Verba ſunt Nicolai) *& ex hoc in rei veritate magis perfectam, imò ſimpliciter perfectam, quantum eſt de perfectione regulæ ex parte contentorum in illa*, &c. Hæc Henricus, qui id ipſum deinceps probans concludit.

Eſt igitur in hoc talis profeſſio, ſeu regula perfectior cæteris habentibus aliquid in communi, quo vt dicit Nicolaus Papa profeſſores eius ad nonnulla euangelica conſilia eò magis ſecundùm exigentiam ſui ſtatus tenentur, pluſquàm cæteri Chriſtiani, quo per ſtatum perfectionis quem per profeſſionem huiuſmodi aſſumpſerunt, ſe obtulerint holocauſtum Domino medullatum, per contemptum omnium mundanorum. In quo impletur præcipuè Chriſti conſilium de non eſſe ſolicitum, &c. Eadem latè proſequitur ibidem Henricus tota q. Reliquos breuitatis cauſa omitto tam noſtros, quàm alios, qui meritò per omnia ſcholæ primarios ſequuntur magiſtros. Ex dictis porrò manifeſtiſſimè conſtat, cuius notæ cenſenda ſit oppoſita aſſertio.

Sed & meritam damnationem ſubiit in Gulielmo à Sancto Amore ex decreto tum Alexandri IV. Pontificis, quàm vniuerſitatis Pariſienſis.Eandem Deſiderius Longobardus,& Geraldus de AbbatisVilla contra veritatem defenſabant. Huius teſtes habemus S.Thom. & Bonau. in iis opuſculis, quæ aduerſus eiuſmodi obtrectatores,& errones dictarunt. Videantur locis citatis D. Thom. 6puſc.17. cap.14. 15.16. & opuſc. 19. contra eundem Gulielmum eiúſque aſſeclas cap. 6. & 7. S.Bonau. opuſc. de paupertate Chriſti contra eundem Gulielmum a. 1. & 2. Item in Apologia pauperum contra Geraldum de Abbatis Villa reſp.3. cap.1. & reſp.4. cap.1.& 2. & 3. Sæpius damnata ſententia oppoſita.

His adiicio omni exceptione maiorem Alexandrum IV. in decretali, quæ incipit, *Romanus Pontifex*, &c. Quâ damnauit libellum prædicti Gulielmi, cum doctrina in eo contenta.

Sanè quidam ſcripturæ ſacræ intelligentiam ſe habere fatentes. ſed diuertentes à tramite recti ſenſus, cogitauerunt nuper malitiam, & contra innocentes, & rectos iniquitatem maximam ſunt loquuti, exarſerunt in cordibus, & in linguâ eorum maliloquâ, dolum, & nequitiam concinnarunt ſurgentes aduerſus fratres,detraxerunt & contra dilectos matris Eccleſiæ filios ſcandalum poſuere. Prodiere, inquam, & in praua commenta ex nimio calore animi proruperunt,libellum quendam valde pernicioſum,& deteſtabilem, Damnatio Gulielmi à S. Amore.

Oo *ſed*

ſed reprobabilem ; non veritatis , ſed mendacij ; non eruditionis, ſed derogationis ; non monentem , ſed mordentem ; non inſtruentem veraciter , ſed fallentem. Quem nos ad Sedem delatam Apoſtolicam venerabili fratri Epiſcopo Tuſculano, & dilectis filiis noſtris Innocentio tit. S.Laurentij in Lucina, & Honorio tit. S. Sabinæ preſbyt.Cardinalibus,& Innoc.tit. S.Nicolai in carcere Tulliano Diacono Cardinali examinandum commiſimus, vt plenè ipſi inſpicerent, & vniuerſa contenta in eo perfectè attenderent , & diſcuterent diligenter.

Quo ſtudioſè perlecto, & maturè, & diſtrictè examinato nobiſque de hoc plenariâ factâ relatione ab eis , quod in ipſo quædam peruerſa , & reproba contra poteſtatem , & authoritatem Romani Pontificis , & Coepiſcoporum ſuorum, & nonnulla contra illos,qui propter Deum ſub arctiſſima paupertate mendicant , mundum cum ſuis opibus voluntariâ inopiâ ſuperantes ; alia verò contra eos, qui ſalutem animarum Zelantes ardenter, & ſacris ſtudiis procurantes multos in Eccleſia Dei operantur ſpirituales profectus, & magnum faciunt ſibi fructum, quædam autem contra ſalutem(fortè ſalutarem) *pauperum, ſeu mendicantium religioſorum ſtatum ; ſicut ſunt dilecti filij fratres Prædicatores,& Minores qui vigore ſpiritus, ſæculo cum ſuis diuitiis derelicto, ad ſolam cœleſtem patriam totâ intentione ſuſpirant* , &c.

Nos libellum eundem, qui ſic incipit : Ecce videntes clamabant foris,quique ſecundùm ipſius titulum,tractatus breuis de periculis nouiſſimorum temporum nuncupatur , tanquam iniquum, ſceleſtum , & execrabilem, & inſtitutiones, ac documenta in eo tradita vtpote praua , falſa , & nefaria de fratrum noſtrorum conſilio, authoritate Apoſtolicâ duximus reprobanda, & in perpetuum condemnanda , &c. Ita habet damnatio libelli per Alexandrum Pontificem, quæ non modò reprobat ipſum, ſed inſtitutiones & documenta in eo tradita & ſpeciatim aduerſus paupertatem Ordinis Minorum & Prædicatorum. Thomas Waldenſis inter reliquos Witcleſi errores illum eundem enumerat , & impugnat doctrinalis fidei lib.4. art.1. cap.15. & 16. nec longè ab eodem recedunt articuli damnati in Concilio Conſtantienſi, qui mendicitatem religioſorum impugnant. Tandem ex eodem Concilio Conſtantienſi oppoſitum dogma ex ſacri Concilij ſententia recantare compulſus eſt Fr.Mathæus Grabon Ordinis Prædicatorum art.3. qui talis eſt.

Errores Fr. Mathæi Grabe.

Omnes peccant, qui bona ſua ſimpliciter in eleemoſynam largiuntur propter Chriſtum. Qui articulus non modò damnatus eſt in terminis,prout ſonat ; verùm etiam in ſuo principio & ſecundùm mentem & declarationem authoris habitus eſt hæreticus, erroneus , ſcandaloſus , & ſcripturæ contrarius ex cenſura Domini Cardinalis Cameracenſis de Aliaco, quam Cancellarius Pariſienſis ſuo confirmauit calculo.

Fundamentum autem prædicti articuli ex aſſertoris ipſius libello (quem in ſui defenſionem Martino V. exhibuit) eſt tale. *Nullus poteſt licitè , & meritoriè, imò nec veraciter obedientiæ , paupertatis & caſtitatis vniuerſalia conſilia coniunctim extra veras religiones manendo adimplere.* Hoc eſt principium & fundamentum vnde author damnatos articulos ordine ſuo deducebat,ac proinde inferebat paupertatis conſilium

lium obſeruari non poſſe in vita ſæculari: ita enim ſubiicit; *Ex qua* (ſupple, concluſione præmiſſa) *ſequitur immediatè formalis conſequentia, articulus ſeu concluſio nona in ordine, quòd nullus poteſt prædictum paupertatis conſilium meritoriè, imò nec veraciter obſeruare, niſi fuerit in ſtatu ſpiritualis perfectionis, ſiue veræ religionis.* Poſtea verò præmiſſa differentia ſtatus ſæcularis à regulari, quod in illo debeat fieri Deo oblatio velut ſacrificium ex parte tantùm, ac proinde vota ſæcularium dicit particularia, religioſorum autem vota ſunt vniuerſalia & tanquam holocauſtum, vt qui omnia Deo conſecrant, nihilo ſibi retento: præmiſſa, inquam, hac differentia velut primariæ aſſertionis ratione, ita ſubiicit; *Ex quibus ſequitur vndecima, quod abdicare quenquam omnia propter Chriſtum extra prædictas religiones manendo, ſeu niſi veram aliquam religionem ingrediatur, eſt ſibi, & ſuis quorum cura ſibi incumbit, vitam ſubtrahere, quod eſt homicidium tot hominum committere, quot eius curæ ſubduntur. Hæc eſt de mente S. Thomæ 2. 2. quæſt. 33. art.* &c. *Ex quibus ſequitur, quòd nullus poteſt abdicationem omnium propter Chriſtum facere extra veram religionem manendo ſine peccato mortali, quia ſubtraheret ſibi vitam. Ex quibus ſequitur, quod omnes peccant, qui bona ſua ſimpliciter in eleemoſynam largiuntur extra religionem veram manendo, quæ eſt tertia concluſio in ordine.* Hæ ergo propoſitiones, vt ſuperius adnotaui, non tantùm ex formali ſignificatione, & quatenus aſtruunt eos peccare tanquam homicidas, qui omnia abdicant nihilo ſibi retento, & manentes in ſæculo; ſed etiam in ſenſu radicali & fundamentali, ſeu quatenus exhibitæ & declaratæ ſunt per aſſertorem in ſuo libello, (quem perſtringit cenſura) & prout innituntur primariæ aſſertioni, negantes meritum, & honeſtatem paupertatis, & omnimodæ abdicationis, licèt ſic abdicans nullam ingrediatur religionem, in ſæculo, videlicet, cunctis relictis, & à ſe alienatis rebus, perſeuerans: & hic etiam eſt expreſſus declaratus, & intentus ab authore ſenſus.

Huc ſpectant reliqui articuli, ſeu concluſiones damnatæ, quas idem de paupertate exhibuit, & potiſſimum ſeptima; *Religioſus*, inquit, *non poteſt ſine peccato mortali abdicare voluntatem habendi communia, quando actu talia non habet*, &c. quam concluſionem idem in libello ſic declarauit; *Sequitur etiam, quod religioſus ſine peccato mortali non poteſt abdicare voluntatem habendi communia, etiam quando actu talia non habet, quia enim illud, quod nullus facere poteſt ſine peccato mortali, nullus poteſt illud velle facere, & religioſus non poteſt abdicare communia, quia ſine illis viuere non poſſet, cùm per ſuam profeſſionem renunciauerit omnibus & ſingulis propriis ſingularibus.* Hæc ille; cuius aſſertio tanquam erronea damnata eſt à Concilio. Articuli, libellus, & palinodia ſimul cum cenſuris Cardinalis Cameracenſis & Gerſonis Cancellarij Pariſienſis habentur apud eundem Gerſonem tom. 1. 1. part. cum conſule.

Hucuſque ni fallor ſatis ſupérque quæſtionem deduximus (licèt ſcopo affixi neque vel paululum digreſſi non omnia, quæ dici poſſunt, expreſſimus) probantes eam rerum abdicationem, quæ proprium in communi & in particulari iure poſſeſſionis ſeu dominij non admittit præ-

ceſſiſſe in Chriſto,& eius Apoſtolis; eámque Chriſtum verbo docuiſſe, & exemplo firmaſſe; ſanctam autem eſſe, ac meritoriam; contrarium huius ſentientes velut errones damnatos eſſe ab Eccleſia: ſequitur igitur intentum principale, videlicet ratum, & firmum eſſe quod vel Nicolaus Papa circa paupertatem definiuit, vel quod fratres Minores cum ſequuti aſſeruerunt in Capitulo Generali Peruſino. Inſuper reſtat, vt ſicut noſtra aſtruimus, ita & aduerſariorum obiectiones congruâ reſponſione diluamus, quod ſequentibus Deo duce præſtandum erit.

CAPVT VI.

Satisfit obiectionibus aduerſariorum.

NOn eſt mei propoſiti omnes huc aduocare ſiue obtrectatorum cauillos; ſiue etiam probatorum alioquin virorum minus fundata placita, & rationes: admonitum lectorem cupio hîc plurium probari conſtantiam: ſi negotium faceſſat Gulielmus à Sancto Amore, Wiclefus, Lutherus, & huiuſmodi paupertatis, & mendicitatis exterminatores, hoſtes religioſorum mendicantium, tunc veritas præualet, omnes in patrocinium aduolant paupertatis; Chriſti & Apoſtolorum vitæ exemplum, & documenta proferuntur; ſanctorum Patrum vigent teſtimonia; nihil frequentius inculcatur, quàm Apoſtolorum miſſio ſine auro, argento,&c. diſcipulatus Chriſti onera, expropriatio Petri, atque aliorum expenditur, diuiti à Chriſto datum conſilium venditionis, alienationis, & diſtributionis bonorum tanquam perfectionis acquirendæ monſtratur via, & vt vno abſoluam verbo tum quiſque aut Franciſcus eſt, aut verus Franciſcanus. Si autem ex altera parte de ſtatus perfectione agatur, paupertatis Franciſcanæ ſingularitas diſplicet,atque adeo in oppoſitum,velut in aliud Euangelium, affectus ingenium diſtorquet, vt, quo eiuſdem paupertatis meritum, ne quid ſingulare appareat deprimatur, non vereantur quidam in ſui etiam ſtatus præiudicium, ſtabiles poſſeſſiones, & diuitias paupertati mendicantium vniuerſim præferre, tanquam in illis magis meritum minore coniuncta ſolicitudine habeatur. Quibus autem viis vel hoc aſtruunt, vel impugnant paupertatem in communi, penè vanum eſt recenſere. Verùm, vt ſciat lector, quorum veſtigiis inſiſtant, potiores eorum obiectiones hîc adſcribam cum ſuis reſponſionibus, friuolas omittens.

Quorundam inconſtantia.

ARTICV

ARTICVLVS I.

Expenditur obiectio prima deſumpta ex loculis, quos Chriſtus habuiſſe dicitur.

CHriſtus & Apoſtoli vixerunt ex loculis in communem vſum depoſitis: ergo falſum eſt aſſerere, aut eos in communi nihil habuiſſe, aut eiuſmodi abdicationem rerum in communi ſpectare ad perfectionem. Conſequentia quoad primum membrum eſt nota; quoad ſecundum verò patet, quia non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum, vnde ſicut Chriſti vita noſtræ perfectionis eſt menſura, & exemplar; ita id ſolum in exemplum, & perfectionem eſt trahendum, quod ille in ſeipſo exhibuit. Deinde ſi talis abdicatio ad perfectionem ſpectaret, eius contrarium exemplum non propoſuiſſet, alioquin in hoc eſſet imperfectus, quod blaſphemum eſt aſſerere.

Antecedens quidam probant Marc. 6. *Date illis vos manducare: & dixerunt* (ſupple, diſcipuli) *ei: euntes emamus ducentis denariis panes, & dabimus illis manducare*, &c. Item Ioannis 6. *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis*, &c. Vbi videntur diſcipuli habuiſſe ducentos denarios. Aliter probatur ex Ioan. 4. *Diſcipuli abierunt in ciuitatem, vt cibos emerent*, &c. emere autem eſt Domini. Item Ioan. 13. *Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixiſſet ei Ieſus: eme ea, quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum, aut egenis vt aliquid daret*, &c. quibus verbis videtur ſupponi id conſuetum fuiſſe, vt ex loculis ſibi & aliis prouideret, aut prouideri faceret Chriſtus. Item Ioan. 12. *Dixit ergo vnus ex diſcipulis eius, Iudas Iſcariotes, qui erat eum traditurus: quare hoc vnguentum non veniit trecentis denariis, & datum eſt egenis? dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat & loculos habens ea, quæ mittebantur, portabat.*

Reſponſio.

Obſeruandum in primis hoc idem argumentum de loculis eſſe Guilielmi à Sancto Amore adinuentum contra ſtatum nihil habentium in communi, vt conſtat ex Sancto Bonauentura opuſculo contra eundem artic. 1. ad oppoſitam partem argum. 3. & S. Thoma opuſc. 19. contra impugnantes religionem cap. 6. & opuſc. 17. contra retrahentes ab ingreſſu religionis cap. 14. viderint ergo, qui eo vſi ſunt ex quo fonte hanc ſcripturæ intelligentiam hauſerint, quam damnauit Eccleſia. Sanè, inquit Alexander IV. *Scripturæ ſacræ intelligentiam ſe habere fatentes, ſed diuertentes a tramite recti cogitauerunt ſuper malitiam*, &c. nempe vt rectè profectò Bernardus; *Si in lectione*, inquit, *dum quærit, qui legit omnia cooperantur ei in hoc ipſum; ſi autem in aliud declinat ſenſus legentis* Ad fratres de monte Dei de vita ſolitaria.

omnia trahit poſt ſeipſum, nihilquè tam ſanum, tam pium in ſcripturis inue-nit, quod ſeu per vanam gloriam, ſeu per diſtortum ſenſum, ſeu per prauum intellectum non applicet ſuæ malitiæ, vel vanitati, &c. Idem argumentum ex loculis in hunc etiam ſenſum reſumpſit Gerardus de Abbatis Villa aſſertor Gulielmi, vt teſtis eſt S. Bonauentura Apologiæ pauperum reſponſ. 4. cap. 1.

Quādo habuit Chriſtus loculos, & quare? Reſpondetur tamen affirmatiuè Chriſtum nempe interdum habuiſſe loculos, non tamen ſemper; qui autem inde ſemper eum habuiſſe proprium colligunt, verius, vt ita dicam, diſpergunt. Chriſtus in primis habuit loculos ad inſtructionem infirmorum, quorum in hoc imperfectioni condeſcendit eorum infirmas ſemitas aſſumens. Ita Nicolaus III. determinat, atque exponit ea, quæ de Chriſti loculis ſacra deponit hiſtoria: *Neque*, inquit, *his quiſquam putet obſiſtere, quod interdum dicitur Chriſtum loculos habuiſſe: nam ſic ipſe Chriſtus, cuius perfecta ſunt opera,* Perſonam infirmorū in loculis aſſumpſit. *in ſuis actibus viam perfectionis exercuit, quod interdum infirmorum imperfectionibus condeſcendens, & viam perfectionis extolleret & imperfectorum infirmas ſemitas non damnaret: ſic infirmorum perſonam Chriſtus ſuſcepit in loculis*, &c. hæc Pontifex. Sed reſpondet Antoninus (aut quidam apud eum Magiſter Ordin. Prædicatorum) 4. part. titul. 12. cap. 4. Ioan. de Neapoli. concluſ. 5. quod Chriſtus non condeſcenderit infirmis mente, ſed carne, ita Nicolaum exponit & vniuerſim ea loca, quæ Chriſtum indicant condeſcendiſſe infirmis. Verùm hæc reſponſio non modò violenta eſt: ſed etiam erronea, loquendo de operibus imperfectionis in ſenſu Nicolai, ſanctorum, & iuxta propoſitum noſtræ quæſtionis, prout ſcilicet excludunt deformitatem, & rationem peccati, & dicuntur dumtaxat imperfecta, (id eſt, non perfecta ex obiecto, bona tamen ex fine & circunſtantia) ſeu per comparationem ad perfectiora ſua oppoſita, quæ eminentioris ſunt gradus. Nam & de fide eſt eum ſuo aliquando exemplo & doctrinâ infirmis condeſcendiſſe etiam mente, id conſtat in fuga, in conuiuio cum piſcatoribus, & publicanis, in non ieiunando, in ſolutione cenſus, ne miniſtri ſcandalizarentur. Item inſtitutione matrimonij in ratione ſacramenti, quod ſuâ præſentiâ in Cana Galilææ Chriſtum mente condeſcendiſſe infirmis. confirmauit, & Matth. 19. docet quod Deus coniunxit, homo non ſeparet: præferendum tamen eſſe ſtatum cœlibatus, & virginitatis ſtatui coniugatorum non modò eodem ex loco conſtat, ſed Trident. ſeſſ. 24. Canon. 10. de fide credendum ſtatuit. Sic etiam Ioan. 12. *Nunc anima mea*, inquit, *turbata eſt, & quid dicam?* Item in horto eandem turbationem oſtendit.

Auguſt. Auguſt. tract. 52. in Ioan. *O Domine*, inquit, *agnoſco miſericordiam tuam. Nam quod tu tantus, tuæ charitatis voluntate turbaris; multos in corpore tuo, qui ſuæ infirmitatis neceſſitate turbantur, ne deſperando pereant, conſolaris*, &c. & tract. 60. in Ioan. *Quid eſt ergo, quod ille turbatus eſt, niſi quia infirmos in ſuo corpore, hoc eſt, in ſua Eccleſia ſuæ infirmitatis voluntariâ ſimilitudine conſolatus eſt: vt ſi qui ſuorum adhuc morte imminente turbantur, in ſpiritu ipſum intueantur, ne hoc ipſo ſe putantes reprobos peiore deſperationis morte ſorbeantur?*

Chryſoſtomus. *Ex his*, ait, *nos admonet Dominus, vt ſi quando affligimur, ſi quid timemus, non ita reſiliamus à propoſitis.* Vide Theophilum & alios. Chriſtus etiam fleuit ſuper ciuitatem, & ſuper Lazarum. Chryſoſt.

Euthymius. *Ciuitatem Ieruſalem propter immenſa vitia deſtruendam humano modo Chriſtus præ immenſa ſua bonitate deflet*, &c. Hinc ergo reiicienda prædicta reſponſio. Sed quam præter mentem Nicolai ſententiam explicet, ex ipſius Pontificis verbis manifeſtè liquet. Ita porrò ſubiungit Nicolaus; *Sic*, inquit, *& in nonnullis aliis infirma humanæ carnis aſſumens, provt Euangelica teſtatur hiſtoria, non tantùm carne, ſed mente, condeſcendit infirmis*, &c. *Mente*, inquit, *condeſcendit infirmis, & non tantùm carne.* Hic tamen condeſcenſus in Chriſto citra imperfectionem ex ſummâ charitate fiebat pro inſtructione, & ſalute infirmorum, provt ibidem Nicolaus docet. Euthym.

Quantum ad principale intentum eadem eſt doctrina Auguſtini in Pſal. 103. ſuper illis verbis, *producens fœnum iumentis*, &c. *Habuit enim loculos* (ſupple, Chriſtus) *& dictum eſt de quibuſdam fœminis religioſis, quod ambulabant qua ibant pedes eius euangelizantes, & miniſtrabant ei de ſubſtantia ſua*, &c. *Vide quæ fiebant. Futurus erat Paulus nihil tale aliquando quærens, & omnia prouincialibus donans: ſed quia multi infirmi, quæſituri iſta erant, magis infirmorum perſonam ſuſcepit Chriſtus, ſublimius Paulus: nunquid & Chriſto ſublimius? ſublimius Chriſtus, quia miſericordius. Cùm enim videret & Paulum iſta non eſſe quæſiturum, præuidit ne damnaret quæſiturum, & præbuit exemplum infirmo*, &c. hæc Auguſt. ſubiungens quomodo Chriſtus etiam infirmorum perſonam ſuſcepit in paſſione, dicens: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.*

Item de opere Monachorum cap. 5. *Dominus enim noſter*, inquit, *more miſericordiæ ſuæ infirmioribus compatiens cùm ei poſſint Angeli miniſtrare, & loculos habebant quo mitteretur pecunia quæ conferebatur vtique à bonis fidelibus eorum victui neceſſaria.*

Hugo ſuper Pſalm. 10. *Habebat Ieſus loculos conformans ſe imperfectis: nam in numero imperfectorum inueniri voluit*, &c.

D. Thom. contra impugnantes relig. cap. 6. *Ad illud*, inquit, *quod octauò obijcitur dicendum, quòd quamuis non ſit præceptum, quod nihil pecuniæ ad vſus neceſſarios reſeruetur, eſt tamen conſilium: nec Dominus loculos habuit, quaſi aliàs ei non potuiſſet prouideri, ſed vt infirmorum gerens perſonam, vt ſibi licitum crederent quod à Chriſto obſeruatum viderent.* Concordat S. Bonauentura locis citatis.

Gloſſa in illa Ioan. 12. *loculos habebat. Cùm Angeli miniſtrant, loculos habet in ſumptus pauperum, condeſcendens infirmis.* Gloſſa.

Alenſ. 4. part. quæſt. 3. in primo. *Habuit etiam loculos condeſcendendo infirmis, ſicut habetur ex Gloſſa ſuper illud Pſalm. 103. producens fœnum iumentis. Dominus loculos habuit in vſus ipſorum. qui cum illo erant, & ſuos, & religioſas mulieres in comitatu, quæ miniſtrabant ei de ſua ſubſtantia, in his infirmorum magis perſonam ſuſcipiens: præuidit enim multos infirmos futuros, & iſta quæſituros: vnde etiam ibi eorundem perſonam ſuſcepit, vbi dixit; Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*, &c. Alenſis

Chriſtus

Loculos habuit Chriſtus in caſu neceſſitatis.

Chriſtus etiam habuit loculos in caſu neceſſitatis, vt quando tranſiuit per Samaritanos: ita Alenſis, & Diuus Bonauentura. In hunc ſenſum exponit Beda diſpenſatum fuiſſe cum Apoſtolis Luc.22. iſtis verbis: *Sed nunc qui habet ſacculum, tollat,* &c. *Miſſis,* inquit, *ad prædicandum diſcipulis præcepit ne quid tollerent in via, videlicet ordinans vt qui Euangelium annuntiant de Euangelio viuant. Mortis verò inſtante tempore, & tota ſimul gente paſtorem pariter gregémque perſequente, congruam tempori regulam decernit, pecuniam ſcilicet victui neceſſariam, donec ſopitâ perſecutorum inſaniâ, tempus euangelizandi redeat tollere permittendo,* &c. Concordat Gloſſa, Lyranus, S.Thomas.

Habuiſſe etiam loculos in vſus pauperum colligitur ex Ioann. 12. *Quare hoc vnguentum non venijt trecentis denariis, & datum eſt egenis? dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum,* &c. Marc. 14. *Potuit vnguentum iſtud venundari pluſquam trecentis denariis, & dari pauperibus.* Matth.26. *Potuit vnguentum iſtud venundari multo, & dari pauperibus,* &c. Concordat Hieron. in Matth.17. *Vade ad mare,* &c. *Quod ſi quis,* inquit, *obijcere voluerit, & quomodo Iudas in loculis portabat pecuniam? Reſpondebimus rem pauperum in vſus ſuos conuertere nefas putauit, nobiſque idem tribuit exemplum.* ſupple, Chriſtus.

Hieron.

Nazianz.

Nazianzenus oratione 16. quæ eſt de pauperibus fouendis, idque faciendum probans exemplo Chriſti, & Apoſtolorum, ait; *Quin me quoque monet Chriſti crumena, quæ nos ad pauperes alendos exhortatur: Petrique etiam, & Pauli conuentio, qui Euangelij promulgationem ita inter ſe partiti ſunt, vt pauperes interim communi animorum ſtudio fouerent,* &c. Hæ ergo fuerunt cauſæ, & motiua ob quæ reſeruabantur loculi à Chriſto, videlicet vt infirmis condeſcenderet & ob neceſſitatem vrgentẽ, & ex cura pauperum. Primum & vltimum motiuum concernebant Chriſtum in quantum erat perſona publica, & prælatus, ad quem tam inſtructio infirmorum, quàm cura ſubditorum iure ſpectabat adminiſtrationis. Secundum verò ad perſonam eius etiam particularem referri poteſt. Hi autem loculi non ex proprio Chriſti aut Apoſtolorum peculio deponebantur, quod nullum omnino fuit; ſed à fidelibus per modum eleemoſynæ, & ſubſidij mittebantur: hinc Ioannes 12. loquens de Iuda; *Fur,* inquit, *erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur portabat,* &c. *Quæ mittebantur,* inquit, ſupple, ab aliis in ſubſidium.

Ad argumentum ergo in forma diſtinguo antecedens, Chriſtus & Apoſtoli vixerunt ex loculis in communi poſſeſſis pro aliquo tempore, & prout condeſcendebat infirmis, ſeu in caſu neceſſitatis concedo, quouis autem tempore, ſeu prout perfectionis acquirendæ viam ſequebantur, & docebant, vixit ex loculis, nego, cùm oppoſitum manifeſtè ex ſacro textu liqueat Luc.8.9.10. Matth.10.19. & aliis locis ſupra præmiſſis. Vtraque verò conſequentia falſa eſt; ad cuius probationem patet ex dictis; nam Chriſtus non modò perfectorum opera, ſed etiam infirmorum in ſeipſo aſſumpſit & exercuit inſtructionis ergo; ex perfectiſſima tamen charitate his condeſcendens, illis viã virtutis monſtrans, vt quid permiſſum ſit infirmioribus, fragilitatis indulto, quid

verò

verò conſultum ſit ad altiorem gradum conantibus diſcernatur, nec meritum proficientis neceſſitatem ſtatuat non operanti, aut libertati operis; quod ex abundantia ſupererogatur, tanquam eius omiſſio præcepti fieret culpabilis trangreſſio. Doctrina eſt Auguſtini, Nicolai Pontificis, & aliorum, quos præmiſimus.

Ad antecedentis probationem primam reſpondetur, ex verbis citatis non colligi Chriſtum habuiſſe loculos: immò oppoſitum iuxta veriorem ſententiam inferri. Locutio enim eſt ironica, quaſi impoſſibile erat in deſerto tantam multitudinem reficere, cui non ducentorum quidem denariorum pretium ſufficeret, vt modicum quiſque acciperet, qui tamen denarij non ſuppetebant Apoſtolis, qui iam omnia reliquerant: ideo Cyrillus in Ioan. lib. 3. cap. 14. *Quare*, inquit, *quantum ad paupertatem diſcipulorum attinebat, quantum etiam ad Philippi ſententiam nondum perfectè de ſaluatore ſentientis, ad impoſſibile tam liberalitas nutriendæ multitudinis deducta erat. Sed quod impoſſibile eſt apud homines, poſſibile eſt apud Deum*, &c. Idem ſubindicat Auguſt. tract. 24. in Ioan. *Denique*, inquit, *& diſcipuli qui erant cum Domino in fame, & ipſi turbas volebant paſcere, vt non remanerent inanes, ſed vnde paſcerent non habebant*, &c. Eadem eſt ſententia Diui Thomæ, Ianſen. Lyran. Caietan. Maldonati, Carthuſ. & colligi poteſt ex ironia & verbis Ioannis aſſerentis Philippum interrogatum à Chriſto; *Vnde ememus panes, vt manducent hi? hoc autem dicebat tentans eum: ipſe enim ſciebat, quid eſſet facturus; reſpondit ei Philippus, ducentorum denariorum*, &c. tentabat ergo Chriſtus Philippi fidem, quid in tali caſu de eius ſentiret potentia, vbi omnis humanæ prouidentiæ ſublata eſt ſpes & auxilium, vt ex hoc etiam animaduertentibus Apoſtolis, miraculi virtus fieret ſublimior, minúſque deinceps de rebus humanis ſolliciti diuinæ prouidentiæ ſeipſos crederent ſecuriùs, non ſoliciti quid manducarent iuxta Domini conſilium: diſcipuli enim plus nimio huic curæ indulgebant: ideo Matth. 16. *Quid*, inquit Chriſtus, *cogitatis inter vos modicæ fidei, quia panes non habetis? nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum, quinque millium hominum, & quot cophinos ſumpſiſtis?* Miſit Dominus ſuos diſcipulos ad prædicandum ſine auro, argento, & alia quauis ope, eis ſolùm permittens ex Euangelio viuere, nihil tamen permiſit eos egere, vt conſtat Luc. cap. 22. hoc etiam miraculo iam à prædicatione reuerſis prouidentiæ ſuæ fidem magis patenter voluit confirmare. Interrogat ergo vnde procurari poſſit pretium quo victus emeretur multitudini, tentans Philippi fidem: Philippus autem reſpondit ex egeſtate Apoſtolorum, reíque ipſius impoſſibilitate; *Ducentorum denariorum panes*, &c. Confirmari poteſt hæc veritas ex Marco, qui hoc miraculum ſtatim à prædicatione reuerſis Apoſtolis factum refert. *Et conuenientes*, inquit, *Apoſtoli ad Ieſum renunciauerunt ei omnia, quæ egerant, & docuerant: & ait illis; venite ſeorſim in deſertum locum, & requieſcite puſillum*, &c. *Et aſcendens in nauim abierunt in deſertum locum*, &c. In hoc autem deſertum Chriſtum ſequutæ ſunt turbæ, & factum miraculum. Vnde ergo tum Apoſtolis eſſe potuerunt ducenti

Cyrillus.

Auguſt.

denarij, quibus prohibitum eſt aurum, argentum, aut quidquam in via tollere, niſi quis tranſgreſſores eos conſtituat? nec enim ditiores redire à prædicatione illis licitum fuit. Alia verò tria loca eiuſdem probationis admitto ad ſenſum antecedentis, quamuis enim expreſsè non dicant Chriſtum habuiſſe dictos loculos iure proprietatis, ſeu dominij: tamen quia Nicolaus, & Ioannes Pontifices ita interpretantur, nemo habuiſſe eos rectè negabit. Primus locus Ioannis 4. expreſſior eſt, alia duo ad ſummum id tantum tacitè ſubindicant. Sed ſcire velim quo fundamento aduerſarij pro ſui ſtatus iuſtitia aſtruant loculos quibus vſus eſt Chriſtus ad commune collegij, & non ad particulare ipſius Chriſti dominium ſpectaſſe; tanquam ſi hoc argumento non modò impugnent eam paupertatem quæ in communi & particulari dominio nihil habet: ſed ſuæ vitæ & communis poſſeſſionis, qua ipſi gaudent exemplum in Chriſto præceſſiſſe ſufficienter probent. Huius quidem vitæ exemplum à Chriſto datum haudquaquam inficias eo: neſcio tamen an hinc rectè confirmetur: ſed & hoc liquidò conſtat aduerſarios contra ſe nodum conſtruxiſſe, quem noſtri nullo ſuo labore ſoluunt, quam autem arctè ſuis rationibus conſtringantur, & implicentur ex ſola difficultatis inſinuatione, & ipſorum intento erit notum.

Detorquetur argumentum. Tria potiſſimum hoc argumento intendunt, imò & proculdubio confeciſſe autumant. Primum eſt Franciſcanæ paupertatis reprobatio. Secundum obſeruatam hîc eſſe à Chriſto vitam, quæ poſſeſſiones rerum mobilium tantùm in communi admittit. Tertium eſt hanc eſſe perfectiſſimam paupertatem, & Euangelicam cuius duntaxat in Chriſto exemplum fuit. Primum & tertium ſatis iam excuſſa, in ſecundo radices agunt, quod tamen non rectè probant inuentores; Nam nec ſcriptura clarè docet loculorum dominium vllum ad Chriſtum & Apoſtolos ſpectaſſe: minus autem aſſerit illud commune fuiſſe. Sed & expoſitores Nicolaus Papa, Auguſtin. Hugo, Thomas, Bonauent. Gloſſa, Alenſis, Lyranus hos loculos ipſi Chriſto tribuere videntur tanquam particulare dominium. Accedit quod prædicti vno ore aſtruant Chriſtum hoc exemplo imperfectorum ſuſcepiſſe perſonam eis condeſcendens. Videant igitur aduerſarij ſi habere in communi poſſeſſione bona ad infirmorum, & imperfectorum ſpectare ſtatum ipſi conceſſerint. Tunc enim ratiocinationis ſuæ maius fundamentum in Chriſti vita habebunt; ſed minus, quo nos impugnare licebit: nam ſemitas infirmorum ita monſtrauit Chriſtus, vt perfectioris vitæ documenta præferret. Ex dictis igitur patet, quàm infirmum ex loculis argumentum ſomniant.

ARTICV

ARTICVLVS II.

Secunda obiectio eſt ex illo Lucæ 22. Sed nunc qui habet ſacculum, tollat, &c.

QVidam obiiciunt, quod Lucæ 22. Chriſtus laxauit illud præceptum paupertatis adueniente perſecutione; *Sed nunc*, inquit, *qui habet ſacculum, tollat*, &c. Sed conſtat, quod perſecutionis tempore non minoris erat perfectionis Apoſtolorum vita, ergo nihil habere in communi ad perfectionem non facit. Confirmatur, quia aliud præceptum à Chriſto datum (ſcilicet *in viam gentium ne abieritis*) laxatum autem Matth. vltim. *(euntes docete omnes gentes)* nullatenus eſt obſeruandum: ergo nec primum.

Reſponſio.

Ita impugnantes religionem apud S. Thomam cap. 6. ſcilicet Gulielmus à S. Amore, & ſequaces argum. 16. cæterùm quid lucri apponat aduerſariis eiuſdem repetitio, perſpiciamus.

Varia eſt huius loci interpretatio. Prima eſt Chryſoſt. Theophylact. Euthymij, qui diſpenſatum ſimpliciter cum Apoſtolis hoc loco concedunt, quibus accedit Auguſt. contra Fauſt. lib. 22. cap. 77. Beda verò, Sanctus Thomas hîc, & Gloſſa, diſpenſatum tantùm affirmant tempore perſecutionis congruam tempori regulam decernendo. *Miſſis*, inquiunt, *ad prædicandum diſcipulis præcepit, ne quid tollerent in via, videlicet ordinans, vt qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuant. Mortis verò inſtante tempore congruam tempori regulam decernit, pecuniam ſcilicet victui neceſſariam, donec ſopitâ perſecutorum inſaniâ tempus euangelizandi redeat, tollere permittendo*, &c. Beda.

Probabilior mihi eſt ea interpretatio, quæ non ad litteram, ſed ad ſententiam attendit, & temporis conditionem, atque imminentia pericula hîc denunciari confirmat; nihil autem permitti aut præcipi. Eo ergo ſenſu ſermonem illum intelligo, quo ex humanis ſubſidiis illic deſcriptis ſubſequens paſſio & periculi tam certitudo quàm præſentia Apoſtolis declaretur. Ideo Theophylactus loco præfato: *Cùm enim*, inquit, *ipſi inter ſe ſupra de prærogatiuis contenderint: non eſt, inquit, tempus prærogatiuarum, imò periculorum exeidium. Nam ego magiſter veſter ducor ad mortem*, &c. Athan. quæſt. 68. *Hoc ideo dixit Dominus, vt Apoſtolis proditionem ſibi intentatam notam faceret, & aduentum Iudæorum: ergo illud nec omninò ſubticuit, ne à Iudæis turmatim aduenientibus terrerentur, nec etiam penitus illis indicauit omnia, ne tenerentur aliquo metu.* Concordant Barradius & Maldonatus, quibus hanc ex ipſius litteræ circumſtantia adiungo confirmationem. Theoph. Athanaſ.

Retorquetur argumentum & ex eo deducitur oppoſitũ eius quod probat.

Demus rigorem litteræ ſequendum, eiúſque provt ſonat meditemur interpretationem. Ita ergo ſacer textus: *Sed nunc, qui habet ſacculum tollat ſimiliter & peram: & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium.* A tempore miſſionis præceptum fuit non habendi ſacculum, vt Patres aliique ſupponunt, qui hîc dicunt fuiſſe diſpenſatum; idem ergo & nos ſupponemus, & vtrique concedamus neceſſe eſt, dum hæc dicta ſunt, Apoſtolis nullum fuiſſe ſacculum, niſi improperare vellemus tranſgreſſionem quam ſine fundamento affirmare non permittit reuerentia. Verùm hoc loco Chriſtus nihil concedit non habenti ſacculum, ſed tantùm habenti permittit, vt tollat. Ergo Apoſtolis nihil hîc permittit quoad ſacculum, qui illud non habuerunt; non enim aut permittit, aut mandat, vt illud procurent, ſicut præcipere videtur tunicam vendere, & emere gladium. Demus ergo permiſſionem eſſe, illa tantùm referri poteſt ad habentes ſacculum, quibus imperfectiores diſcipuli veniunt intelligendi, non Apoſtoli, qui illo caruerunt, neque enim ex ſubiecta materia ſermo ad eos dirigitur, vt qui ſacculum non habuerunt, nec ex ſignificationis rigore deſignantur. Verbum enim *tollat* tertiam perſonam non ſecundam ſupponit, & terminatur ad habentem ſacculum, ideò non dicit *tollite*. Fauet Caietanus ſuper prædicto loco.

Permiſſio ſacculi ad eos ſe extendit qui illum habuerunt.

Non dicit, inquit, *tollite, ſed in tertia perſona qui habet marſupium pecuniæ portet ſecum. Nec præterea mutat mandata, nec reuocat libertatem eundi prædicatum ſine ſacculo, & pera, ſed declarat quandoque licitum fore portare ſacculum, & peram. Et quia hoc communiter imperfectionis vitæ diſcipulis declarabat, ideo Apoſtolis, qui perfectiores erant non dixit. tollite; ſed in genere in tertia dixit: qui habet, tollat.*

Aliunde etiam colligi datur verba Chriſti non ad diſpenſationem, ſed ad cautelam & ſuperuenientium malorum certam prænunciationem referenda eſſe, idque ex ratione dictorum, quam mox ſubiungit: *Dico etiam vobis,* inquit, *quoniam adhuc hoc, quod ſcriptum eſt, oportet impleri in me, & cùm iniquis deputatus eſt. Etenim ea, quæ ſunt de me finem habent.* Hæc clauſula rationem annectit præcedentis, illud ſignificans adeſſe tempus maximè opportunum humanis ſubſidiis (quæ per ſacculum, peram, gladium deſignantur) ſi iis foret vtendum. Hac interpretatione ſuppoſitâ facilis eſt ſolutio argumenti, aſſumit enim falſum: quia vt oſtenſum eſt verba non ſunt diſpenſatiua, vel hoc conceſſo reſpiciunt imperfectos, & non veræ perfectionis æmulatores Apoſtolos.

Argumentum reducitur ad oppoſitum ſuppoſita etiam prima interpretatione.

Cæterùm vt primæ interpretationi tantorum Patrum ſenſui reuerenter ſicut par eſt, deferamus, diſpenſationem factam permitto, & cauſam noſtram in ſinum ipſorum ſecurus conijcio. Diſpenſatum ſit nunc cum Apoſtolis, vt aliquid habeant nempe ſacculum, peram, quæ pecunias, & alimenta deſignant. Ergo ſi tum primum eiuſmodi indulgentia priſtinũ laxauit præceptum, velint nolint aduerſarij id mihi concedant, prius non licuiſſe habuiſſe ſacculum, vel reliqua, quæ miſſis ad prædicandum ſaluator prohibuit. Conſequentiam Patres ſupponunt, eamque

euidenter interpretatio præfata parit: nam ſi prius diſpenſatum fuit, quid amplius remanſit diſpenſandum? nihil prorſus, omnemque coniecturam, & imaginationem hîc ablegant expoſitores, & prætenſa interpretatio. Secundam igitur ſimili lege & euidentiâ deduco conſequentiam: ergo omni tempore poſt miſſionem ſub hac regula & præcepto vixerunt Apoſtoli in collegio Chriſti, vſque ad vltimam cœnam, & conſequenter ſine ſacculo, pera, & reliquis, quæ prohibita ſunt. Amplius pergo: ergo & fuit vita Apoſtolorum ad quam certâ lege, & præcepto magiſtri tenebantur: ſed erroneum & hæreticum eſt aſſerere præceptam fuiſſe à Chriſto normam vitæ in ſuo collegio, quod non ſpectaret ad perfectionem, vel quæ non magis ſpectaret ad perfectionem, quàm oppoſita: ergo ſequitur contrarium eius, quod obiicitur reducto ad oppoſitum argumento.

Vlteriùs adiicio: Patres, qui hanc interpretationem inuenerunt, neceſſitatem temporum, aut locorum cauſam aſſignant diſpenſationis: ita enim Beda. *Congruam tempori regulam decernit, permutens, vt tollant victui neceſſaria, donec ſopitâ inſaniâ perſecutorum, tempus euangelizandi redeat.* *Vbi nobis quoque dat exemplum, iuſtâ nonnunquam causâ inſtante, quædam de noſtri propoſiti rigore poſſe ſine culpa intermitti.* Idem S. Thomas, Lyranus, Gloſſa; igitur cæteris paribus & ſecluſis impedimentis ſiue locorum, ſiue temporum diſpenſatio locum non haberet, perfectiúſque erat prædictis ſubſidiis carere, quàm iiſdem gaudere, ex ſenſu Patrum; nemo autem perfectioni adſcribat neceſſitatis indultum: Quod enim ſola neceſſitas & caſus inuehit ad perfectionis menſuram non facit. *Dat,* inquit Beda, *exemplum iuſta nonnunquam cauſa inſtante quædam de noſtri propoſiti rigore poſſe ſine culpa intermitti.* Nihil ergo aduerſus noſtram ſententiam militant Patres pro prima interpretatione citati, quorum ſententiam hac in re ſatis fusè ſuperiori capite expoſuimus, vt ſcrupulus benè affecto, & veritatis ſtudioſo remanere nequeat. Eodem item capite, & præcedente oſtenſum eſt, Apoſtolos rarò hac diſpenſatione (modò eam concedamus) vſos, longiori proinde illius confirmatione ſuperſedemus: conſulantur, quæ deducta ſunt ex actibus & epiſtolis Pauli, eorumque expoſitoribus.

Eſt ne perfectionis, rigorem intermittere, aut eius diſpenſationẽ accipere?

Ad confirmationem reſpondet S. Thomas: *Dicendum quod quamuis illud præceptum: in viam gentium ne abieritis, fuerit poſt reſurrectionem totaliter reuocatum, eo quod primum oportebat Iudæis verbum Dei loqui, & ſic tranſire ad gentes, vt dicitur Act.* 13. *tamen hoc, quod Dominus dixerat Apoſtolis, quod non ſecum neceſſaria ferrent, non totaliter reuocauit in cœna, ſed ſolum tempore perfectionis, quando à perſecutoribus neceſſaria habere non potuiſſent,* &c. mox ſubiungit Gloſſam præmiſſam ex Beda.

Id vnum nunc reſtat monendos aduerſarios, vt à nobis huius argumenti ſolutionem petant, ſi paupertatem eorum, qui in communi habent bona, defenſam velint: æquè enim militat: nam & diſpenſatio ſingulares perſonas reſpicit (*Qui habet*, inquit, *ſacculum, tollat*) ſicut & motiuum eius, quod ex Beda deſignatum eſt. Peto igitur in qua paupertate velint hîc diſpenſatum? ſi in ea, quæ nullum admittit domi-

nium ? ergo concedant tandem eam fuiſſe præſcriptam, & obſeruatam in collegio præſente Chriſto; ſi aliam volunt hîc remitti, quæ communem admittit poſſeſſionem, in ſui tandem ſtatus defenſionem expergiſcantur, hactenus non tam nos, quàm ſeipſos oppugnantes: nam ſi intentio & diſcurſus ritè fundantur, hæc ſola conſequentia deducitur: *ergo paupertas in particulari non eſt perfectionis.* Communem porrò non admittunt; ex diſpenſatione autem perfectionem paupertatis ſublatam volunt.

ARTICVLVS III.

Argumentum ab exemplo Eccleſiæ, & ſanctorum diſſoluitur.

Item 12. quæſt.1. *Expedit facultates Eccleſiæ poſſideri, & proprias perfectionis amore contemni, ſatis oſtenditur & propria debere propter perfectionem contemni, & ſine impedimento perfectionis poſſe Eccleſiæ facultates, quæ ſunt profectò communes poſſidere:* ergo poſſidere in communi non eſt impedimentum perfectionis.

Confirmatur, quia alioquin ſequeretur, quod tota Eccleſia ceciderit à perfectione Chriſti, & Apoſtolorum excepto ordine Minorum, & quod Papa, Prælati, reliqui fundatores religionum cum ſequacibus habentes bona in communi imitentur Chriſtum in quantum fecit opus imperfectionis, & quòd nullus ante Beatum Franciſcum in hoc, quod fuit perfectionis imitatus eſt Chriſtum.

Confirmatur, quia 12. quæſt.1. ex Auguſt. tract.62. in Ioan. *Habebat dominus loculos à fidelibus oblata conſeruans, & ſuorum neceſſitatibus, & aliis indigentibus tribuebat. Tunc primum Eccleſiaſticæ pecuniæ forma eſt inſtituta.*

Reſponſio.

Ancipitem machæram hac ratione excuſſiſſe ſibi videbantur aduerſarij; nec exiguam inde inuidiam primæ illius confirmationis prætextu in noſtros coaceruarunt; Inter cæteras enim rationes, tametſi facillimæ ſolutionis ſit & nunc, & olim toties à Patribus euentilata, neſcio quo populari ſtrepitu plauſibilem præ ſe fert acceptationem, totiéſque ſine fundamento reuixit, alimentum præbente magis ſuſpicaci, quàm prouido communis, & proprij ſtatus zelo; quaſi Franciſcani ſui ſtatus legitimam defenſionem exhibere non poſſint ſine iniuria Eccleſiæ; aut ſuæ vitæ, & paupertatis incunabula ad Chriſtum, & Apoſtolos referre, niſi reliquis aditum obſtruant, eóſque probent ab illorum exemplo, & moribus non tam degeneres, quàm prorſus alienos. Hinc ergo aduerſa

pars

pars coniunctis Eccleſiæ (vt ſibi pollicetur) & omnium tam Prælatorum quàm religionum viribus, quaſi ex arce firmatis præſidiis in noſtras ſtationes inuolat, vt vel ipſo terrore, & reuerentiâ tandem cedamus: Sed inanis hic fragor falsâ imagine pueros abigit maturos non terret. Noſtras autem partes ſuſtinent Patres, Concilia, atque ipſa mater Eccleſia, huic proinde argumento obiicere non verebimur quidquid ab his deciſum eſt, fallaciam ſubinde diſcurſus monſtrantes.

Sed prius ipſi veniant in partem oneris, & ſolicitudinis aduerſarij, humeroſque ſubmittant: communi mendicantium ſtatui hæc moles tanta quanta eſt imminet; nemo igitur ſe ſubducat; nam ſi Eccleſiæ, & Prælatorum exemplum trahere libuerit in argumentum, aut legem, id oppidò aduertant neceſſe eſt, bona poſſeſſa ab illis iampridem, & nunc dierum, iuxta communiorem ſententiam, tranſiſſe in dominium etiam particulare, neminémque ſaltem inter eos eſſe, qui non priuata bona, vel habeat, vel eorum ſit capax: ergo ſi hac regulâ perfectionem metiamur, exulet paupertas tam communis, quàm particularis, & vniuerſim ſtatus religionis, qui ex eadem paupertate, & abrenunciatione ſubſtantialiter conſurgit. Deinde Eccleſia, Papa, & Prælati gaudent dominio mobilium & immobilium; ſi hoc perfectionis eſt: ergo vel ſtatus mendicantium religioſorum eſt in hoc ſuperſtitioſus & futilis, quòd excludat poſſeſſiones immobilium, vel Eccleſia, Papa & Prælati exciderunt à paupertate & perfectione vitæ Chriſti & Apoſtolorum, quæ nec particulare dominium, nec ſtabilium poſſeſſionem vnquam admiſit. Eâdem, ni fallor, formâ retorſi argumentum, nec video, quid aduerſarij ſuis principiis innixi reſpondere poſſunt. Retorquetur argumentum.

Id mirum non eſt: memoriam enim damnati Gulielmi à S. Amore & ſequacium hoc monumento ſtatuere videnter contra religionum mendicantium profeſſores. Hæc inuentio eius atque ratiocinatio apud S. Thomam opuſc. 17. cap. 14. argumen. 1. & 5. & opuſc. 19. cap. 5. argum. 22.

Vt itáque ſatisfaciam, omnino diſplicet exilis illa forma, & diminutum vitæ Chriſti exemplar, quod exhibent aduerſarij, ad eas reductum anguſtias, vt communis norma diuerſorum ſtatuum eſſe nequeat, nec proficientes à perfectis, & conſummatis diſtinguat, nec munia diſcernat, nec officia; publicæ, & priuatæ vitæ documenta confundit, nullum habens diſpenſationis, & legis, infirmitatis & perfectionis exactum diſcrimen: tanquam ſi à ſolis illis formulis, quæ mentionem aliquam loculorum exhibent, tota & exacta vitæ Chriſti ratio eſſet petenda, eáque tam ſimplex, & contracta, vt omnia omnibus eſſe nequeat ſicut Paulus, qui factus eſt omnia omnibus, vt omnes Chriſto lucrifaceret. Quid ergo? reliqua Chriſti vita nónne in exemplum data? nónne ad imitationem exhibita diſcipulis? *Si vis, inquit, perfectus eſſe, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni ſequere me. Vos, qui reliquiſtis omnia, & ſequuti eſtis me*, &c. *ſedebitis ſuper ſedes duodecim*, &c. *omnis, qui reliquerit patrem, matrem*, &c *domum, agros*, &c. *vendite, quæ poſſidetis & facite eleemoſynam.* Fortè hæc Chriſtus ioco

ioco dixit, non ſeriò, & præmia non merentibus decernit? quid miſſionem Apoſtolorum, quid reliqua fuſius iam dicta commemorem? in his fortè tropus aut allegoria locum habet, & non proprietas literæ, veráne hiſtoria eſt, quæ Chriſtum refert prædicaſſe Euangelium in Galilæa alienis expenſis, nempe piarum mulierum ſuſtentatus? Sed de inſtructione illâ diſcipulorum habitâ in monte, quid dicent aduerſarij? ne in longam igitur recapitulationem dictorum abeamus, mirum erit, quâ violentia contendant hæc omnia ſupprimere, aut diſſimulare, aureſque noſtras continuo illo loculorum ſtrepitu perſtringere, vt de reliquo nihil audiamus. Quamuis ex hoc nihil habent ſi veritas, & Patrum interpretatio placet, præter inſtructionem Prælatorum, & infirmorum, ac diſpenſationem neceſſitatis; vt iam anteà diſſeruimus reſponſione ad primum: hæc autem in ſubſidium verius, & leuamen paupertatis, prout eam concernunt, quàm in exemplum conceſſit: vt vt eſt, omnimodam expropriationem & dominij tam communis quàm particularis veram abdicationem feciſſe ex aliis locis abundè conſtat. Ex quibus multiplex vitæ Chriſti ſtatus apparet, & diuerſa exempla iuxta variam ſui corporis myſtici diſpoſitionem, functiones, & gradus, propoſita. Non rectè proinde vnius ad alium longè diuerſum fit comparatio ſtatus, committitur enim fallacia conſequentis: id porrò, quod vni congruit, alteri repugnat, vel non expedit. Prælatorum ſtatus datus eſt in miniſterium, & ſupponit iam acquiſitam charitatis perfectionem, atque idcirco illius acquirendæ inſtrumenta non poſcit, ſed communicandæ: congruit igitur huic ſtatui prouidere pauperibus, infirmis, aliíſque indigentibus, & bona Eccleſiæ, debitâ œconomiâ diſpenſare, hæc non decent ſtatum proficientium, ſeu tendentium ad perfectionem. Huic porrò acquirendæ aptum inſtrumentum eſt expropriatio, & nihil habere, quod ſolicitudinem, & lites ingeret. Prælatis & perſonis publicis congruit vigilantia, ſolicitudo, inquiſitio, & animaduerſio in ſubditos, quæ ad huius gradus perfectam functionem ſpectant: non ita tendentibus ad perfectionem, quorum vita eſt particularis, & ab omni ſtrepitu eſſe debet remota. Sicut ergo non eadem ſunt acquirendæ, & communicandæ perfectionis inſtrumenta aut media, ita hîc duo ſtatus non rectè comparantur, ita vt quidquid ſit de perfectione vnius inferatur ideò eſſe de perfectione alterius; claudicat enim, vt dixi, eiuſmodi illatio, eſtque ſophiſma conſequentis.

Varij ſtatus corporis Chriſti non rectè ſecundùm omnia comparantur.

Diuerſa ſũt acquirendæ & communicãdæ perfectionis inſtrumẽta.

Ex hoc patet ad argumentum negando conſequentiam, licèt diſtingui poſſit claritatis ergò: habere enim in communi non eſt impedimentum acquiſitæ perfectionis, transeat; acquirendæ, negatur. Vel aliter; licèt habere in communi non ſit impedimentum, magis tamen conducit ad finem religionis nihil habere. Hieronymus ſuper illa Pſalm. 111. *Iocundus homo, qui miſeretur & commodat: Putat aliquis,* inquit, *quod de auro dicat, & argento, & de pecunia? iuſti in tantum non habuerunt, quod aliis commodarent, vt ipſi cibum de aliis acciperent: ergo ſi non habuero, quod dem, iam non ſum iuſtus? ſi non fecero eleemoſynam, in iuſtorum numero non habebor? quanti ſanctorum fecerunt eleemoſynam, ſed in ſancti-*

Hieron.

tate

tate ruerunt. Perfecti non fecerunt eleemoſynas, quia non habebant vnde facerent.

Item Auguſt de bono coniugali aduerſus Iouinianum cap. 8. *Bonum,* inquit, *erat, quod faciebant, qui de ſubſtantia ſua Chriſto, ac diſcipulis ſuis neceſſaria miniſtrabant, ſed melius,qui omnem ſubſtantiam dimiſerunt, vt expeditiores eundem Dominum ſequerentur,* &c. Auguſt.

Ambroſius lib. de offic. *Nullum adminiculum præſtant diuitiæ ad vitam beatam, quod euidenter Dominus in Euangelio demonſtrauit, dicens: Beati pauperes, quoniam veſtrum eſt regnum Dei.* & infrà. *Itaque paupertatem, famem, & dolorem quæ portantur mala, non ſolùm impedimentum non eſſe ad vitam beatam, ſed adiumento eſſe: euidentiſſimè pronuntiatum eſt,* &c.

Ad confirmationem negatur ſequela,nunquam enim defuerunt perfectionis huius ſectatores in Eccleſia: pauciores tamen deinceps,quàm in primitiua fuerunt:Imò nec Eccleſia gentium hanc viuendi normam aſſumpſit ſi clerum demas,& Prælatos. Vnde Auguſt. lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 7. *Qui crediderunt ex quo facta eſt prima Eccleſia Hieroſolymitana, ſatis oſtenderunt quanta vtilitas fuerit eo modo, ſub pædagogo cuſtodiri,* &c. *Namque illi qui proximi ſpiritualibus fuerunt,* &c. *tam capaces extiterunt Spiritus ſancti, vt omnia ſua venderent, eorúmque pretium indigentibus diſtribuendum ante Apoſtolorum pedes ponerent,* &c. *Non enim hoc vllas Eccleſias gentium feciſſe ſcriptum eſt, quia non tam prope inuenti erant, qui ſimulacra manu facta Deos putarent.*

Clericis olim vt plurimum non fuiſſe proprium 12. quæſt. 1. conſtat, maximè verò cap. 3. 5. 7. 8. 9. 10. quos textus minus propriè quidam Monachis ſolis accommodant cum temporibus Auguſtini, Hieronymi, Gregorij, quorum teſtimonia adferuntur, longè diuerſa clerici, & monachi appellatio fuit, & luce clarius legenti apparet. Ex his igitur colligitur minus doctè primam ſequelam deduci, quaſi abſurdum aut inconueniens eſſet, aſſerere Eccleſiam (non totam) ſed pro maiori parte Chriſti, & Apoſtolorum paupertatem, aut non aſſumpſiſſe, aut certè paulatim ab Eccleſia deciſiſſe, cùm pro indubitato ſit, pro ſtatu, & conditione temporum diuerſa contingere, quæ nec emendari commodè poſſunt, nec euitari; idque in confeſſo ſit iis, qui ſic ratiocinantur, paupertatem Chriſti & Apoſtolorum ab illis non obſeruari, qui propriâ poſſeſſione gaudent, nec ex communi viuunt, vt nunc Pontificibus, & reliquis extra monaſticam vitam degentibus familiare videtur, idque diſpenſatiuè ex conditione temporum conceſſum, quibus refrigùit charitas multorum, & abundauit neceſſitas, & onera. Sat ergò eſt vitæ Chriſti imitationem non vſque adeo ab-litam, vt ſectatores eius in Eccleſia pro quouis tempore non viguerint, nunc plures, nunc pauciores. Sed nec inconuenit aſſerere, non omnia conſilia ſemper, & pro quouis tempore obſeruata fuiſſe in Eccleſia. Quâ porrò ratione id neceſſarium fuit? quâve experientiâ conſtat ſingula, quæ Chriſtus, exempli gratiâ, in monte docuit vbique, & ſemper, & ab omnibus, ſeu quibuſdam ha-

ctenus eſſe obſeruata? id ſanè nemo irrefragabiliter euincet, licèt probabilius fortè ſit.

Ad ſecundam ſequelam, neganda eſt, nam illud dici nequit opus imperfectionis, quod cum perfectione non modò ſtare poteſt, ſed eius acquirendæ eſt congruum inſtrumentum. Quod de paupertate illa, quæ commune peculium non excludit adſtruimus. Cæterùm non inde ſequitur, quin alia paupertas, quæ communem poſſeſſionem non admittit, non ſit perfectior. Sicut cælibatus non eſt opus imperfectionis, quamuis perfectione eum excedat virginitas. Tertia ſequela inutilis eſt, nec rectè deducitur, nec eam S. Franciſcus concederet, nec nos affirmamus: illud duntaxat contendimus ad perfectionem facere expropriationem, quam is indixerit, nec aliorum ſtatui derogamus: quamuis nec nobis illorum etiam ſanctorum, qui obiiciuntur, exempla tefragentur. Nam & S. Benedictus, tribus annis in Sublaci ſpecu latitans, hanc ſibi ipſi indixit expropriationem, nihil habens, Romano monacho vſus ad neceſſarij victus duntaxat miniſterium. Auguſtini & Hieronymi luculenta ſuperſunt nobis teſtimonia, vtriuſque etiam peracta vita documento eſt in quantum vni ſacerdotalis functionis diſpenſatio permiſit, eum paupertatis rigorem ſequi voluiſſe, quem alter reipſa aſſumpſit. Antonius audito Euangelico conſilio: *ſi vis perfectus eſſe*, &c. omnia ſua pauperibus diſtribuit, ſicut & Hilarion, nihil ſibi retinens, & idem de multis Thebaidis & Palæſtinæ monachis; Sanctus etiam Baſilius vnâ tunicâ contentus fuit, ſed & Sanctus Pater Dominicus ſub maledictionis interminatione bona temporalia in ſuum inſtitutum prohibuit induci. Innumera huius vitæ exempla Sanctorum monumenta miniſtrant, quæ præterire breuitatis ſtudio libet.

ARTICVLVS IV.

Expenditur extrauagans Ioan. XXII. Cùm inter nonnullos, *&c. & ſimul oſtenditur perperam eam obijci noſtræ ſententiæ.*

OBiiciunt tandem hanc noſtram ſententiam damnatam fuiſſe à Ioanne XXII. extrauag. *Cùm inter nonnullos*, &c. Ergò non eſt tenenda.

Reſponſio.

Vix reſponſioni locum præſtant ea, quæ præmiſſa ſunt, cùm ex his ſolutio difficultatis ſæpiùs haberi poſſit, hîc verò ſuperfluum videatur, de eadem denuo mouere quæſtionem, pro breui tamen eius reſolutione, aduerto illud probandum incumbere aduerſariis, vt oppoſitum noſtræ

noſtræ ſententiæ contrarium, vel contradictorium, ſeu id ex quo in bona conſequentia ſequitur hîc determinatum oſtendant: inueſtigemus ergò quid Pontifex determinauit (neque enim illis ſubſcribo qui hanc decretalem explodunt, tanquam ex paſſione, & non præmiſſa veritatis inquiſitione, editam) quidve noſtra ſententia habet, & ex vtriuſque collatione apparebit, quàm vana, aut vera ſint, quæ obiiciuntur.

Scopus decretalis eſt decidere hanc quæſtionem: *vtrum pertinaciter affirmare redemptorem noſtrum ac Dominum Ieſum Chriſtum, eiúſque Apoſtolos in ſpeciali non habuiſſe aliqua, nec in communi etiam, hæreticum ſit cenſendum?* ita proponit Pontifex quæſtionem in proœmio. Enunciatio ergo, de cuius qualitate quæritur, vniuerſalis eſt, & negatiua excludens à ſubiecto prædicatum, pro quouis ſimpliciter tempore, & ſtatu vitæ Chriſti poſt vocationem Apoſtolorum, alioquin non opponeretur particulari aſſertæ per ſcripturam. Eam propoſitionem damnat Pontifex primò confusè non declarans; quo ſenſu falſa ſit, an ſcilicet vniuerſaliter, & pro omni ſimul particulari, quam includit, an verò pro aliqua particulari vel pluribus: ex intericcta tamen ratione, & fundamento deciſionis mens eius liquet ad contradictoriam, non verò ad contrariam propoſitionem referenda, atque verè eum damnare dictam vniuerſalem prout comprehendit nonnulla, quæ Chriſtum & Apoſtolos habuiſſe ſcriptura docet: ita enim Pontifex: *Aſſertionem huiuſmodi pertinacem* (ſupple, erroneam fore cenſendam & hæreticam, &c. *declaramus*) *cum Scriptura ſacra, quæ in pleriſque locis ipſos nonnulla habuiſſe aſſerit, contradicat expreſsè*, &c. Vnde conſtat damnatum ſenſum non amplius extendi debere, aut poſſe quàm ad ea, in quibus à prædicta ſcriptura, quam huius deciſionis, & veritatis regulam adſciuit Pontifex, diſcordat. Hæc autem diſcordia eſt contradictionis & non contrarietatis: ſcriptura enim non ſolùm res determinat, ſed & locum & tempus, quibus eas Chriſtus & Apoſtoli habuere. Propoſitio ergò damnata eſt in quantum prædictæ ſcripturæ contradicit, vt ibidem ſeruatâ ſtyli proprietate aſſerit Pontifex.

Scopus decretalis.

Quid Pontifex damnarit?

Quapropter denuò eandem propoſitionem diſtinctè quoad ſenſum particularem, contradicentem, & falſum (vt ambiguitas abſit) reſumpſit, atque damnauit in his verbis: *Rurſus in poſterum pertinaciter affirmare, quod Redemptori noſtro prædicto, eiúſque Apoſtolis, iis quæ ipſos habuiſſe ſcriptura ſacra teſtatur nequaquam ius ipſis vtendi competierit, nec illa vendendi, ſeu donandi ius habuerint, aut ex ipſis alia acquirendi, quæ tamen ipſos de præmiſſis feciſſe ſcriptura ſacra teſtatur, ſeu ipſos potuiſſe facere ſupponit*, &c. *aſſertionem ipſam pertinacem*, &c. *deinceps erroneam fore cenſendam meritò, ac hæreticam declaramus.* Vniuerſalis illa igitur damnata eſt vt deſtruit hanc contradictoriam particularem ſub diſiunctione aſſertam ex ſcriptura: nempe, *Chriſtus & Apoſtoli aliquando habuerunt nonnulla in ſpeciali, aut in communi*, &c. Vel Chriſtus habuit dominium eum, quæ eum habuiſſe dicit ſcriptura, *&c.*

Hanc ergò conferamus cum ea ſententia ram Nicolai, quàm Capituli Peruſini, quæ talis eſt. *Chriſtus perfectionis viam oſtendens, & Apoſtoli*

Apoſtoli eam ſequentes, &c. *nihil iure proprietatis*, *& dominij*, *ſed iuris proprij in ſpeciali*, *& in communi habuerunt*, &c. Hæc, inquam, propoſitio priori compóſita nec contradicit, nec contrariatur; vtráque enim particularis eſt; ſicut hæc, Petrus nonnunquam currit, aliquando non currit, quæ poſſunt ſimul eſſe veræ.

Ex abundanti adiicio omnem contradictionem ex alio capite, ſi qua alioquin foret, tolli per determinationem ſeu reſtrictionem; hæ enim poſitæ contradicendi vim auferunt; in propoſito autem duplex eſt; vna ex parte ſubiecti, alia ex parte prædicati. Quarum neutra habetur in priore propoſitione: quis ergo repugnantiam inueniet contradictionis, aut contrarietatis inter eas propoſitiones, quæ ne quidem in extremis communicant, neque pro iiſdem ſtatu, tempore, & ſignificatione terminorum ſupponunt? *Chriſtus viam perfectionis oſtendens*: ecce determinatio poſita ex parte ſubiecti, quæ ſtatum & tempus deſignat, planè diuerſum à priore. *Iuris propriè dicti*, &c. en alia ex parte prædicati, quæ & ipſum ſignificatione facit aliud. Concludamus itaque inſulsè fingi contradictionem inter Nicolai, & hanc Ioannis decretales, cùm ne verbalis quidem ſomniati ritè poteſt. Prætereo, quod Nicolaus expreſsè docuerit ſeu inſinuarit idem, quod Ioannes, affirmans Chriſtum ſuſcepiſſe perſonam infirmorum in loculis ſeruandis (cum quo Patres ſuperius citati conſpirant) hunc ſtatum eius per occupationem, quam vocant, opponens priori, quo viam oſtendens perfectionis, (ſupple, acquirendæ) nec in ſpeciali, nec in communi quidquam habebat. Hoc idem ſupponit deciſio Capituli Peruſini, vt ex adiecta reſtrictione conſtat, quæ locum non haberet, ſi vniuerſaliter, & diſtributiuè aſſertio intelligeretur: ſed de hoc abundè.

Id vnum reſtat, vt ſuam in aduerſarios torqueamus haſtam, quos meo iudicio decretalis magis vrget. Hæc damnat aſſerentes Chriſtum & Apoſtolos non habuiſſe ius & dominium, in ſpeciali,vel in communi, & quantumuis ad veritatem eius diſiunctiuè ſufficit vt alterum diſiunctum ſubſiſtat (ſcilicet dominium commune fuiſſe) ſi ſpectes ad formam & ſtylum; ſi intentionem tamen ex aliis interpretari lubet ad particulare dominium Chriſti loculos ſpectaſſe Auguſt. Gloſſa, Nicolaus Papa, Hugo, S.Thomas, S.Bonauentura & alij citati determinant cùm loculos habuiſſe Chriſtum ferunt pro infirmorum inſtructione, eorum ſic perſonam aſſumens, vt ſupra viſum eſt; infirmi verò particulare dominium retinent, ac proinde ſcriptura in qua deciſio fundatur ex mente dictorum Patrum, ad particulare Chriſti dominium refertur: ij igitur, qui loculos ad commune tantùm dominium torquent, magis incurrunt in ſententiam decretalis, quàm nos, qui interpretationem ſcripturæ ex Patrum ſenſu acceptam, in hoc ſequimur, atque ſupponimus: de alio verò vitæ Chriſti ſtatu atque extraneo decretalis argumento, præmiſſam expropriationis communis ſententiam exponimus.

ARTICV

ARTICVLVS V.

Eximitur Aluarus Pelagius à calumnia, eiúſque inter Nicolai, & Ioannis decretales concordia ſuſtinetur.

PRæterire nequeo quin hîc vindicem præclarum virum Aluarum Pelagium noſtræ familiæ Doctorem, & Epiſcopum Syluenſem ab iniuſta nota. Hæc de eo Antoninus loco citato artic. 8. ſub finem declarans hæreticum eſſe aſſerere Chriſtum nihil habuiſſe in communi, ſiue in ſpeciali, publicatâ extrauag. *Cùm inter nonnullos*, &c. ita ſubiungit: *Et per hoc poteſt excuſari Aluarus, qui ſcripſit librum notabilem de planctu Eccleſiæ, vbi multum diffusè proſequitur iſtam materiam tenendo, & probando ſuo modo, ſed non efficaci, Chriſtum, & Apoſtolos nihil habuiſſe etiam in communi, videtur enim nondum contrarium fuiſſe determinatum, vnde ſubmittit ſententiam ſuam correctioni Eccleſiæ, & determinationi Ioannis XXII. qui hoc determinauit tempore ſuo, contrarium ſcilicet declarando.* Idem ferè 3. parte hiſt. tit. 24. cap. 8. §. 2.

Excuſatio quidem benigna, ſi ſubſiſteret. In vetuſto quodam manu ſcripto legi multa in hac quæſtione ſuppoſita fuiſſe Sancto Antonino alienæ quidem inuentionis; iſtius farinæ dictam cenſuram eſſe crediderim libentiùs, quàm ſub nomine beati viri eam aut tranſcripſerim, aut neceſſitate ductus reprobauerim. Antoninus fertur falſatus.

Qui Aluarum autem præſenti materia legit, neſcire non potuit, eum vidiſſe decretalem Ioannis XXII. eaque promulgatâ multis poſt annis ſcripſiſſe. Vt cætera omittam lib. 2. de planctu cap. 59. inſcribitur, *De concordia inter decretalem,* Exiit. extra de verb. ſignif. *& conſtitutionem Domini Papæ Ioannis*, quam concordiâ doctiſſimè, & ſolidiſſimè exponit. Præmittit enim haberi aliquid tripliciter contingere, quantum ad præſentem materiam. Primò quò ad vſum facti ſimplicem, tamen iuſtum. Secundo modo, quantum ad ius adminiſtrationis. Tertio quantum ad dominium, idque duplici titulo, iuris ſcilicet diuini, aut humani, & ciuilis, ſeu, vt vulgare ſonat, lege poli, ſeu lege fori, vocat autem dominium ciuile illud, quod exceptionem, & actionem in iudicio concedit.

Hac vltimâ acceptione negat Aluarus dominium rerum quarumlibet ad Apoſtolos ſpectaſſe, dicens eos renunciaſſe tam in ſpeciali, quàm in communi tali proprietati: & ita intelligit decretalem Nicolai: tribus autem primis modis affirmat eos dominos fuiſſe, quo ſenſu interpretatur diuiſionem Ioannis. Addit hanc indefinitam eſſe erroneam: *Chriſtus & Apoſtoli nihil habuerunt in communi, aut ſpeciali*: quia nempe titulo adminiſtrationis, & neceſſariæ ſuſtentationis, & vſus facti liciti Concordia inter Nicol. & Ioannem Pont.

res quaſdam habuerunt, & de hiſce titulis habendi intelligit extrauagantem Ioannis.

Multiplex titulus habendi.

Primus modus ſeu titulus licitus habendi quoad vſum facti ſimplicem conſtat ex decret. *Exiit. in 6. de verb. ſignific.* & Clementina *Exiui de paradiſo*, multíſque aliis Pontificum, & Doctorum declarationibus ſuper regula fratrum Minorum.

Secundus modus qui eſt ius adminiſtrationis, procurationis, diſpenſationis, conſtat ex multis locis iuris Canonici, quibus hoc ius circa res Eccleſiæ tribuitur Epiſcopis quarum dominium non ad ipſos, ſed ad Eccleſiam ſpectat, 12. quæſt. 1. *Epiſcopus Eccleſiaſticarum.* 10. q. 11. *Epiſcopus.* 24. quæſt. 8. extra de donat. cap. 11. &c.

Tertius verò ex diſtinctione tam diuini ſeu naturalis, quàm ciuilis iuris haberi poteſt, quæ differentia patet diſtinct. 1. cap. *omnes leges.* & cap. *ius naturale.* cum gloſſa, & alibi ſæpe dominium ciuile actionem dat, non ita naturale ſeu diuinum, quod eſt tantùm fas ſeu facultas vtendi rebus licitè, citra actionem tamen in iudicio, vt ff. de pecul. l. *nec ſeruus* cum gloſ. manifeſtè apparet.

His ſuppoſitis reſtat modò probandum dominium hoc politicum, quod tantum dicitur propriè tale non habuiſſe Apoſtolos, nec pro rebus ſuis in iudicio potuiſſe, ſaluâ ſui ſtatus perfectione, & eminentiâ, experiri.

Quod euidens videtur ex Matth. 5. *Audiſtis, quia dictum eſt, oculum pro oculo, & dentem pro dente: ego autem dico vobis non reſiſtere malo ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram: Et ei, qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, & quicumque te angariauerit mille paſſus, vade cum illo & alia duo*, &c.

Item Lucæ 6. *Et ab eo, qui aufert tibi veſtimentum, etiam tunicam noli prohibere, omni autem petenti te tribue, & qui aufert, quæ tua ſunt, ne repetas*, &c.

Hæc perfectionis acquirendæ conſilia præſcripſit Apoſtolis Chriſtus; nempe iudicio non contendere, tollenti tunicam, dimittendum & pallium; auferenti veſtimentum non prohibere tunicam, omni petenti ſe tribuere, auferenti quæ ſua ſunt, non repetere; quod eſt vniuerſim renunciare foro, & omni actioni forenſi, qua vel ſua coram iudice retinere, & defendere, vel ablata repetere licet. Hæc autem in ſacro Collegio obſeruata fuiſſe, nemo ritè dubitabit, qui leget quod *cœpit Ieſus facere, & docere*, ne facto doctrina aduerſaretur, aut alligare videretur *onera grauia, & importabilia, & imponere in humeros hominum, digito autem ſuo nolle mouere*: quæ erat hypocriſis Phariſæorum ab ipſo reprobata. Bernard. *Fiducialiter ſequor te Domine quocumque, & ſecurè incedo viam mandatorum tuorum, ſciens quo per eam præceſſeris.* Conſule Ignatium epiſt. 14. Gregor. homil. 14. in Ezechielem homil. 17. in Euang. Leo. ſerm. de Sancto Laurentio. Reliquorum etiam Patrum concors eſt ſententia Saluatorem exemplo præiuiſſe doctrinam in iis, quæ perfectionis iter monſtrabant, nec alioquin tam ſublimis philoſophia vllibi magis,

Act. 1.

Matth. 23.

Serm. 1. de omnib. Sanctis.

Chriſtus fecit quæ docuit eſſe perfectionis.

magis, quàm in Chriſti collegio opere, & doctrinâ erat ſtabilienda, vnde quæque præcepta ad alios erant deriuanda, quàm enim abſurdum foret Chriſtum aut Apoſtolos videre pro tunica, aut peculio actionem porrigere, qui ſeceſſionem aliis ſuadebant? aut ſublimioris vitæ documenta præſcribere, quæ mox oblatâ occaſione contemnerent?

Quod ſi autem quiſquam hæc ad perfectionem ſpectare negabit, non modò Chriſti doctrinam vanam reddit, qui eandem ſuaſit, ſed & Apoſtolo manifeſtè aduerſatur improperanti Corinthiis: *Sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles? iam quidem omnino delictum eſt in vobis quod iudicia habetis inter vos; quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* &c. 1. Cor. 6.

Item 2. ad Timoth. 2. *Seruum autem Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes*, &c. Huius autem conſilij finis, & fructus eſt pax, & quies, ablatio ſollicitudinis, quæ litigantes, & cauſas ſequitur; item conſeruatio charitatis. Vnde 1. ad Corinth. 13. inter alios charitatis affectus adiicitur: *Quod non quærat, quæ ſua ſunt*. Si ergo delictum imputat Apoſtolus (hoc eſt, diminutionem, ſeu defectum perfectionis, vt Græca dictio ἥττημα innuere videtur) iudicia habere, magíſque ſuadet iniuriam, & fraudem pati; nec decere ſeruum Domini litigare, aut cum perfectione charitatis omnimoda quærere, quæ ſua ſunt, rectè ſequitur intentum nempe à collegio Chriſti eiuſmodi longè remota fuiſſe, nec ibi licuiſſe ſua in iudicio prætenſa actione repetere, aut retinere, cùm ipſis Corinthiis vix id permittat Paulus ad veniam infirmitatis, vt docet Auguſtinus, cuius ſententiam, ne quid ex nobis fingamus operæpretium eſt audire: Ita ille in Enchyridio cap. 78. *Nam & hic poſſet putari iudicium habere aduerſus alterum non eſſe peccatum, ſed tantummodo id extra Eccleſiam eſſe iudicari, niſi ſecutus adiungeret, iam quidem omnino delictum eſt inter vos, quia iudicia habetis vobiſcum: & ne quiſquam hos ita excuſaret, vt diceret iuſtum ſe habere negocium, ſed iniquitatem ſe pati, quàm velit à ſe iudicum ſententiâ remoueri: continuè talibus cogitationibus vel excuſationibus occurrit atque ait: Quare non magis iniquitatem patimini? quare non potius fraudamini? vt ad illud redeatur, quod Dominus ait; ſi quis voluerit tunicam tuam tollere, & iudicio tecum contendere, dimitte ei & pallium; & alio loco: Qui abſtulerit, inquit, tua, noli repetere. Prohibuit itaque ſuos de ſæcularibus rebus cum aliis hominibus habere iudicium, ex qua doctrina dicit Apoſtolus eſſe delictum. Tum cùm ſinit in Eccleſia talia iudicia finiri inter fratres, fratribus iudicantibus, extra Eccleſiam terribiliter vetat, manifeſtum eſt etiam hic, quid ſecundùm veniam concedatur infirmis.*

Dices fortè hæc ad ſolam tunicam & pallium trahenda eſſe. Reſpondet Auguſtinus (lib. 1. de conſenſ. cap. 19.) *Sed de tunica & veſtimento quod dictum eſt non in eis ſolis, ſed in omnibus faciendum, quæ aliquo iure temporaliter noſtra eſſe dicimus. Si enim de neceſſariis hoc imperatum eſt, quanto magis ſuperflua contemnere conuenit?* &c. *Omnia ergo intelliguntur, de quibus iudicio nobiſcum contendi poteſt, ita vt à noſtro iure, in ius illius tranſeant, qui contendit, vel pro quo contendit ſicuti eſt veſtis, domus*, &c.

Vide

Vide Chryſoſtomum homilia 18. in Matth. Theodoretum in Apoſtolum, Caietan. & D.Thom.

His adiungo vix vnquam ſine aliqua veniali ſaltim culpa in iudicio litigari poſſe, odij, rancoris, amoris proprij (vt calumnias & maleuolentiam ſileam) excitato ſtimulo, quibus iactura temporis, pacis, & modeſtiæ diſpendium vt plurimum accedit, cum gloriæ deſiderio. His autem periculis carere decuit Apoſtolos Chriſti, quibus proinde iudicio experiri non permittit, aut tribunalium pro re temporali acceſſum.

Quod ſi etiam à congruentia diſcurrere luberet, potior huius prohibitionis ex eodem fine concluditur ratio quàm expropriationis, quæ Matth.10. & alibi miſſis ad prædicandum diſcipulis, à Chriſto præſcripta eſt: nunquam enim maiori ſolicitudine res propria amatur, & curatur, quàm dum ſub ſtrepitu fori agoniſat, tum enim affectus victoriæ accenditur in cupiditatis ſubſidium, propriúſque amor infinitas lites, & rixas ſuggerit, quæ mentis pacem, & ſobrietatem expugnant, vt rectum tenere curſum nequeant.

Sed & illud confirmandæ huius veritatis argumentum efficax erit, quòd nullum ex ſcriptura Euangelica aut Apoſtolica fundamentum oppoſitæ opinionis adſtrui poſſit, nobis autem præter expreſſa teſtimonia, ipſius ſaluatoris exemplum non obſcurè fauet, vt qui petentibus ſine titulo, aut iure ab eo cenſum licet exemptionis ſuæ manifeſtam allegaret rationem, ſolui tamen, aliàs indebitum, mandauit, ne ſcandalizarentur; opere exercens, quod mandauit: *Omnia petenti te tribue.*

Matth. 17.

Ioan. 12. Sed nec hoc infirmius exemplum, quod Iudam ſit paſſus domeſticum furem, qui depoſita in communem vſum à fidelibus auferebat, nunquam ab eo repetiit ablata ſiue in iudicio, ſeu extra iudicium.

Auguſt. Auguſt. tract. 50. in Ioan. *Non tunc periit Iudas, quando accepit à Iudæis pecuniam, vt Dominum traderet, iam fur erat, Dominum perditus ſequebatur non corde, ſed corpore. Voluit autem per hoc Dominus nos admonere, vt malos toleraremus, ne corpus Chriſti diuidamus. Qui aliquid de Eccleſia furatur, iure perdito comparatur, tolera malum bonus, vt venias ad præmium bonorum, ne immutaris in pœnam malorum. Exemplum Domini accipite conuerſantis in terra,* &c. *Quare fures admiſit, niſi vt eius Eccleſia fures dum patitur toleret?*

Chryſoſt. Chryſoſt. homil. 64. in Ioan. *Chriſtus autem multa condeſcenſione ad Iudam vtens non increpauit eum ſurripientem,* &c. Ex quibus apparet, quàm probabili, & ſolido fundamento Aluarus negauit dominium tertio modò ſumptum (quod actionem nempe in iudicio concedit) fuiſſe Apoſtolis, quoad eas etiam res, quæ ad eorundem vſum deponebantur.

His non obſtat extrauagans *Cum inter nonnullos,* quæ definit Chriſto, & Apoſtolis conueniſſe ius vtendi rebus, quas eos habuiſſe aſſerit ſcriptura. Solum enim determinat eos habuiſſe ius licitum vtendi præfatis rebus, eaſque donandi, vendendi, aut ex ipſis alias res acquirendi, & damnat oppoſitum. Prædictum autem ius optimè ſaluatur ſolo titulo naturalis dominij, ſeu adminiſtrationis, vt manifeſtum eſt, quem titulum

eiſdem

eiſdem concedit Aluarus. Ex quibus liquet præfatæ cenſuræ, cuiuſcumque illa ſit, vanitas, ſimul & iniuria: quinimo doctrina, in qua fundatur, grauiorem notam fortè meretur, quia minus concordat ſacræ Scripturæ, & Patribus.

Nec eſt quod quiſquam oblatret præmiſſam Aluari ſententiam ſi non Fratricellis, ſaltim Anabaptiſtis conſentire, qui ex præmiſſis Pauli verbis ad Corinth. omnem iudiciariam poteſtatem auferre conantur Magiſtratibus, aliud porrò eſt iudicia condemnare, quod illi intentant, aliud litigantes, eorúmque impatientiam, quod Paulus damnat, ſuadétque potius iniuriam quamuis pati debere, quàm amittere pacem, & charitatem, ſeu cum fratre iudicia habere. Etſi porrò iudicia exerceri Paulus intra Eccleſiam, non extra permittat, nemo negabit quin quiſque ſuo iuri cedere pacis, aut charitatis ergo poſſit, ne vel eas ipſe emittat, vel ſimilis diſpendij occaſio ſit fratribus. Parcere autem ſcandalo puſillorum eſt perfectionis, vt 1. ad Corinth. 8. & 10. clarum eſt, idémque fusè docent expoſitores ſpecialiter S. Thomas. Quod obiiciunt de Fratricellis calumnia mera eſt, vt ex dictis ſupra conſtat. Cæterùm pro dictorum confirmatione ab omni nota, & cenſura eximit Aluarum Nauarrus de redit. Eccleſ. quæſt. 1. monitorio 10. qui in hunc modum cauſam eius contra aduerſarium agit. Nauarrus defendit Aluarum.

Decimò moneo quòd in eadem Apologia monit. 12. diximus, præfatus N. malè arguit vanitatis in eodem cap. num. 9. Aluarum Pelagium, doctrinâ ſolidâ virum, in hæc verba; ex his vana mihi videtur illa quæſtio Pelagij; An veſtes Petri, quibus indui eum Angelus iuſſit, eſſent Petri, quoad dominium, vel vſum tantùm? Malè, inquam, arguit vanitatis Aluarum. Primò quidem, quia nullus vnquam Doctorum arguit vanitatis, imò omnes laudauerunt: Gloſſ. ſingularem cap. non dicatis 12. quæſt. 1. quærentem an veſtis quâ ſe quotidie veſtit Monachus ſit eius? & decidentem non eſſe, imò neque poſſeſſionem eius habere, nec nomine ſuo poſſe agere, ſuper illa, vel ſuper alia re temporali virtute illius contractus, vel delicti. Nec mirum, quod eam laudarint: quia vera, & rata eſt: probatúrque per l. id veſtimentum. ff. de pecul. quatenus habet, ſeruum nec eſſe dominum veſtimenti quotidiani. neque illud ſuo nomine poſſidere: quia, qui ab alio poſſidetur, nihil poſſidere poteſt. l. quod ſeruus. ff. de acquir. poſſeſſ. & quod recepta eſt tam in praxi, quàm in theoria ſententia Innoc. in cap. cùm olim. de priuil. quod ſeruus & Monachus in hac re coæquantur.

Deinde, ideo malè notat Pelagium vanitatis: quia fundamenta quibus in id mouetur, vana ſunt. Alterum ſcilicet eſt, quod Apoſtoli non vouerunt paupertatem: quod ideo vanum eſt, quia contrarium eſſe verum conſtat ex B. Auguſtino 7. lib. de Ciuit. Dei, cap. 10. & ex aliis, quæ latè citat Pelagius lib. 2. de planctu Eccleſiæ, cap. 56. col. 7. Conſtat item ex eo, quod id neceſſariò conſequitur, præſuppoſito quod ipſemet N. præſupponit ex Sancto Thoma in 2. 2. quæſt. 88. artic. 4. eos voluiſſe omnia ad ſtatum perfectionis pertinentia, vt ſupra efficaciter probauimus: in qua re certè ipſe confusè & inconſtanter vagatur. Alterum autem ſcilicet, quod Petrus, licèt vouiſſet paupertatem, cùm ſolùm eſſet diſcipulus, fuit tamen abſolutus ab

Rr *illa,*

illa, ſimul ac fuit factus Epiſcopus: quod ſupra monſtratum eſt eſſe falſum, & periculoſum. Quare non de vanitate fuit notandus Pelagius, ſed de ſoliditate eruditionis, ac veritate laudandus, quatenus grauiter, conſtanter, & doctè definit, Petrum paupertatem vouiſſe; ideóque non fuiſſe Dominum ſuarum veſtium, nec poſſidere quidem illas nomine proprio, ſed nomine Chriſti vel Eccleſiæ, cuius caput vicarium erat, cùm Angelus eum excitauit in carcere: ſicut verè dicimus, S. D. N. Pium V. eius ſucceſſorem (quæ gloria eius eſt) non fuiſſe Dominum vllorum bonorum Eccleſiaſticorum, nec ſuarum veſtium quidem, obſtante iam voto paupertatis ſolemni, quod pridem emiſerat: tamen ſic ſummum eorum omnium diſpenſatorem & protectorem. Equidem concluſionem Pelagij prædictam, quæ antea fuit Gloſſæ prædictæ ſingularis & omnium communis, non ſolùm arbitror non eſſe vanam, ſed veram, & valde vtilem: vt agnoſcamus omnes religionem approbatam profeſſi, quod nullius rei temporalis, nec veſtium quidem quas veſtimus, Domini ſumus, neque eas nomine noſtro poſſidemus: quo eis eorúmque reditibus conformius noſtris regulis vtamur, & pauperibus aliiſque pietatis operibus fuſius manus extendamus. Vide eandem circa quæſtionis ſtatum monit. 12. 13. 14. & 15. qui totus in ſententiam Pelagij deſcendit. Hucuſque de Chriſti, & Apoſtolorum paupertate ſatis diſputatum eſt, ad alteram deinceps quæſtionis difficultatem tranſire lubet, in qua ſatisfaciendum erit iis obtrectatoribus, qui Franciſcanam paupertatem impugnant, vel aliis, qui minùs ſolidè de eadem diſputarunt.

CAPVT VII.

Quod fratres Minores ſolum vſum facti habent in res quæ ipſis offeruntur, etiamſi vſu conſumantur, in quibus vſus iuris & facti differentia manifeſtatur, & probatur.

NOn ſola Chriſti, & Apoſtolorum paupertas in controuerſiam venit ſub Ioanne XXII. verumetiam ſtatus regulæ fratrum Minorum, eiúſque paupertas; quoad primam quæſtionem tam Ioannes, quàm prædeceſſores Pontifices concordant: quoad ſecundam idipſum quidam adſtruere tentant; ſed ad concordiam eos reuocare difficile eſt: in cauſa paupertatis Chriſti, & Apoſtolorum emanauit extrauagans, *Cùm inter nonnullos*, &c. alteram verò quæſtionem concernit extrauagans, *Ad conditorem Canonum*, quo abdicauit dominium rerum conceſſarum fratribus, quod prædeceſſores in ſe, & Romanam Sedem aſſumpſerunt: potuit id quidem, ſed quod irritatus à ſingularibus perſonis, fecerit, alij non probant, cùm particularis offenſa in communem innocentum

centum vindictam, trahi nequaquam debuit. Sed id alij iudicent: nullam certè iuſtæ indignationis cauſam exhibuerunt eidem tum Franciſcani, præter deciſionem illam Capituli Peruſini, quam legitimam, & iuſtæ defenſionis moderamini inculpatam eſſe ſuperius demonſtrauimus. Nec Ocham, nec Ceſænas, qui ſoli ex Franciſcanis iniqui fuerunt in Pontificem, hoc anno, aut ante vindicias tentarunt, nec poſteà ante annum ab hoc quintum. Iniqua igitur ſuggeſtio, nulla Franciſcanorum culpa Pontificem commouit, vt præfatum dominium abdicaret, ſyndicos, qui ex conceſſione Martini IV. & aliorum prædeceſſorum eleemoſynas fratrum, nomine, & authoritate Pontificis adminiſtrabant, reuocauit, aliáque certè diſſeruit, quæ prædeceſſorum deciſionibus non ita ſpecie tenus quadrant (licèt in quæſtione extranea fidei, nec à communi ſchola ſunt recepta) vt de confuſione vſus & dominij in iis rebus, quæ vſu conſumuntur, de paupertate Franciſcana, & quæ illuc ſpectant. Adiecit inſuper alias decretales Apologeticas, ſi decretales dici poſſunt, in quibus nihil omninò deciſiuè adſtruitur: ſed doctrinali diſcurſu proceditur diſputariuè, magis proinde ex priuato ſenſu, quàm ex cathedra; vt opidò ad propoſitum obiici queat, quod is ipſe Innocentij V. in hac ipſa materia authoritati reſpondit extrauagante, *Quia quorundam: Dicimus quidem*, inquit, *quod hoc dixerit non vt Papa, ſed vt Petrus de Tarantaſia.* Eandem de Ioanne ſententiam reipſa confirmant ſequentes, qui Nicolaum, & Clementem V. alióſque Pontifices contraria dogmatizantes iure ſequuntur: noſtráſque partes ſuſtinent: vt antiquos omittam, Soto de iuſt. & iur. lib. 4. quæſt. 1. artic. 1. aſſerens Ioannem nec legitimè, nec iuſtè renunciaſſe dominio præfato. Nauarr. Apologia ad lib. de reddit. quæſt. 1. & toto monit. 16. de reg. comm. 1. & comm. 2. Alcozer lib. de ludo cap. 17. Ledeſma 2. part. quæſt. 18. artic. 1. dub. 2. Menchaca in controu. illuſtr. lib. 1. cap. 17. Queſada in ſuis quæſt. variis cap. 14. Bannes 2. 2. quæſt. 62. init. tract. de dominio quæſt. 1. dub. 1. concluſ. 3. & 4. Bellarm. tom. 1. controu. de Summo Pontifice lib. 4. cap. 14. Salon. quæſt. 1. artic. 2. concluſ. vnica. Molina, D. Thom. 2. de iuſt. & iur. diſputat. 6. Azor. tom. 1. inſt. mor. lib. 12. cap. 24. quæſt. vltim. Valent. 2. 2. diſput. 5. quæſt. 10. punct. 1. quæſt. 2. Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. cap. 3. dub. 8. Vaſquez opuſc. de redditibus. Sanchez tom. 2. in decal. lib. 7. cap. 18. ſuperſedeo noſtris, qui id ad vnum omnes defenderunt, ad quos vniuerſim remitto lectorem, ſicut ad ſupra citatos, Alenſem, D. Thom. D. Bonau. Henricum de Gandauo.

Soto. Nauarr. Alcozer. Ledeſma. Menchaca. Queſada. Bannes. Bellarm. Salon. Molin. D. Thom. Azor. Valent. Leſſius. Vaſquez. Sanchez.

Vnico argumento reliquis omiſſis, quæ apud præfatos paſſim occurrunt certandum duxi, ex authoritate ſcilicet Eccleſiæ, & Pontificum, probandúmque manifeſtè ex communi eorum ſententia nihil dominij, aut proprietaris conuenire, aut permitti Franciſcanis in communi, aut particulari quoad vllas res, etiam vſu conſumptibiles, & quidquid aduerſum hoc ſtatuit Ioannes, non modò non acceptum fuiſſe, ſed expreſſè, & in terminis reuocatum per ſucceſſores, nihilque proinde vigoris habere decretalem, *Ad conditorem*, nec reliquas, quæ ad eius defenſionem emanarunt.

Gregor. IX.

In primis Gregorius IX. in ſua declaratione quæ incipit: *Quo elongati ſæculo*, &c. art. 4.

Ex ſententia Eccleſiæ & Pontificũ adſtruitur paupertas Minorum.

Præterea cùm in ipſa regula contineatur expreſsè, quod fratres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec rem aliquam, ac ipſi proceſſu temporis contaminari timeant ordinis paupertatem, præſertim, cum iam dixerint aliqui. proprietatem mobilium pertinere ad totum ordinem in communi, nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt in hoc dignaremur animarum prouidere periculis, & totius ordinis puritati.

Dicimus itaque quod neque in communi, nec in ſpeciali debent proprietatem habere, ſed vtenſilium, & librorum, & eorum mobilium, quæ licet habere. eorum vſum habeant, &c. Ita Gregorius, qui vt ipſe fatetur ex longa familiaritate Sancti Franciſci pleniùs intentionem nouit, eidémque aſtitit, dum regulæ confirmationem à Sede Apoſtolica obtinuit. Declaratio autem eius tam clara eſt, vt ponderationem reſpuat & interpretem.

Innocent. IV.

Innocentius IV. in declarat. ſuper eodem, quæ incipit: *Ordinem veſtrum: Dicimus*, inquit, *inſuper, quod cùm in ipſa* (ſupple, regula) *contineatur expreſsè, quòd fratres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem: nec in communi, neque in ſpeciali debent proprietatem habere. Sed locorum & domorum, ac vtenſilium. ac librorum, & eorum mobilium, quæ licet habere, ordo vſum habeat, & fratres ſecundùm quod Generalis, vel Prouinciales Miniſtri diſponendum duxerint, iis vtantur.* & infrà. *Cùm tam mobilium, quàm immobilium huiuſmodi ius, proprietas, & dominium (illis ſolis exceptis, in quibus expreſſe donatores. ſeu tranſlatores ſibi dominium ſeruaſſe conſtiterit) nullo medio ad Eccleſiam ipſam ſpectent, cui domus, & loca prædicta cum Eccleſiis, cæteríſque pertinentiis (quæ omnia in ius, & proprietatem Sancti Petri ſuſcipimus) omnino tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus immediatè ſubeſſe noſcuntur*, &c.

Alexander IV.

Alexander IV. edidit ſimilis tenoris expoſitionem, de qua vetus author Bartholom. Piſanus in ſua compilatione. Authentica habetur Pariſiis, vt refert Speculum ordinis.

Nicolaus III.

Idem definiuit Nicolaus præfatâ decretali, *Exiit*, vt ſuprà viſum fuit. Hæc porrò ille artic. 2. ſupponens declarationes præmiſſas. *Dicimus*, inquit, *quòd abdicatio proprietatis huiuſmodi omnium rerum, tam in ſpeciali, quam etiam in communi, propter Deum meritoria eſt, & ſancta*, &c. & infrà. *Cùm in rebus temporalibus ſit conſiderare præcipuum proprietatem, poſſeſſionem, vſumfructum, ius vtendi, & ſimplicem facti vſum, & vltimò tanquam neceſſario egeat, licèt primis carere poſſit vita mortalium, nulla prorſus poteſt eſſe profeſſio, quæ à ſe vſum neceſſariæ ſuſtentationis excludat. Verùm & decens fuit ei profeſſioni, quæ deuouit Chriſtum pauperem, in tanta paupertate ſectari, omnium abdicare dominium. & rerum ſibi conceſſarum neceſſario vſu fore contenta.* Vide eum fuſiùs in ſequentibus, in quibus etiam dominium rerum conceſſarum fratribus in Sedem Apoſtolicam aſſumpſit, exemplo prædeceſſorum ſpeciatim Innocentij IV.

Martinus IV.

Martinus IV. idem declarauit in decretali, *exultantes in Domino*, &c. quæ data eſt anno 2. ſui Pontificatus, qui fuit 1286. aſſerens ad Eccle-

ſiam Romanam omnes res fratrum Minorum ſiue mobiles,ſiue immobiles, quibus vti poſſunt, quo ad ius, proprietatem & dominium nullo medio ſpectare, & concedit facultatem conſtituendi ſyndicos, qui nomine & authoritate Eccleſiæ res oblatas in vſus fratrum neceſſarios expenderent.

Nicolaus IV. idem præſtitit anno primo ſui Pontificatus 1288. 2. Maij. decretalis incipit: *Quia nonnulli*, &c. recipiens omnia & ſingula, quibus licitè vti poſſunt fratres, in dominium & proprietatem S. Petri Apoſtoli, niſi præfatum dominium ſibi reſeruarint dantes. Nicolaus IV.

Bonifacius VIII. approbauit decretalem Nicolai, eámque inſeruit ſub titulo de verborum ſignificatione lib.6. quem ex veris & authenticis decretalibus compilauit, vt habet decretalis, *Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ*, &c. quam eidem libro præfixit. Bonifac. VIII.

Idem ſui Pontificatus anno primo, qui fuit Domini 1294. prædeceſſorum Nicolai, & aliorum decretales ſpeciali indulto confirmauit; quod incipit: *Inter cæteros ordines*, &c. inferius autem ita ordinauit: *Præterea, Eccleſias, oratoria, domos, loca, libros, vtenſilia, & alia qualibet mobilia & immobilia, quorum vſum licitè habere noſcimini, cum cæteris omnibus quocumque modo, vel quauis cauſa pertinentibus ad prædicta, & ad aliquod prædictorum in ius & proprietatem B. Petri Apoſtoli authoritate Apoſtolicâ ſuſcipimus in perpetuum valitura: illis ex eis duntaxat exceptis, in quibus euidenter & expreſſè donatores ſeu tranſlatores ſibi proprietatem & dominium conſtiterit reſeruaſſe*, &c.

Clementis V. eiuſdem ſucceſſoris declaratio ſolemnis eſt edita in Concilio Viennenſi, & promulgata, quæ decretalem Nicolai confirmat, elucidat, & ſupplet, incipit, *Exiui de paradiſo.* per omnia concordat Nicolao. Clemens V.

Tandem ipſe Ioannes XXII. vtrámque tam Nicolai, quàm Clementis declarationem confirmauit extrauag. *Quorundam exigit*, &c. verba eius ſunt: *Nos poſt prædeceſſorum noſtrorum & præſertim felicis recordationis Nicolai III. ac piæ memoriæ Clementis V. Rom. Pont. ſuper intellectu & obſeruantia reg. Ord. Fratrum Minorum declarationes ſalubriter editas, ſolidas quidem, claras & lucidas multáque maturitate digeſtas, noſtras Deo fauente indubias ipſorum prædeceſſorum declarationes declarationibus adiungamus, ſicque dies diei eructet verbum*, &c. Ioan. XXII.

Concilium Conſtantienſe hunc paupertatis ſtatum confirmauit quibuſdam obſeruantibus monaſteriis in partibus Galliarum edita conſtitutione, quæ incipit, *Sacroſancta Conſtantienſis ſynodus*, &c. Vbi hæc inter reliqua præſcribuntur: *Inſuper poſſit, & debet ipſe Vicarius Generalis, & ſui ſucceſſores conuentus ſibi ſubditos, ad ſtatum dictæ ſtrictæ obſeruantiæ conſonum iuxta declarationes, & ſtatuta ſedis Apoſtolicæ, & ordinis reducere, tollendo quaſcumque ſuperfluitates, ſiue ſint in rebus mobilibus, vel immobilibus quantum fieri poterit bono modo, habito ſemper conſilio maiorum, & diſcretorum ſibi obedientium, eligendo, ſi opus eſt, aliquos fideles, qui ipſas ſuperfluitates authoritate huius ſacri Concilij vendant, commutent, aut alias in pijs operibus conuertant*, &c. Per ſtatuta, & declara-

tiones Apoſtolicas intelligit Conc. declarationes Nicolai,& Clementis, quæ in præfatis monaſteriis obſeruabantur, reiectis priuilegiis, quæ inducta ſunt contra regulæ præſcriptum, quoad paupertatis rigorem, & purum cultum. Hinc ordinatum, vt procuratores, ſeu ſyndici eligi poſſint, qui ſuperfluitates commutarent,aut in pios vſus conuerterent nomine tamen, & authoritate Concilij, non fratrum, vt qui nullum in res dictas dominium haberent, quo ius, aut authoritatem qualemcumque in alios legitimâ, & validâ ſubſtitutione deriuarent. Hoc idem decretum confirmatum eſt à Concilio Baſilienſi, dum ſub obedientia Eugenij IV. congregatum perſeueraret, & per Martinum V. anno 3. ſui Pontificatus, decretali, quæ incipit: *Romanum Pontificem*, &c.

Martin. V. Martinus V. anno 11. ſui pontificatus, qui fuit 1428. Kalend. Nouembris renouauit decretalem Martini IV. eandem de verbo ad verbum exprimens in ſua conſtitutione (quæ incipit, *Amabiles fructus*) confirmauit; & extrauagantem Ioannis XXII. *Ad conditorem*, expreſsâ eius mentione factâ, reuocauit: inſtituit facultatem nominandi ſyndicos, qui eleemoſynas fratrum expenderent nomine & authoritate Sedis Apoſtolicæ, in quam reſumpſit omne ius & dominium rerum tam mobilium quàm immobilium ſpectantium ad vſum fratrum,quod aliàs præfatus Dominus Ioannes XXII. abdicauit.

Reuocatio extrau. Ad cōditorem.

Idem Pontifex ad conuentum, ſeu Capitulum, vt aiunt, generale totius Ordinis Franciſcani,quod celebratum fuit Aſſiſij anno 1430. legauit Ioannem Cardinalem, qui pro ipſius ordinis vnione, & reformatione eidem Capitulo præſideret, cum plenaria poteſtate dirigendi, diſponendi, ſtatuendi, præcipiendi,mandandi,& quoſcumque tranſgreſſores mulctandi, puniendi, corrigendi, priuandi,approbandi,reprobandi, procedendi, iudicandi, & exequendi, *&c.* vt habent literæ Pontificiæ: *Cum generale Capitulum*, &c.

In vigore autem huius conceſſionis Apoſtolicæ edita ſunt in præfato Capitulo ſtatuta, quæ ideò dicta ſunt Martiniana, non ſolùm, quia eius authoritate facta: ſed quia etiam poſteà ab eodem confirmata ſunt, & modificata per ſpecialem conſtitutionem, quæ incipit, *Peruigilis more paſtoris*, &c. (data eſt Romæ apud SS. Apoſtolos 6. Kalend. Auguſt. Pontif. 14.) pro confirmatione verò ſtaturorum hæc habet: *Nos conſtitutionum, & literarum earundem tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illáſque harum ſerie approbantes, & confirmantes*, &c. & ſub finem: *Præmiſſis, necnon conſtitutionibus Apoſtolicis, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcumque: Aliàs tamen conſtitutionibus antedictis per præfatum Cardinalem editis in omnibus ſemper ſaluis*, &c.

Quid porrò conſtitutiones ipſæ circa præſentem quæſtionem diſponunt audiamus: Item *quoad votum*, inquiunt, *paupertatis, id eſt, vouendi ſine proprio,& quod fratres nihil ſibi approprient, ſtatuimus & ordinamus illud inconcuſsè tenendum, quod fel. rec. Nicolaus III. declarauit in ſua decretali extra de verborum ſignificatione, Exijt qui ſeminat lib.6. §. porrò ſucceſſiuè, & ſeriatim per ordinem vſque ad §. verùm quia expreſsè in regula continetur* (hæc ſeries comprehendit articulos 2. & 3. omniáque

omniáque quæ de paupertatis ſtatu declarauit & ordinauit Nicolaus) *& quod quilibet conuentus habeat ſuum procuratorem ſecundùm declarationem & priuilegium Domini Nicolai III. Martini IV. & ſanctiſſimi Patris & Domini Martini V.* &c. ita ſtatuta cap. 1.

Eugenius IV. in decretali, *Ad perpetuam rei memoriam. Prouiſionis noſtræ debet prouenire ſubſidio, vt ius ſuum cuilibet conſeruaretur*, &c. confirmauit litteras Martini V. de quibus ſuprà, & reuocauit extrauagantem Ioannis XXII. quæ dicitur, *Ad conditorem*, cum reliquis obſtantibus. Hæc acta ſunt anno 1432. Idib. Febr. Pontif. Eugenij anno 2. Idem etiam Pontifex editis pluribus aliis conſtitutionibus, ſtatum familiæ de Obſeruantia approbauit, & ampliauit, qui paupertatem dictam ſolo rerum vſu contenti profitentur. Idem præſtiterunt ſucceſſores Calixtus III. Nicolaus V. Pius II. Paulus II. Sixtus IV. qui ſubinde 1471. prid. Kalend. Martij editâ decretali, quæ incipit, *Dum vberes fructus*, &c. approbauit conſtitutionem Martini V. & prædeceſſorum de inſtituendo ſyndico, qui nomine Eccleſiæ Romanæ adminiſtraret oblata in vſus neceſſarios fratrum, ibidem determinans omne ius, proprietatem, & dominium in hæc ad Sedem Apoſtolicam ſpectare. Eugenius IV. Calixtus III. Nicolaus V. Pius II. Paulus II. Sixtus IV.

Alexander item VI. in decretali, quæ incipit: *Vberes fructus quos videtur ordo*, &c. confirmat decretales prædictas Martini IV. Martini V. Eugenij IV. Sixti IV. Pauli II. Calixti III. per quas vſu rerum fratribus dumtaxat permiſſo (*Quem*, inquit, *cum puritate regulæ percipere, & habere poſſunt*) dominium & proprietatem apud Eccleſiam Romanam remanere decreuit. Alexander VI.

Iulius item II. idem conſtitutione ſimili inſtituit anno 1509. Iulius II

Leo X. anno primo ſui Pontificatus ſcilicet 1514. declarans amplas domos, & pretioſa ornamenta non derogare regulari obſeruantiæ fratrum, ita habet: *Nos igitur attendentes, quod domorum, & aliarum rerum, tam pro diuino cultu, quàm pro communi vſu veſtro vobis conceſſarum, ſolùm ad vſum non poſſeſſionem cedunt, nec ea ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ mandato alienare poſſitis, ac ad eandem illa omnia, quæ de nouo noſtri prædeceſſores fecerunt, in proprietatem dictæ ſedis recipimus, pertinent, & quod ex domorum amplitudine, aut paramentorum multiplicitate nihil magis veſtris commoditatibus corporalibus adiicietis, veſtris hac in parte ſupplicationibus inclinati authoritate Apoſtolicâ tenore præſentium declaramus, & decernimus vt illarum tantum eſſe cuſtodes & non poſſeſſores, & propterea abſque veſtræ profeſſionis maculâ, aut violatione decentioribus paramentis vti*, &c. Leo X.

Adiicere poſſem plurima Ordinis Franciſcani ab initio, in hanc vſque diem, edita, ſtatuta, atque authoritate Apoſtolicâ confirmata; ſed quid extra tot Pontificum determinationes tam manifeſtas, quàm veras aliud quæramus teſtimonium? quibus perpetuâ ſucceſſione ſtabilita eſt regula Franciſcana, eiúſque decreta paupertas, vt nihil aut proprietatis, aut dominij admittat, ſiue in communi, ſiue in particulari. Hinc Trid. ſeſſ. 24. de regularibus, & monialibus cap. 3. dum reliquis tam mendicantibus, quàm aliis religionibus bona immobilia poſſidere in communi permittit, de refor. Trident.

permittit, & de nouo concedit, excipit monaſteria Franciſcanorum de Obſeruantia, & Capucinorum, non aliam ob cauſam, niſi quia eorum ſtatus & regula poſſeſſionem vllius rei non admittit.

Quapropter manifeſtè ſequitur veritas decretalis, *Exijt*, editæ à Nicolao Papa circa articulum paupertatis Franciſcanæ, ac præmiſſæ deciſionis Peruſini Capituli. Qui benigniori itáque interpretatione reuocare noluerit ad concordiam Ioannem cum Nicolao, deferre certè tenetur huic quem perpetuus Eccleſiæ & Pontificum ſenſus tenuit, non Ioanni, qui ſolus eſt,&, vt fertur, paſſione motus diſſeruit, veriùs more doctoris, quam quidquam definiuit ex cathedra, vt Pontifex: quantumuis enim renunciatio dominij rerum conceſſarum ad vſum Franciſcanorum ab eo facta, vſus fuit authoritatis pontificiæ: in nulla tamen definitione per eum, aut alium, quæ ſtatum quæſtionis controuerſæ determinaret, fundata fuit, & nullibi eum inuenio hac in re deciſiuè proceſſiſſe, ſed merè diſputatiuè, vt mirum fortè videri queat, quonam fundamento quidam eius authoritatem nobis obiiciant tanquam is quidquam hac in re definierit propriè, & ex cathedra.

E contra viginti Pontificū non ambiguas, ſed claras,& expreſſas declarationes pro noſtra ſententia adduxi, vt omittam quatuor Generalia Concilia Viennen. Conſtantien. Baſilien. antequam ab obedientia receſſit, & Trident. quorum Viennen. id clarè definit, alia duo non obſcurè ſupponunt ſecundùm hoc decernentes quoad ſtatum obſeruantiæ; Tridentinum verò inſinuat. His adiicere poſſem Innocentium,& Honorium III. qui eum ſtatum confirmarunt Beato Patri noſtro Franciſco, cuius potiſſimum confirmationi rigor ille paupertatis à regula præſcriptus difficultatem non modicam obiecit: non modò enim arduus, ſed inobſeruabilis, & irrationabilis quibuſdam viſum eſt cardinalibus teſte S. Bonauent. cap. 3. vitæ ſancti, quibus in fauorem pauperis Euangelici præclara eſt ibidem reſponſio Ioannis Cardinalis à S. Paulo dicti Sabinenſis: *Si petitionem*, inquit, *pauperis huius tanquam nimis arduam, nouámque refellimus, cùm petat confirmari ſibi formam Euangelicæ vitæ; cauendum eſt nobis, ne in Chriſti Euangelium offendamus: Nam ſi quis intra Euangelicæ perfectionis obſeruantiam, & votum ipſius dicat contineri aliquod nouum, & irrationabile, vel impoſſibile ad ſeruandum, contra Chriſtum Euangelij authorem blaſphemare conuincitur*, &c. Dubium autem non eſt præfatos Cardinales, aut Pontificem non hæſiſſe circa confirmationem paupertatis in particulari duntaxat, quæ apud religiones paſſim nota, & in obſeruantia fuit, ſed communis, vt ex ſequentibus liquet, maximè ex parabola, quam ſanctus induxit de paupere muliere contrahente cum rege diuite, ciúſque ſuſceptâ prole, quæ ad magni regis menſam nutriebatur, indicans per hoc non verendum eſſe ne religio pauper, nihil habens ad regis Chriſti menſam ſedens, fame conficiatur.

Bonauent.

Quod ſi vlteriùs progredi liberet in medium adferre poſſem plures conſtitutiones Pontificum in cauſa reformationis aliquibus in locis Franciſcanæ religionis, quorum potiſſimus, & vnicus ſcopus erat præfatum

ſtatum paupertatis ſtatum conſeruare, aut lapſum alioquin reſtaurare, omneſque dicti ordinis reformationes authoritate pontificiâ inſtitutas illuc ſemper ſpectaſſe. Quid dicam quod extrauagantia Ioannis XXII. in quantum his derogant, ſint à ſucceſſoribus reuocata?ex quibus habes lector quid in controuerſia liquidò ſit ſequendum.

Quod ſi concordia magis placet, eam ex Aluaro, Molina, Nauarro, & aliis inuenies,nempe Ioannem intellexiſſe per vſum iuris ipſum vſum facti licitum,quem determinauit Nicolaus præſcribi à regula Franciſcana, fauéntque huic interpretationi argumenta Ioannis, quibus contendit vſum ſimplicem facti nullum dare titulum licitum, ac proinde eſſe iniuſtum. Addendo ergò quod talis vſus ſit licitus aliquo adhibito titulo nihil obſtabit Ioannes, ſed quæſtio pænè erit de nomine. Diſtinguas ergò ſic vſum iuris ab vſu facti licito, nempe quod ille ſit ius vtendi re alienâ independenter à voluntate domini, aut non fundatus in eius conceſſione, hic verò ſit ſemper dependens à voluntate Domini qualis conuenit ſeruo, quoad res Domini;religioſo particulari in res ad vſum conceſſas; conuiuæ quoad appoſitos cibos, *&c.* Hunc præſcribit regula Franciſcanorum,vſus autem facti ſimplex non licitus eſt, quando ſine voluntate, aut conceſſione Domini, aut alio fundato titulo vtimur re aliena.

Finiui tandem lector concertationem promiſſam de paupertate Chriſti, & Apoſtolorum, atque ſimul Franciſcana. Omnia iudicio tuo cedunt, breuior eſſe potui; ſed nec minus prolixior. Quod ſi tibi prolixus, veniam da: moram enim iniecit aduerſarius, vt hanc in mei ſtatus, ac ſimul etiam veritatis, Apologiam dictarem. Audiſti ſuperius, quàm atrociter in nos & deciſionem Capituli Peruſini ante tempus inuectus ſit. Sed nec magis in ſequentibus parcit, neſcio quibus Fratricellorum erroribus, & hæreſibus, eandem ſimul cum toto ſodalitio Franciſcanò ob eius cauſam inſimularis: ideo hîc debito loco, & anno ſiſtendum duxi, donec omnes machinas & violentos inſultus obiectâ innocentiâ, & veritate diſcuterem: deinceps autem velut partâ victoriâ ſolùs currens, feſtinabo tecum ad metam: fugientis tamen aduerſarij veſtigium premam, ne elabatur reliqua proſecuturus,quæ aduerſus Franciſcanos adinuenit.

Anno 1323. num. 10.

B Z O V. *Gliſcentibus interim Pontificem inter, & Ludouicum diſſenſionibus, fratres quidam Minores de paupertate Chriſti, & Apoſtolorum, nimis contentioſè, non iam cum fratribus prædicatoribus, ſed cum ipſo Ioanne ſummo Antiſtite, diſceptantes, cùm fratrem Bonagratiam, ea in controuerſia fratris Michaëlis Caſenatis Miniſtri, & Capituli Generalis Peruſini Procuratorem, propter temerariam à ſententia Ioannis appellationem, per hos dies in carcerem coniectum accepiſſent, ſcriptis non minus procaciſſimis, quàm erroneis, famam ſummi Pontificis Ioannis violare auſi ſunt.*

Quod autem ſcirent Ludouicum iniquiſſimo animo excandeſcere contra Pontificem, Vvilielmum Ockamum ſui inſtituti, natione Anglicum ſophiſmatibus, & ſubtilitatibus tenebroſis innutritum, ac propter eandem opinionem, quam vnà cum Fratre Michaële Ceſenate Generali Miniſtro mordicus defendebat, anathemate percuſſum, ad Ludouicum odio æſtuantem, ire ſuſtinuerunt. Qui oleum, vt aiunt, camino inflammato affunderet: ferunt, cùm defenſionem imploraret, dixiſſe: O Imperator tu me gladio à Papa iniurijs defende, & ego te verbis, & ſcriptis indiſſolubili ratione defendam.

Is à Ludouico ſiue mercede conductus, ſiue in tutelam receptus multas calumnias in Ioannem ſparſit, hæreticúmque & ſchiſmaticum mentitus, eius cenſuras non eſſe metuendas, finxit, &c.

Diues eſt aduerſarius, & in Franciſcanos liberalis, vt nemini dubium euadat, authorem, & inuentorem eum eſſe annalium, non collectorem. Sed quamuis vnicâ hac reſponſione ſatisfiat, eum nempe inuecturam agere, non veram narrationem, pro conſuetudine tamen ad ſingula reſpondebimus.

B z o v. *Fratres quidam Minores de paupertate Chriſti & Apoſtolorum nimis contentioſè non iam cum fratribus Prædicatoribus, ſed cum ipſo Ioanne ſummo Antiſtite diſceptantes*, &c.

tit.24. c.9. Inſtantibus fallacibus aliquibus ſuſurronibus, & detractoribus, indignationem Pontificis incenſam contra ordinem, & Generalem refert Antoninus: quinam illi fuerint, tu, vt velis, interpretare; immunes ſanè ab altercatione, & contentione, ſi quæ fuit, nōn præſtabis, nec probabis etiam Fratres Minores vllos diſceptaſſe cum Ioanne de paupertate Chriſti hoc anno, vt ſequentibus apparebit.

B z o v. *Cùm Fratrem Bonagratiam ea in controuerſia Fratris Michaëlis Ceſenatis Miniſtri, & Capituli Generalis Peruſini procuratorem, propter temerariam à ſententia Ioannis appellationem per hos dies in carcerem coniectum accepiſſent.*

Nullum hîc præmiſſæ, quam fingis, diſceptationis ſeminarium inuenies. Inſtitutio procuratoris, qui grauiſſimam, & iuſtiſſimam ordinis cauſam ſuſtineret coram ſupremo iudice, ex æquo fuit, & decore religionis, ne dicam neceſſitate defenſionis ſtatus, & inſtituti. Si verò, te iudice, crimen id fuit, quidni etiam accuſas inferius ad annum 1337. contribules tuos, à quibus Fr. Mathias Cracouienſis, Poloniæ Miniſter, deſtinatus eſt ad Benedictum XII. omnia extrema inſtituto Dominicano, te authore, minitantem? Sed fortè quod nobis non licet, in tuis erit virtus.

Vt rem igitur à cardine voluamus, diſceptationem hanc de paupertate primus inuenit Fr. Ioannes Inquiſitor Dominicanus, quæ licèt

extincta

extincta fuit in dominica Paſſionis, huius anni, ex partium conſenſu, manſit tamen fomes in malè affectis, quorum importuna ſuggeſtio tantum reſtaurare valuit incendium, id neſcientibus quidem Franciſcanis. Hinc ergo diſceptationis origo, cùm Pontifex laxauit cenſuras, quas ad defenſionem ſtatus Franciſcani poſuit Nicolaus III. cuique liberum permittens ſuam de paupertate Chriſti opinationem promere. Diſceptarunt ergo Franciſcani? nequaquam: à viris tamen principibus, & quibuſdam S. Eccleſiæ Cardinalibus rogati, in Capitulo Peruſino ſuam expoſuerunt ſententiam, in ea quæſtione, quam liberæ diſceptationi ſubiecit Pontifex. Neſcio quid in hoc peccârint: ſcio autem nihil contentioſius mouiſſe aduerſus quenquam, cuius experimentum erit ſi legatur deciſio, quam exhibuerunt cum ſuis fundamentis, iam ſuperiùs à nobis traditam.

Promulgauit mox Pontifex decretalem, *Cùm inter nonnullos*. 2. Idus Nouembris eiuſdem anni, ad hoc nihil tum Franciſcani. Proſequitur Ioannes impugnationem ſtatus eorundem, approbati à prædeceſſoribus, promulgauitque extrauagantem, *Ad conditorem*, in qua non modò renunciauit dominio rerum, quod prædeceſſores in ſe aſſumpſerunt, ſed & diſceptando, non obſcurè paupertatem regulæ, & ſuperiorum Pontificum declarationes ſuper eadem impugnauit, priuatæ opinionis, & quorundam ſuggeſtione, qui Pontificis animum, aliàs fortè commotum, alienare magis, ac magis contendebant.

Promulgatâ igitur, & affixâ præfatâ conſtitutione in portis Eccleſiæ Auenionenſis, Fr. Bonagratia eius cauſæ Procurator, exhibitâ ſupplicatione, cum debitâ ſui ſtatus defenſione, non *appellauit temerariè*, ſed recurrit humiliter ad ipſum Conditorem. Initium ſupplicationis erat: *Veſtræ ſupplicat ſanctitati Fr. Bonagratia.* ita Marianus loco præfato. iudicet ergo lector, ſi ſupplicare idem ſit quod temerariè appellare vt imponit Bzouius. Exhibita fuit ſupplicatio die 14. Menſis Ianuarij: hæc eſt tota diſceptatio, quæ contigit Franciſcanis circa paupertatem anno præfato.

BZOV. *Scriptis non minus procaciſſimis quàm erroneis famam ſummi Pontificis Ioannis violare auſi ſunt*, &c.

Digitum ad ſuperius relata intende, vt vel ſic rem certius inuenias; omnia porrò, quæ hîc ſcribis ad annum 1328. & ſequentes referenda ſunt: illo namque anno primùm cœperunt Franciſcani in Pontificem agere, & ex Franciſcanis ſolus Cæſenas, & Ocham. Veritatem diſce ex ea ſententia, quam in vtrumque Auenione profugum tulit Ioannes; eam facilè ex ſeipſo legeris eod. anno.

BZOV. *Vvilielmum Ochamum ſui inſtituti, natione Anglicum, ſophiſmatibus, & ſubtilitatibus tenebroſis innutritum, ac propter eandem opinionem, quam vnà cum Fratre Michaële Ceſenate Generali Miniſtro mordicùs defendebat, anathemate percuſſum, ad Ludouicum odio æſtuan-*

tem ire, ſuſtinuerunt, qui oleum, vt aiunt, camino inflammato affunderet.

Hoc fortè induſtriæ defuit,vt breui clauſulâ, errori temporis,& narrationis accreſcat falſatio authoris. Trithemium horum authorem producit ? en illum in fonte : *Vvilhelmum quoque de Ockam eiuſdem ordinis natione Anglicum, Doctorem acutiſſimum, ob eandem ſententiam excommunicatum, declarauit* (ſupple, Ioannes) *hæreticum, qui confugiens ad Ludouicum Imperatorem; eius defenſionem implorauit*, &c. Hucuſque Trithemius;qui perniciofam ſimulationem Franciſcanis nequaquam impingit, quaſi fugam Ochami, in diſpendium Pontificis, ſuſtinuerint, vt hoſtem in eum incitaret Imperatorem : in ipſum etiam Ochamum benignior eſt Trithemius,acutiſſimi Doctoris eum titulo indigitans,non autem ſophiſmatibus, & ſubtilitatibus tenebroſis innutriti, vt calumniatur Bzouius, qui erroneam temporum rationem fideliter ſequutus eſt, & quæ vera eſſe comperit, refutare non eſt veritus, ne quid veri fortè fortuna dixiſſe videretur. Sed nec hic finis corruptelæ.

Falſatio.

BZOV. *Is à Ludouico ſiue mercede conductus, ſiue in tutelam receptus.*

Quid opidò Trithemius ? *Suſceptus autem*, inquit, *à Ludouico*. nulla apud eum mentio mercedis, aut mercenarij.

BZOV. *Præcipuè in illam cuius titulus eſt*, Ad conditorem, *ſuperiore anno vulgatam epiſtolam, ſtylum acuerant Minoritæ:quam tantùm abeſt, vt Ioannes inuictæ conſtantiæ Pontifex antiquauerit, vt etiam hoc anno auctam, magiſque illuſtratam ediderit*, &c.

His omnibus ne ſolus incedere videretur ſubſcribit vnum Trithenium in Chron. Hirſaug. ſed is domi manens, mutus, & ſilens,ne verbum quidem dixit,horum quæ imponuntur. Cæterùm reſpondit ad obiecta pridem præclarus Theologus,Dominicus de Soto Ordinis Dominicani, *Nec legitimè, nec ſi fas eſt dicere, iuſtè editam eſſe decretalem, Ad conditorem:* alij ſubinde affirmare non verentur, non vſque adeo inuictum fuiſſe Ioannem, quin irritatus affectui ceſſerit, & particularis,ſeu offenſæ ſeu erroris vindictam, ab immerentibus, totius Eccleſiæ incommodo, expopoſcerit.

Bellarm.

Oblatâ per fratrem Bonagratiam ſupplicatione cum rationibus ſuis, & fundamentis, detracta eſt Eccleſiæ valuis extrauagans, *Ad conditorem*, & emendata, mutata, ſuppleta, aucta, & illuſtrata, iterúmque appenſa ſub eodem die, & anno, quod nequaquam ex authoritate, aut ſtylo Sedis Apoſtolicæ factum plures cenſuerunt, cuius decretales eâ maturitate digeri debent, vt creſcere, & decreſcere neſciant, in petræ ſoliditate fixæ, & fundatæ, quales illæ fuerunt anteriorum Pontificum, quas impugnatum ibat Ioannes, vt mirum non ſit, ſi eius diſſertatio, prædeceſſorum repulſa authoritate, haſce viciſſitudines ſubierit. Conqueſti

queſti ſunt igitur Franciſcani Ioannem ea decreuiſſe in ſui ſtatus diſpendium, quæ nihil ad principalem quæſtionem de paupertate Chriſti ſpectabant, & probè iam tum proſpiciebant, vnde, & quonam pendebat ictus, nihilque aliud hiſce machinationibus quorundam ſuggeſtione agitari quàm vindicias deciſionis Peruſinæ, quæ nihil etiam in verbis differt à declaratione Nicolai Papæ, tot Pontificum,& vniuerſalis Concilij acceptatione iam pridem roboratæ, alij licèt erroneam, alij in præiudicium authoritatis Pontificiæ, quiſquis pro ſuo affectu in auribus Ioannis perſonabant. Cædi potuerunt Franciſcani, cedere tamen veritatis defenſione non potuerunt, non voluerunt; præualuit nempe in eis tot Pontificum, & Eccleſiæ authoritas vnius priuatæ opinioni, quam tam primùm irritatus, aliorúmque ſuggeſtione incenſus verius captauit, quàm ex propria concepit ſententia. Eam porrò veram, & ſynceram Ioannis eſſe ſententiam interpretor, quam ex cathedra ſine affectu, & paſſione anteceſſoribus inhætens promulgauit (extrauag. *Quorundam exigit.* &c.) non eam, quam more ſcholaſtico, Doctoris ſtylum ſequutus, diſſeruit, non decidit, maiori quidem nouitate, etſi fidem non concernebat, quàm ædificatione, aut fructu. Vnde Ioannes Villanus eorum temporum hiſtoricus,in epiſtolam *Ad conditorem.* obiter incurrens, aſſerere non dubitat, communi opinione exiſtimatum tum fuiſſe, magnæ nouitatis arbitrio introductam in Eccleſiam Dei, non obſcurè præmittens eiuſdem nouitatis ſtimulos, à Franciſcanis ideo ſubiectos, quod in Capitulo Peruſino declatarint eandem ſe opinionem de Chriſti, & Apoſtolorum paupertate tenuiſſe, cui pridem Eccleſia Romana conſueuit, & quam Nicolaus III. editâ conſtitutione declarauit.

Marcus Vlyſiponenſ. 2. part. chono. lib. 8. cap. 12. ſatis diffusè exponit, quanto ardore, & ſtudio partium, controuerſia coram Ioanne tranſacta eſt; vt nemini liberum fuerit quantumuis Prælato, aut Cardinali quidpiam in fauorem Franciſcanorum, aut Capituli Peruſini aſſerere,quin ſtatim ab ipſo Ioanne cum ignominioſa hæretici appellatione repelleretur. Marcus 2. part. lib. 8. cap. 12.

Idem Marianus inculto ſed fideli ſtylo enarrat lib. 4. cap. 8. cùm enim pro vltima eius definitione quæſtio de paupertate Chriſti, & Apoſtolorum diſcutienda proponeretur in Conſiſtorio coram Ioanne Pontifice, plerique aduerſarij Franciſcanæ religionis, & qui auram captabant Pontificis, totis viribus incurrebant in deciſionem Peruſinam,eam hæreticam, & erroneam tumultuario ſtrepitu, nullâ ratione aut authoritate vociferantes. Verba Mariani ſunt. Marianus.

Cùm aliqui, quod Chriſtus, & Apoſtoli habuerunt in proprio, & in communi dicerent, & contrarium dicere erat hæreticum, eos & eorum dicta Dominus Papa maximè laudabat, qui verò contrarium aſſerebant, ipſos verbis acriter confundebat, vt patuit in Domino Vitali Ordinis Minorum Cardinali Albanenſi, qui tunc in Conſiſtorio ſe erigens dixit; quod dicta aſſerere non erat hæreticum, ſed contrarium dicere erat hæreticum iudicandum,cùm determinationi in dicta decretali Domini Nicolai III. repugnaret.

Tunc Dominus Papa ſignis exterioribus, ac acerrimis verbis publicè arguit, & confudit ipſum Dominum Vitalem, dicens ſibi pluries, & cum impetu, dicatis hæreſes veſtras, dicitis hæreſes. Vnde tunc Dominus ex his comminationibus metu perterritus, de prædictis, quæ dixerat, inductus fuit vt in Conſiſtorio diceret culpam ſuam. Hoc idem etiam euenit RR. PP. Arnoldo Turriano Archiepiſcopo Salernitano, & Henrico Epiſcopo Lucano; & Hieronymo Epiſcopo Caſenſi. quos ipſe Dominus Papa acriter, & enormiter redarguit, quia dicebant dictam aſſertionem non eſſe hæreticam, & ſe ſtare in hoc determinationi Eccleſiæ poſitæ in dicta decretali, Exiit. *Et in his. quæ dixerant ſemper ſtantes perſtiterunt, ex quibus terroribus, & minis cæteris, pauci valde inueniebantur, qui vellent, aut auderent fateri ſententiam quam credebant*, &c. Hæc Marianus ſubiiciens conſtitutionem tum editam, quæ incipit: *Cum inter nonnullos*, &c. Atque hinc quidem apparet, quam iniquo marte decertarint tum Franciſcani (ſi verum præfertur) cùm nec defenſioni locus fieret, nec ſatisfactioni: Id tamen manifeſtum ſit, quàm periculoſo curſu quoſdam arripuerit propriæ opinionis aura, atque à portu in Syrtes miſerabili impegit naufragio; eo nempe hic contentioſius eos adduxit ardor præiudicatæ ſententiæ, vt quiduis ſentire, aſſerere, ſcribere, & defendere lubricâ præſumptione non ſunt veriti, idque ſibi liberum præſtiterint, modò ad impugnationem deciſionis Peruſinæ & decretalis, *Exiit*; quidpiam ſpecietenus conferret. Argumento eſt ea reſponſio, quam ſub nomine Cardinalis Furnerij factam ad obiectiones, & fundamenta Ochami, & Ceſenatis attexuit author Directorij Inquiſitorum 2.part.quæſt.17. quamque nos infrà ſuo loco ad annum 1335. debitâ recenſebimus notâ: Hæc enim proteruâ, & peruicaci temeritate dum occaſiones contra ipſa fidei principia confingit, putidas, & meritò ablegatas hæreſes reſtaurat, Nicolaum Pontificem de errore traducit; vnius Pontificis in fidei vel morum quæſtione definitiones ab alio corrigi poſſe adſtruit; errorem iudicialem in fide admitti poſſe ab Eccleſia, & Concilio Generali mentitur; aliáque nonnulla diſſerit, quæ non modò communem Doctorum ſenſum abhorrent, ſed fidei & veritati nullo fundamento defenſa aduerſantur: mira profectò viciſſitudo? Ocham hæreticus & hîc & infrà proclamatur à Bzouio, veritates fidei defendens; aduerſarius eas impugnans fidei defenſor, & pro authoritate Sedis Apoſtolicæ diſſertator, proprij ſenſus ea eſt præſumptio, non ſincerum de veritate iudicium.

Sed vel in hoc tamen laudabilis eſt Dei circa Eccleſiam ſuam prouidentia, vt quantumuis ab irato Pontifice, & priuatæ ſententiæ amore iam poſſeſſo, nihil deciſum fuerit, quod veritati in hac quæſtione, aut Nicolai III. definitioni obſtaret, aut præfatæ determinationi (quæ eadem eſt) Capituli Peruſini, ſicut iam ſuperius aliquoties demonſtratum eſt. Reliqua verò, quæ diſtinctionem vſus, & dominij, ſtatúmque fratrum Minorum ſpectabant, tanquam extraneæ fidei quæſtiones, non modicas occaſiones miniſtrarunt, quibus ſine iniuria fidei vltio captaretur, Deóque id permittente contra ſuperiorum Pontificum declarationes multa non obſcurè in Franciſcanæ religionis exercitium, & impugnatio

pugnationem differerentur commotæ mentis probabili iudicio dicenda potius machinamenta, quàm monumenta *inuictæ conſtantiæ.* Quod ſi Bzouio magis placeat inuictæ conſtantiæ prædicare Ioannem, quia extrauag. *Ad conditorem*, editam contra Franciſcanos nequaquam antiquarit, non minores certè mihi videntur ſucceſſores Martinus V. & Eugenius IV. paci, & vnioni Eccleſiæ electi Pontifices, qui eandem ipſam antiquarunt; idem ipſum, de ſucceſſoribus fero, qui reuocationem antiquatæ extrauagantis ratam, propriis conſtitutionibus editis, habuerunt.

Eodem anno num. 12.

BZOV. *Quamquam pœnas, & cenſuras in contradictores grauiſſimas ſanxerit, plurimi tamen Franciſcanorum, freti authoritate Ludouici Bauari, mordicùs eam opinionem non tantùm opinati ſunt; verumetiam publicè aſſeruerunt, licèt quæſitores fidei poteſtate à Sede Apoſtolica conceſſa in conuictos legibus agere non prætermiſerint.* Hiſce annectit hanc marginalem notam: *Fratricellorum in hæreſi ſua defendenda obfirmata pertinacia.*

Nihil noui, prolegomena ſunt ſequentis clauſulæ eâ arte inuenta, quâ ſolet Bzouius argumenta confingere decretalibus Pontificiis. Inter Maſſagetas fortè recepti ſunt eiuſmodi ſolœciſmi, vt fidei veritas, & Pontificum determinatio vocetur hæreſis? apage ſalebroſum calamum. Franciſcanos hoc anno Ludouico adhæſiſſe, aut hæreſim docuiſſe calumnia tua eſt: docuerunt quidem Nicolai Pontificis deciſionem; fides eſt non hæreſis.

BZOV. *Per id enim temporis in peruigilio S. Michaëlis Maſſiliæ quatuor fratres Minores combuſti fuerunt propter hæreſim de paupertate*, &c. *Richardus*, inquit, *Cluniacenſis in Ioannem XXII.*

Richardus ſcilicet Cluniacenſis ſcripſit in Ioannem XXII. aut acta anni 1323. Vide lector, quibus teſtibus incedit Bzouius, dum capitalem in Franciſcanos format proceſſum. Richardus Cluniacenſis centum ſexaginta tres annos antea floruit ſub Frederico I. Ænobarbo, & Adriano IV. Pontific. ann. 1160. vt tradunt de ſcriptoribus Trithem. Gulielmus Eyſingrenius, Poſſeuinus, Sixtus Senenſis, Volaterranus, incendium tamen Maſſilienſe à longè proſpexit, ſed apud Bzouium. Accedamus tandem propius ne vereamur imaginariam flammam, veſtigium calami Bzouiani.

Hi ſcilicet quatuor ſunt illi plurimi Franciſcani, qui præcedenti clauſulâ opinionem de paupertate non tantùm opinati ſunt, ſed & publicè aſſeruerunt, freti authoritate Ludouici Bauari, & in quos Inquiſitores fidei legibus animaduerterunt; ita enim ſubſequentem priori clauſulæ annectit: *Per id enim temporis in peruigilio S. Michaëlis*, &c. Sed fortè ex Richardo ſuo Cluniacenſi fidem faciet Bauarum tum in Gallia,

Gallia, & Maſſiliæ quidpiam potuiſſe, vt eius ibi authoritati confidendum tum fuerit Franciſcanis?

Vlteriùs perſpiciamus quàm rectè incendium Franciſcanorum attexat ex ſuo Cluniacenſi. Quamquam Ioannes Pontifex pœnas & cenſuras grauiſſimas in contradictores decretalium, *Cum inter nonnullos*, & *Ad conditorem*, &c. ſanxerit; hi tamen plurimi quatuor Franciſcani eandem opinionem opinati ſunt, & publicè docuerunt, ac proinde in peruigilio S. Michaëlis ſunt hoc anno combuſti Marſiliæ. Summam narrationis habes.

Duplex peruigilium Sancti Michaëlis ex Kalendario didici, vnum apparitionis eius in monte Gargano Nónis Maij; aliud dedicationis 28. Septembris. Decretalis, *Cum inter nonnullos*, edita eſt 2. Idus Nouembris huius anni, vt habet correcta iuris impreſſio, & hoc ipſo loco Bzouius: Decretalis verò, *Ad conditorem*, 6. Idus Decembris eiuſdem anni. Sed quid inde ſequitur? nempe Franciſcanos contradixiſſe decretalibus antequam eſſent, cenſuras in contradictores latas priùs eos incurriſſe, quàm promulgarentur, pœnam ante edictum ligaſſe, combuſtos Franciſcanos ob hæreſim aſſertam in ea quæſtione, quæ liberæ opinioni vacauit, & quæ nondum definitioni ſubiecta eſt, antequam eam mox ſequenti Nouembri determinauit Ioannes extrauag. *Cum inter nonnullos*, &c. Has ſcilicet leges tribunal Bzouianum in Franciſcanos conſtituit, has tragœdias canit ex Cluniacenſi centum & amplius, ante id tempus, annis ſepulto.

Sed eſto comburantur illi quatuor ob aſſertam Nicolai Papæ decretalem, ſeu, quod idem eſt, Capituli Peruſini deciſionem, quæ ſola in Franciſcanis tum regnauit hæreſis, ſanè affirmo in veritatis defenſionem eos occubuiſſe, violentiam paſſos non pœnam. Multa id generis exempla poſſem adferre, quibus viri fideles, & innocentes inuidiæ ſuccubuerunt, de hæreſi aut alio crimine diffamati. Hinc decreta illa Sixti IV. Innocentij VIII. & aliorum quæ Dominicanis in Franciſcanos, aut è contra inquirere prohibent: extra præſentem autem materiam excurrendum non eſt. Ex ſuperiori nempe diſſertatione notum eſt qualis aduerſariorum animus in deciſionem Peruſinam, aſſertores eius cœcâ propenſione proclamantium hæreticos, qualis etiam ipſius Ioannis fuerit. Si enim Cardinalibus, & Prælatis ſine contumelia eam Auinione defendere non licuit, nemini mirum, ſi minus id conceſſum ſit ſimplicibus fratribus Maſſiliæ vnius aut alterius inde diei itinere diſtantibus. Habeas ergo Franciſcanos pro tuo voto combuſtos, ſed pro veritate; neque tum quidem primùm; lege monumenta tam noſtra, quàm aliorum, multa eiuſmodi Franciſcanorum reperies incendia.

BZOV. *Ea res cùm vehementer Ludouicum offenderet, Ioannem Ianduum, & Marſilium Paduanum aſtrologos, omniúmque opinione mortalium hæreticos ad ſe acciuit, quorum operâ in impugnando Ioanne Pontifice, & ſacris dogmatibus definiendis, tum verò Fratricellis defendendis vteretur*, &c. Maſſon. in annalib. Franc. lib. 3.

Fœcundior.

Fœcundior in alueo excurrit, quàm in ſuo fonte reſidet Maſſonius, verba eius ſunt: *Interim Ludouico Bauaro Romani Pontificis ſententiâ damnato, quod Vicecomitibus, Ioanni Guidoni, & Marſilio Paduano aſtrologis, iiſdémque mortalium opinione hæreticis fauebat*, &c. Hucuſque Maſſonius. Quantas autem ſub diſciplina Bzouiana creuerit, vel indicio eſt, quod nihil de incendio Franciſcanorum; nihil de offenſione ea ex cauſa Bauari; nihil de defenſione Fratricellorum per Iandunum, & Paduanum; de impugnatione Pontificis, aut dogmatum definiendorum nihil extra clauſtrum Bzouianum prædicet, hæreſim quidem Fratricellorum Iandunus & Paduanus profeſſi, nec tam Ioannem quàm vniuerſum clerum, & diuitias Eccleſiaſticas improbauerunt, quæ tamen ex aliis rectiùs narraſſet hiſtoricus quàm ex Maſſonio, qui nihil tale ſcripſit, accedit ex Rebdorſio, præfatos ad annum 1324. ad Ludouicum acceſſiſſe, nec conſtat accitos. Falſatio.

Anno 1324. num. 6.

Bzov. *Percuſſus eâ ſententiâ Ludouicus* (ſupple, in eum latâ à Ioanne) *cum ſibi aliquos Doctores mercede, & fauore conduxiſſet, non potuit ſibi à maledicentiæ œſtro temperare*, &c. *Vtque procacitatis, & intemperantiæ ſuæ perpetuum proſtaret monumentum, hoc anno ex fratris Michaëlis Ceſenatis, fratris Gulielmi Ochami, Ioannis Ianduni. & Marſilij Patauini ſenſu, & virulento calamo conceptam epiſtolam vulgauit*, &c. Poſtquam autem abrepta illius epiſtolæ, atque in ſuum ſenſum ex parte, vt ſolet, deprauata quædam ſegmina inæqualibus membris attexuiſſet, ſubiecit: *Hæc ex conſenſu fratrum quorumdam Minorum impiè conſcripta, cùm in vulgus ſparſiſſet*, &c.

Iandunum & Patauinum adhæſiſſe Ludouico author eſt Rebdorfius hoc anno: *Quorum*, inquit, *conſilio appellationem contra proceſſus Papæ interpoſuit, cui multos articulos inſeruit*, &c. nihil is, aut alius de Ochamo, aut Ceſænate: Bzouius proinde nullo authore ſtropham contexuit; experimentum nempe facturus, quo loco apud nos ipſe ſit, cui ne alios quidem referenti duximus fidendum: quanto primùm poſt hunc anno in Pontificem Ochamo, & Ceſænas prodierunt Auinione fugâ lapſi; ergo nec Ludouicus hoc anno virulentam epiſtolam concepit de eorum ſenſu, neque talem aliquam de eorum conſenſu ſparſit in vulgus; quàm porrò virulentus, ſi ita licèt, in Franciſcanos ſit Bzouius, ipſe teſtis eſt, qui Iandunum, & Patauinum Ochamo, & Ceſænati in fine detraxit, quos ipſo in principio maleficij fecit conſortes; callidè quidem, vt ſoli Franciſcani inuidiam facti ſubirent.

Anno 1325. num. 8.

Bzov. Poſtquam numero præcedenti expeditionem Regis Roberti contra Fredericum Trinacriæ enarraſſet, ſubiicit:

Omnibus his tumultibus faces ſubdebantur à paupertatis Chriſti, & Apoſtolorum indoctis, temerariis & errantibus Doctoribus; quod enim iſti maleſanis & contra Eccleſiam odio inflammatis, ſe perſuadere exiſtimarent Chriſtum, & Apoſtolos nihil in communi, neque in particulari peculio aliquid habuiſſe, facilè id à prophanis accipiebatur, quod id vnum præcipuè curarent, vt Eccleſiaſticis, & in primis Summo Pontifici omnia eriperent, &c.

Hæc quid ad nos? Franciſcanorum non fit mentio, nec eiuſmodi criminum rei fuêre. Cæterùm in eos excurrit aduerſarius, quos hactenus velut defenſores paupertatis hæreticos, & ſchiſmaticos traduxit Ochamum, & Ceſænatem: quàm porrò immeritò tribus ante tempus annis? quàm etiam iniquè hæreſis aguntur? nihil ſcripſerunt, niſi quod per Eccleſiam eſt aliàs determinatum, cuius illi definitionem ſequuti neſcio ſi tutè *indocti, temerarij & errantes Doctores* in hoc appellentur. Id ſanè mihi fixum eſt, Bzoui, eum, qui definitionem Pontificis, ab Eccleſia acceptam, à Concilio Generali, & ſucceſſoribus confirmatam erroris aut hæreſis proclamat, nihil à blaſphemo, & hæretico differre. Eccleſiæ definitionem editam decretali *Exiit.* confirmatam in Viennenſi Concilio & à multis Pontificibus Ceſænas, & Ocham propugnarunt: vtinam eâ, quâ par erat, modeſtiâ, & reſignatione: eandem tu te ipſa improbas (vtinam eâ modeſtiâ & ſynceritate quæ Chriſtianum, religioſum & hiſtoricum non dedeceant) aut certè hæreſes improbandas fingis quas ne ſomniarunt quidem illi, vt ſimulatæ improbitatis velut in ſcena productos, tibi liberum foret inſectari. Vnum adhuc reſtat, vt eâ arte, quâ hiſtoriam texis, & fingis hæreſes, mediteris impugnationem, ne lectorem capiant laruæ. Hoc nempe vnum ſcenæ deeſt, vt feriò te luſiſſe ferant.

Et quid te luſiſſe ferant, qui narrationem exponis, quæ nullâ veritate, vel authore ſubſiſtit? vt ab authore incipiam, is tibi ſolus eſt Richardus Cluniacenſis, cuius denuo manes iniuſtè vexas, fidem extorquens rerum, quas vidiſſe nequiuit centum & amplius annis morte præuentus. De veritate quid amplius quærendum? tumultibus Italiæ Franciſcanos ſubdidiſſe faces inſinuas, quas priori numero Frederico Trinacriæ in manus iam anteà incenſas tradidiſti; non modò Ochamum, & Ceſænatem furias eorundem tumultuum facis, ſcelerúmque incenſores, qui domi pacificè, & ſub Ioannis Pontificis debita obedientia hoc anno vixerint, ſed & principes Italiæ ab iiſdem ſeductos, hæreſi Ianduni, Patauini, & Fratricellorum infectos iniquè calumniaris. Ecce quot ſcribis aſſerta, tot ſcribis falſa. Si hæc ioco, acerbè ludis. Siue feriò, ſiue ioco, veritas exulat.

B z o v. *Quamobrem Ioannes Pontif. hoc anno cùm in temerarios paupertatis Chriſti aſſertores Inquiſitoribus poteſtatem feciſſet, ipſe primo ſabbato ieiunij quadrageſimalis Poſtillas quaſdam fratris Petri Ioannis Strinchy, Bitterenſ. diœceſ. Ordin. Minor. Profeſſoris, damnauit, ignibúſque deuouit*, &c. Richardus Cluniacenſis in Ioan. XXII.

Numero

Numero 10.

Scripſit Petrus Ioannis Poſtillas hæreſibus quàm plurimis refertas, in Euangelium Matthæi, in Epiſtolas Canonicas, & Apocalypſim D. Ioannis, &c. ſubiicit 22. hæreſes Begardorum velut à Petro Ioannis aſſertas authore Eymerico Dominicano 2. part. Directorij.

Quis ad eiuſmodi paradoxa non rideat potius, quàm ſuccenſeat authori. Anno 1199.num.39. refers ex Prateolo Petrum Ioannis,eâ tempeſtate ſecutum fuiſſe errores Ioachimi, eóſque ſcriptis in Apocalypſim, & Matthæum euulgatis docuiſſe, cùm nec tum fortè hæſerit in lumbis aui quadrageſimo octauo antequam lucem viderit anno, ante etiam conuerſionem B. P. noſtri Franciſci, cuius is longè poſt inſtitutum amplexus eſt. Eodem tu miraculo Richardum Cluniacenſem centum ab hinc annis mortuum, ſcriptorem habes ſententiæ latæ in Poſtillas eiuſdem Petri à Ioanne Pontifice ſabbato primo ieiunij quadrageſimalis, huius anni. Sed ad rem ipſam pergamus.

Non me latet ea, quæ Prateolus, Bernardus à Lutzemburgo, & ante eos Eymericus in Petrum Ioannis ſtatuerunt aliquâ famâ, & minus fundatâ relatione inniti; ipſis proinde authoribus id nequaquam adſcribo: adſcribo tamen minus diligenter veritatem in hoc inueſtigaſſe, ſicut in aliis pleriſque quæ hiſtoriam concernunt, & perſonas, ad quæ parum, vel pene nihil reſpexerunt, vt paſſim eſt reperire & rectè decreuit noſter Caſtro in Lutzemburgum, & Guidonem Carmelitam. Quia igitur Ordinis noſtri monumenta aliam Petri Ioannis nobis memoriam & melioris notæ reliquerunt, alium etiam eum fuiſſe conuincam ab eo, quem ex præfatis authoribus depingit Bzouius, vel eo potiſſimum, quod Ordinis noſtri, & perſonarum ſtatus, à domeſticis ſit petendus, non mutuandus ab externis,quibus ea nihil curæ fuerunt.

Petrum Ioannis hominem fuiſſe magnæ diſciplinæ,& rigoris tradunt authores infra citandi, nec minus etiam conſeruandi eiuſdem in aliis rigoris zelo, excitauit inimicos, quibus latior, quàm tutior via magis erat cordi. Hinc rixarum fons, & origo, aliis eum ſequentibus, aliis, vt ſolet, impugnantibus, illo interim priſtinæ obſeruantiæ, & conuerſationis nihil remittente, atque hinc inde ex variis opinionibus,familiares ſubortæ quæſtiones in apertam tandem ſimultatem, & falſas criminationes ſuccreuerunt. Tota controuerſia circa paupertatem regulæ Franciſcanæ, & arctum rerum vſum, tanquam in centro verſabatur. Accuſatus eſt Petrus de regula, & declarationibus Pontificiis malè ſenſiſſe, & docuiſſe. Anno 1283. ſubiecta ſunt eius ſcripta examini ſeptem Magiſtrorum Pariſienſium, per Generalem Bonagratiam, quorum ea cenſura fuit aliqua in eis eſſe ordini periculoſa, & malè ſonantia, nulla autem expreſsè hæretica. Ita Marianus lib. 3. cap. 6. examen hoc factum eſt ex mandato etiam Capituli Generalis, quod anno ſuperiori celebratum eſt Argentinæ. Cæterùm cùm Generalis Auinione in Conuentu fratrum ad vlteriorem illius doctrinæ inquiſitionem vellet progredi, Marcus Vlyſſipon. 1. part lib 5. cap. 23.

gredi, ſuperueniens Petrus cum omni ſatisfactione Generalis, aduerſariorum autem confuſione, & ignominiâ, reddidit plenam rationem eius, non ſine applauſu auditorum. Rem ad longum refert Marianus, de qua etiam Toſſignianenſis in Generalem Hieronymum Eſculanum his verbis.

Toſſignianenſ.

Hoc tempore, inquit, *frater Petrus Ioannis Oliui malè inſimulatus, aſſumpto hoc themate: ſpiritu oris ſui interficiet impium, coram Generali, & ſuis æmulis, tanto ſpiritu latè proſequutus, vt omnes ad ſui admirationem conuerterit: nam mirâ eloquentiâ retia æmulorum ſuorum, quaſi aranearum tela diſrupit, quia ſicut rubigo ferrum, ſic inuidia inuidos conſumit. Vnde cognouerunt omnes eum magno ſpiritu, & ingenij facultate pollere, & ſic euaſit magnâ cum laude, & virtutum præconio è manibus æmulorum ſuorum*, &c. hactenus ille, quæ tamen ſub Generali Bonagratia contigiſſe conſtat, Hieronymi ſucceſſore: quamquam & verum etiam ſit, quod ibidem his ſubiungitur nempe æmulos apud eundem Hieronymum aſſumptum ad Pontificatum, dictúmque Nicolaum IV. pro damnatione Petri fruſtra inſtitiſſe, quod affirmat Marianus lib. 3. cap. 3.

Cæterùm idem Petrus ſponte, velut profeſſæ humilitatis verus cultor, cenſuræ prædictorum Magiſtrorum ſubſcripſit, vt ſuprà citatus Marcus refert; Marianus verò approbationem propriis verbis tranſcripſit cap. 6. quæ talis eſt.

Ego Fr. Petrus Ioannis in verba Magiſtrorum noſtrorum quæ continentur in litteris ſeptem ſigillorum, qui ad requiſitionem Vener. P. Fr. Bonagratiæ, tunc Generalis Miniſtri, requiſiti per obedientiam reſponderunt: credo ipſos in verbis illis habuiſſe ſanum intellectum, & ſecundum ſanum intellectum quem credo illos habuiſſe in verbis illis, illa verba accepto, & recipio, & quidquid eis contrarium dixi, vel ſcripſi, vel docui reuoco. Si quis ſcire velit, quinam fuerint dicti cenſores, eos adiicio ex Mariano, ne quidquam narrationi deficiat, quod ad fidem, & diligentiam ſcriptoris, ſeu debitam ipſius rei obſeruationem requiratur. Ij fuerunt Fr. Draco Miniſter Franciæ, Fr. Ioannes Garau, Fr. Simon de Leuſi, Fr. Arlottus de Prato Prouinciæ Tuſciæ Sacræ Theologiæ Magiſtri, Fr. Richardus de Media Villa, Fr. Ægidius de Beſſa, & Fr. Ioannes de Murro Prouinciæ Marchiæ, Bacalaurei Pariſienſes, viri magni nominis, & ſcientiæ, quorum diligentiam, ingenium, & doctrinam præterire nequiuit, ſi quæ in ſcriptis Petri Ioannis latuerit hæreſis. Senſerunt tantùm in aliquibus periculoſam, & malè ſonantem, quæ nota euſque adhæſit, ſeu adhæſiſſe potuit donec vocatus author eiuſdem, ſuæ doctrinæ rationem præſens reddidit, & quæ obſcura, & ambigua erant adiectâ expoſitione, & fundamentis declarauit, vt ſuperius factum retulimus, & deinceps fuſius probabimus. Hæc contigerunt anno Domini 1283. poſt Capitulum Argentinenſe, quod ſuperiore anno habitum eſt.

Secundò, idem Petrus ex ſuggeſtione æmulorum & calumniis, vocatus eſt Pariſios ſub General. Arlotto ſucceſſore Bonagratiæ, eiúſque doctrina ſubiecta examini Doctorum Pariſienſium immunis, & ſine nota vlla irreprehenſibilis euaſit, de hoc Beatus Fr. Angelus de Cingulo in

in libello de ſeptem ordinis tribulationibus, tribulat. 5. & Marcus Vlyſſiponen. loco citato.

Tertiò tandem ſub Generali Raymundo Gaufredi accerſitus eſt ad Generalem conuentum totius Ordinis, qui celebratus eſt Pariſiis anno Domini 1292. ibique datâ ſatisfactione ab impoſitis calumniis ſe purgauit, vt eſt apud Antoninum 3. parte titul. 24. cap. 9. §.11. in Fratrem Raymundum, qui fuit præfectus ordinis 13. *In Capitulo.* inquit, *Pariſiis celebrato,*&c. *Fr. Petrus Oliui præſens fuit, in quæſtione, quæ verſabatur inter ipſum, & communitatem Ordinis, vtrum ſcilicet fratres ex profeſſione ſuæ regulæ obligentur ad pauperem vſum rerum, factâ autem diſtinctione de vſu paupere, idem Fr. Petrus adiunxit iſta verba: Ego Frater Petrus dico, & profiteor nos fratres non teneri ad aliquem vſum pauperem. nec ad aliquem modum viuendi, niſi tantum, quod dicit declaratio Nicolai Papæ III. & ſentit, & ſeruat, & intelligit communitas Ordinis profeſſorum; prædictorum contrarium nunquam ſenſi, nec dixi, & ſi aliquando (quod non credo) dixi, vel ſcripſi iſtis contrarium, ex nunc reuoco, deteſtor, & nolo quod ſtetur alicui meæ confeſſioni, & promitto bonâ fide. quod nulli aſſerenti contrarium huius meæ confeſſionis fauebo, vel adhærebo*, &c. Hæc Antoninus cui per omnia concordat Marianus lib. 3. cap. 11. Marcus 2. par. lib. 5. cap. 23. idem docet. Licèt autem hac ſua declaratione ſeu proteſtatione Fr. Petrus abſolui meruerit, à prætenſis aduerſus eum criminibus, vt nec ſchiſmatis, nec rebellionis authór fuerit: non defuerunt tamen deinceps (vt præfati Anton. & Marian. aliíque adnotarunt) eius doctrinæ vmbram aliquam ſectantes, qui ſub nomine diſcipulorum Petri Ioannis ſeditiones nonnullas excitarunt, defenſionémque euangelicæ, vt dicebant, paupertatis in libertatem traherent; quinimò plurium errorum prætenderent velamentum, quod cauſæ fuit, vt idem Petrus apud nonnullos communi famâ malè audiret velut erroris ipſius magiſter, id potiſſimum confirmantibus æmulis, cui nec in ſepulchro quietem conceſſerunt. Hunc autem vulgarem rumorem Eymericus, & alij, ſine vlteriori rei examine, aut probatione, velut fundatam hiſtoriam in monumenta retulerunt, eidem Petro Begardorum hæreſes, & fabuloſa commenta adſcribentes, quod non tam diuturnitate temporis, quàm negligentiâ poſteriorum, quandam præiudicatæ opinionis fidem hactenus apud aliquos poſſedit verius, quàm præſcripſit. Ex dictis ergò clarum eſt, ſi Petrus vllius contra fidem erroris conuictus haberetur, aut ſolùm ageretur probabili etiam ratione vtcunque reus, minus vigilanter actum fuiſſe à communitate, & Prælatis ordinis in Capitulo Pariſienſi, qui ex præmiſſa ſatisfactione, quæ paupertatis dumtaxat ſtatum, ſeu rerum vſum pauperem ex regula, & declaratione pontificia præſcriptam concernit, eundem abſoluerunt in gratiam, & communionem Ordinis recipientes, quod nullâ ratione de tantis viris eſt præſumēdum, vnde conuincitur eundem magis ex aliorum inuidiâ, & detractione, quàm vllius contra veritatem fidei profeſſi erroris culpâ laboraſſe. Non defuerunt enim, qui captatâ occaſione hominem accuſarent, nec defuerunt etiam iudices fidei, eiúſque vindicandæ zelo feruentiſſimi.

Petrus Ioannis ſiniſtrè audiuit, ſed immeritò.

Quartò quòd ſi verò quiſquam amplius reperiatur, qui malignæ præſumptionis calumniam ſuſtinere velit, totique ordini præiudicium inferre culpatæ negligentiæ,ſeu obiecti criminis affectatam,iniquámque diſſimulationem, appellamus ad ſacrum Vienneſe Concilium, in quo dicti Petri Ioannis poſt mortẽ doctrina eſt denuò accuſata,vt tradit Ant. loco cit. §.13. Marian.lib.4.c.4.Claren.trib.6.Marc.Vliſipon. l.5.c.24. ſalua tamen permanſit adſertore fratre Vbertino à Caſali; qui ſcriptâ Apologiâ eandem tutatus non ſemel,vt tradit Marcus,aduerſariorũ cœcam paſſionem notauit, quod multa contra veritatem ſuppoſuerint. Adiicio amplius ſolam illam, quæ eſt de inflictione vulneris lateralis Chriſti ante mortem, ex omnibus hæreſibus, quas Bzouius obiicit, condemnatam eſſe in Concilio: ſicut ergo ſilentium Concilij trahi nequit in conſenſum, negligentiam, aut diſſimulationem,tanquam reliquas inſtituto præteriiſſet:ita ab iis immunem fuiſſe Petrum Ioannis conſtat,cuius non leue argumentum eſt poſtea ſupplicatum fuiſſe Ioanni XXII. vt eandem doctrinam eius condemnaret (de qua re paulo inferius) vt quid enim Pontificis ſententia re iam tranſactâ, & determinatâ per anteceſſorem in pleno Concilio peteretur? quanquam inficias non eo, etiam quod per priores actum eſt per ſucceſſores confirmari. Id autem in causâ fidei citra aliud à priori examen & inquiſitionem contingit;nec ita tamen ſub Ioanne euenit, qui dictam doctrinam, quæ accuſabatur, examini plurium Magiſtrorum ſubiecit.

Anton. Marianus. Clarenus. Marcus.

Quinta ad hæc ratio eſt, quod doctrina eadem (authore Mariano & Marco Vlyſiponenſe) à Prælatis quidem ordinis prohibita ob fratrum diſſenſionem, reſtituta ſit à Sixto IV. tanquam bona, ſana, Catholica (verba ſunt Mariani) quia defectus à legentibus oriebatur, non ex doctrina: illi enim vel auerſi, vel nimium affecti ſuo appetitui magis, quàm ſenſui authoris inhærebant, non libero accedentes animo, propriúmque ſomnium ingerentes magis, quàm veritatem captantes ſententiæ, tantùm inter ſe altercabantur, quantum ſtudio, & voluntate alieni diffidebant. Nemo ergo dicat hæreticam doctrinam quæ à Pontifice reſtituta, atque in Concilio Generali prætermiſſa eſt. Omitto teſtimonia probatorum authorum in eius doctrinæ,& authoris commendationem adferre, id vnum ſufficiat hæreſis, & erroris præter fidem inuſtam notam obliteraſſe, ſcriptáque Petri Ioannis toties approbata permanſiſſe quoties examini ſubiecta ſunt, vſque ad Ioannem XXII. quinimo nihil per hunc in iis damnatum eſſe quod ex ſenſu,aut ſententia authoris eſt aſſertum, aut defenſum.

Vt hoc clarius fiat, explodo fidem eorum, qui omnes Poſtillas eiuſdem authoris vel examini ſubiectas, vel damnatas à Ioanne ſine fundamento aſſerunt, vt aſſerere videtur Bzouius cum ſuo Eymerico. Ocularem teſtem adhibeo confirmandæ veritati, Aluarum Pelagium Pœnitentiarium Ioannis, tunc præſentem: Is lib.2. de planctu Eccleſiæ cap.59. quid damnatum ſit & quomodo ſic exponit.

Non omnia Petri Ioannis opera prohibita.

Præterea, poſt publicationem dictæ conſtitutionis, Cùm inter nonnullos, idem Dominus Papa Ioannes de conſilio ſacri Collegij dominorum Cardinalium,

lium, in condemnatione, quam fecit, iuxta ſupplicationem ſibi factam pro parte Ordinis fratrum Minorum, de Poſtilla quam Fr. Petrus Ioannis ſuper Apocalypſim ſcripſit, habuit conſilium Magiſtrorum in ſacra pagina, quibus examinationem commiſit Apoſtillæ. Inter quos Magiſtros fuerunt Fr. Gregorius de Landinio Archiepiſcopus Viennenſis, & Petrus de Palude Ord. Prædicatorum, & multi alij Magiſtri ordinum, & ſtatuum. In quo conſilio per ipſos Magiſtros ſcripto ſub eorum ſigillis in forma publici inſtrumenti præfato Domino Papæ tradito, de articulo, quem dictus Petrus Ioannis ſcripſit in dicta Apoſtilla, cuius articuli tenor de verbo ad verbum talis eſt.

Ex quo per Romanæ Eccleſiæ authenticam teſtificationem conſtat regulam Minorum, per Beatum Franciſcum editam eſſe verè, & propriè illam euangelicam, quam Chriſtus in ſeipſo ſeruauit, & Apoſtolis impoſuit, & in Euangeliis conſcribi fecit: & nihilominus conſtet hoc per irrefragabilia teſtimonia librorum euangelicorum, & caterarum ſcripturarum ſanctarum, & per ſanctos expoſitores earum prout alibi eſt ſuperabundè monſtratum. Tenor articuli condemnati.

Dicti Magiſtri in ſacra pagina de hoc articulo ſuum dant iudicium in hæc verba: Si dictus Petrus Ioannis hæc verba accepit ſecundùm intellectum, & declarationem decreti, Exiit, *verum dicit. Si autem intellexit, ſicut ipſe alibi declarat, & ſui ſequaces aſſerunt, quod regula Beati Franciſci ſit verè & propriè idem & ipſum Euangelium Chriſti & è conuerſo, & quòd Papa non habet poteſtatem ſuper eam, ſicut nec ſuper Euangelium, vel quidquid eſt in regula Beati Franciſci totum Chriſtus ad literam ſeruauit, & Apoſtolis impoſuerit obſeruandum, hoc totum ſimpliciter reputamus hæreticum, ridiculum, & inſanum, nec illud probat per aliquod teſtimonium quod indicat. Hæc verba dicti conſilij ſiue iudicij Magiſtrorum prædictus Dominus Papa Ioannes recepit,* &c. Cenſura. Senſus damnatus.

Eia Bzoui, intermiſſo paululum Eymerico excipe Aluarum præſentem teſtem. is refert Poſtillas Petri ſuper Apocalypſim (ex quibus potiſſimum damnatæ Begardorum hæreſes, vt imponitur, hauriebantur) ob vnum dumtaxat articulum (qui ex ſententia decretalis *Exijt.* intellectus, verus aſſeritur) damnatas, nihil de aliis eius operibus. Quod verò ſenſum damnatum non tenuerit author, atque adeo quod contra ſuggeſtum eſt videtur ex iniqua informatione irrepſiſſe. Argumento in primis eſt quod nec alioquin doctrina eius à Pontifice reſtitueretur, nec toties cenſuræ expoſita caſtigationem euaderet maximè Concilij Generalis. Defenditur author à ſenſu damnato articuli quem nō aſſeruit.

Accedit ſecundò quod oppoſitum huius manifeſtè doceat in ea declaratione quam ſuper regulam edidit, ex qua intentio ipſius ex natura argumenti potius inueſtigatur, quàm ex aliis dictis (ſi quæ fuerint) quæ incidenter magis in peregrinam materiam, quàm ex inſtituto, aut neceſſitate ſunt illapſa. Audiamus ergo authorem ex inſtituto clarè & manifeſtè loquentem. ita ille ſuper his verbis, quæ in initio regulæ habentur: *Hæc eſt vita, & regula Fratrum Minorum ſeruare Euangelium Domini noſtri Ieſu Chriſti viuendo in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate.* Quæ verba pro definitione quadam regulæ exponens ſubiungit. Expoſitio Petri Ioan. ſuper reg. S. Franciſci ſenſum Catholicum tituli damnati amplectitur.

Si

Si verò quæras quomodo in hac deſinitione omnia præcepta, vel capitula regulæ continentur: aut quomodo omnia ſpectant ad Euangelium Christi, cùm de habendo vnum Generalem Miniſtrum, aut vnum Cardinalem protectorem, & correctorem, aut de dicendo officium Romanæ Eccleſiæ, vel de ieiunanda ſexta feria, & ſic de pluribus alijs nulla mentio fiat in Euangelio Chriſti. Dicendum quod omnia reducuntur ad Euangelium Chriſti, aut directè, aut quia conferant ad eius debitam, & regularem obſeruantiam, aut etiam quia ſunt quædam ſubdeterminationes, non oportuit Chriſtum per ſe tunc exponere. ſed partim per ſpiritum ſanctum, partim per ſuos Miniſtros debuerunt ſuis temporibus tradi, &c.

Ecce ſenſum authoris, & quidem tam catholicum, quàm clarum, eſtque omnium communis ſententia: eadem porrò ratione omnis lex deriuatur à lege æterna, 1. 2. quæſt. 93. art. 3. & 6. lex humana à lege naturali, quæſt. 95. art. 2. eodem modo in duobus præceptis charitatis tota lex pendet & Prophetæ, quia reliqua ſunt media ad finem eius conſeruandum. Lex verus & noua eſt eadem ſi finis, qui idem vtriuſque eſt, ſpectetur, non verò propinquitas, vel diſtantia, quæſt. 108. art. 1. Item noua lex continetur in veteri virtute, ſicut ſpecies in genere, arbor in ſemine, fructus in ſpica, art. 3. eodem ergo modo regula B. Franciſci continetur in Euangelio, non quod eadem omnino ſint, ſed quia nihil continet regula niſi quod obſeruantiam conſiliorum euangelicorum, atque præcipuarum virtutum paupertatis, obedientiæ, & caſtitatis præſcribat, vel ad eandem remotis impedimentis faciat, atque ex motiuis dictarum virtutum præcipiatur. Sic ergo directè, aut indirectè reducitur ad euangelium, ſeu euangelicam vitam Chriſti & Apoſtolorum, quam in tribus illis virtutibus conſiſtere docuit ibidem Petrus Ioannis differens de regula Franciſcana, quod de omni alia, ab Eccleſia approbata dici cum veritate poteſt: omnes enim vel conſiliorum euangelicorum obſeruantiam, vel ad eadem congrua diſponunt media, & præſcribunt. Habetur hæc declaratio Petri Ioannis in libro, qui Monumenta ordinis inſcribitur, ex qua ad propoſitum plura authoris defenſioni liceret tranſcribere: non lubet tamen in re manifeſtà, vlterius, quàm par eſt, extendere calamum.

D. Thom.

Monumenta ordinis.

Eodem numero 10.

BZOV. *Cæterùm quod is ipſe hæreſiarcha, & reliqui, qui ſe ſpirituales appellant, affirmarent magis ſe fructificare inter Græcos, Saracenos, & Tartaros, quàm inter Latinos, ideò Ioannes Pontifex anathemate hoc anno publicè pronuntiato omnes damnauit quicumque ſine facultate, & mandato ſui ordinis prædicare præſumerent in terris Saracenorum, illorum, & ſchiſmaticorum.* Ea ipſa eſt conſtitutio quam ſubiungo ex lib. 3. extr. tit. de regularibus.

Sagax ingenium iam leporem excitat, vbi non quieſcit. Percurre obſecro lector vel ſemel decretalem, & vide ſi quod tale exprimat motiuum:

motiuum : nempe Petrum Ioannis , & ſequaces hoc vel illud dixiſſe, de quibus nulla eſt mentio in totâ conſtitutione : mortuus eſt Petrus Ioannis viginti octo annis ante editam conſtitutionem , quæ vniuerſalis eſt , nullâ ſpeciali clauſulâ ad Franciſcanos præ cæteris regularibus extenſa.

B Z O V. *Cæterùm quod is ipſe hæreſiarcha*, &c.

Iniuriam remitto, errorem non excuſo,quem ex noſtris monumentis opportunè poſſes corrigere. Si hæreſim non docuit, quomodo hæreſiarcha nouarum ſcilicet inuentor , aut veterum reſtaurator ? Demus erraſſe, ſine pertinacia ſanè : potuit nimirum ignorantiâ laboraſſe, idque ſine macula hæretici, aut hæreſiarchæ. Vniuerſæ diſſertationi noſtræ finem adiiciet confeſſio : quam is coram fratribus habuit, mortem iam præſentem , & iudicem expectans , vbi veritas maximè panditur, nihilque quod præiudicium inferat illius nouiſſimi temporis conſideratio reſeruari permittit. Hanc confeſſionem inſinuat ex parte Marcus Vlyſiponenſ. dicens eum tum ſubieciſſe ſua ſcripta ſanctæ Matris Eccleſiæ correctioni, in cuius fide, & obedientiâ vitam finire voluit. Eam de verbo ad verbum inſerit Marianus lib. 3. cap. 13. *Eximius*, inquit, *Doctor Fr. Petrus Ioannis Oliui de caſtro ſanctæ Mariæ de Reſignano*,&c. *migrauit ad Dominum anno* 1297. &c. *qui poſt ſacram vnctionem ſuſceptam dixit coram fratribus ſibi aſtantibus totam, & omnem ſuam ſcientiam ſe recepiſſe à Deo , & Pariſiis hora 3. ſe fuiſſe illuminatum à Domino Ieſu Chriſto, inſuper ſubiunxit ſequentes confeſſiones dicens*, &c. *Confiteor etiam me ſolis ſcripturis ſacris, & ſoli fidei Catholicæ , & Romanæ Eccleſiæ , cuius nunc gubernator eſt Bonifacius Papa, adhærere ex fide , & ſicut veræ fidei: nulli autem opinioni humanæ meæ , ſeu alterius quantumcumque magni Doctoris adhæreo ex fide , ſeu tanquam fidei , nec adhæſi , nec adhærebo niſi prius ſolidè, & fideliter mihi oſtenderetur , quod ipſum eſſet de fide Romanæ Eccleſiæ. Illi igitur. ſicut prædixi adhæreo, tanquam fidei veræ : Diabolicum autem eſſe dico alicui humanæ opinioni tanquam ex fide immobiliter adhærere. Confiteor etiam, quòd nulli determinanti hoc, vel illud eſſe de ſubſtantia fidei noſtræ , teneor neceſſario aſſentire niſi ſoli Romano Pontifici , aut Concilio generali , niſi in quantum ratio , vel authoritas ſcripturæ ſacræ,vel fidei Catholicæ per ſeipſam me cogit. Fateor tamen Theologorum ſententias reuerendas eſſe , niſi vbi apertè contra fidem, vel veritatem aliquid continerent* &c. *poſt prælibatam igitur confeſſionem ad Dominum ex hoc ſeculo migrauit , ſepultuſque fuit in conuentu Narbonenſi* , &c. Confeſſio Petri Ioan. Marianus.

Aduerte Bzoui hanc fidei profeſſionem ab omni maculâ hæreſeos eximere authorem , ſi aliquin humanâ fragilitate in doctrina errores quoſpiam admiſiſſet , eius rei exemplum habemus cap. damnamus. de ſum. Trinit. & fide catholica , quod eſt Concilij Lateranenſis , in qua Ioachim Abbas abſoluitur, eò quòd datâ epiſtolâ fidem Eccleſiæ Romanæ ſit profeſſus. Quod amplius declarat Honorius III. anno 1. ſui Pontificatus ſcriptâ epiſtolâ ad Epiſcopum Lucanæ, quam videre eſt apud Poſſeuinum in Apparatu, verbo *Ioachim*.

Eodem Anno num. 10.

B z o v. *Diſſeminatio eorum errorum cauſam dederat Ioanni Pontifici, vt etiam per idem tempus datis 8. Idus Iulij literis Generali Prædicatorum inhibuerit ne quem ne Prouincialatu Terræ ſanctæ præſidem abſque Sedis Apoſtolicæ ſcientiâ præficeret, quanquam non in ea tantum Prouincia, ſed & in aliis Orientalibus inter Saracenos, & ſchiſmaticos ſtrenuam hactenus operam Fratres Prædicatores nauaſſent, in cultu dæmonum eliminando, in profanis ritibus extinguendis, & in erroribus teterrimis extirpandis*, &c.

Abundè profectò, vt ſoles, nec inuideo per tui inſtituti decora excurris, vt ad certam periodum reſpirare profuſa verborum copia non permittat; quanquam hæc vna mihi certius perpendenti ſuperfluæ laudis occurrat periodus, eáque ſola, vt Minoritæ, quos hæreſibus, aliiſque ignominiis artifex calamus hactenus obduxit, ne dicam ignominioſe conſpurcauit, obiecto tanto familiæ tuæ ſplendore, horreant, vileſcant, & obſcuræ huius impreſſionis forma contemptibiles, ſeditioſi, hæretici, ſchiſmatici, ſubuerſioni animarum nati, omnium ſenſu, & exiſtimatione procul exulent. Nempe artis eſt ex documento pingere, & contraria iuxta ſe ponere, vt magis luceant: imperitiæ tamen eſt cenſere Dominicano Franciſcanum eſſe contrarium, quos ſancti fundatores, & ipſa charitas vult eſſe fratres; nequitiæ eſt laudem alterius ignominiâ mercari, turpitudinis verò ignominiam ipſam inuerecundo commento adinuenire, quo innocentum fama periclitetur. Hactenus Franciſcani in Petro Ioannis, Ochamo, Ceſænate, & aliis nonnullis condemnati ſunt: ſed nec hoc ſufficit, niſi quidquid aut communiter omnibus regularibus inſtitutis, aut ſpeciatim Dominicano inhibitum ſit, ex peccato alicuius Franciſcani inhibeatur, vt ſicut in prouerbio eſt, *Africa ſemper aliquid noui*, quæuis Bzouianæ hiſtoriæ pagella nouum quoddam, & tetrius Franciſcanæ improbitatis monſtrum fingat, aut fictum omnium terrori exhibeat.

Verùm quia merâ ingenij tui diuinatione crimẽ obiicis nullo probatũ authore, teſtimonio, aut indiciis, ſat erit admonere, apud Pontificem eam fuiſſe poteſtatem, vt prohibere potuerit inſtitutionem Prouincialis Terræ ſanctæ, ſine ſuo conſenſu fieri, idque variis & legitimis rationibus citra vllius Franciſcani culpam. Quod ſi culpa alicuius fuit, non eam Franciſcani ſed Dominicani fuiſſe oportet, cùm alter in alterius culpa rarò vapulet. Quis porrò ſcopus prohibitionis niſi inde periculum aliquod videretur, aut certè timeretur, cui inhibitionis remedio fuit proſpiciendum? Si autem coniecturâ agere lubet, affirmo poſſibile eſſe ipſius Generalis ſeu veram, ſeu iniuſtè præſumptam culpam inhibitioni locum dediſſe: Author porrò eſt Pr. Hernandus de Caſtillo 2. parte hiſtoriæ Dominicanæ cap. 46. de electione agens huius Generalis Fratris Barnabæ de Vercellis, quæ contigit anno 1324. author, inquam, eſt dictum Generalem inuiſum fuiſſe Pontifici, qui iniquis

Chronicon Dominicanum.

ſugge

ſuggeſtionibus ductus eundem variè, & adeo perſecutus, vt plurimum ex hoc authoritatis, ad ſui muneris functiones obeundas requiſitæ, fuerit ſubtractum: Quinimò, vt refert infra cap. 48. hæc auerſio eouſque proceſſit,vt eidem Pontifex totâ interdixerit Italiâ. Quid ergo mirum, ſi etiam ex hoc, vel alia cauſa ſupradictum inhiberet, ſicut etiam inhibuit ex eadem,ni fallor, cauſa Lombardiæ Inquiſitorem abſque conſenſu ſuo inſtituere? Quid ſi dicamus interueniſſe fortè veterem cauſam Fratris Iſnardi prædicatorij Ordinis, & Patriarchæ olim Antiochiæ quem depoſitum quondam, aliiſque cenſuris Eccleſiaſticis damnatum refert Bzouius ibidem num. 12. Quod ſi ad ſolos religioſos inter infideles peregrinantes culpam hanc torquere voluerimus, non defuit etiam Ordinis Dominicani ſocietas peregrinantium *inter gentes* dicta,quorum peregrinationis nullus erat limes: de qua Bzouius num. eodem, ſub horum inſtituto latuiſſe potuerunt etiam peruerſi,& libertatis amantes, qui non tam huic quàm ſuperiori conſtitutioni cauſam ex parte dediſſe potuerunt. Sed nihil in re incerta affirmo, præter id, quod clarum eſt, nempe obiectam calumniam omni carere veriſimilitudine.

Eodem anno numero 17.

BZOV. *Voce & ſcriptis pugnacem* (ſupple, Bauarum) *Fraterculi adiuuabant,qui diuitias Eccleſiaſticas fando ſcribendóque damnabant, purpuram, opes, dominatum à religione aliena eſſe prædicabant, Chriſtum Dominum, Deúmque nihil in terris,quod ſuum diceret, habuiſſe; Apoſtolos quà Saluatorem Chriſtum paupertate vixiſſe, non exemplum modò,ſed & legem eandem ſucceſſoribus datam: ius ſacerdotibus nullum eſſe facultatum potiundarum. Hanc ſententiam Ioannes poſt cùm impiam cenſuiſſet,damnaſſétque, illi veſani Pontificem impiâ hæreſi laborare mentiebantur,quaſi is illud,quod Chriſtus Dominus Deúſque ſanxiſſet ipſe impietatis damnaret. Eo cōtumaciæ deuenêre,atque erroris, vt Ioannem, Pontificem eſſe negarent, ac veluti ſolio pontificio vacuo creandum nouum Pontificem contenderent. Gulielmus Occamus Theologus Minor cùm Auguſtorum iura tutaretur,in Ioannem Pontificem monumenta edidit atrocia, maledictis,conuitiis, & falſis criminationibus referta*, &c. his adiecta eſt nota in margine talis: *Fratricelli hæretici Ioannem Papam ſcriptis, & armis oppugnant.* Æmilius lib.8.

Quanquam ad hæc reſponſio magis quam in promptu fuerit, explorare tamen volui fidem Bzouij; eandem profectò, quam hactenus,experior, vt re ipſa confiretur, ſi legatur Æmilius, ab eo, qui apud Bzouium tranſcriptus eſt, alius, non vitio amanuenſis, ſed falſarij. id lectoris induſtriæ examinandum committo. Cæterùm vt in vno errore omnes comprehendamus; id ſeu riſu, ſeu admiratione dignum eſt, quomodo ea quæ ad vniuerſum ſæculum refert Æmilius (hiſtoriam ſcribens, non Annales) diuerſiſque temporibus, & annis contigerunt in vnum cōgerat iſte;& quod inſulſius eſt Æmilio præcone.*Sæculum illud,*

inquit Æmilius, *Anno* 1325. inquit Bzouius, quo nihil eorum, quæ narrantur, contigerunt. Quia nec Bauarus hoc anno Italiam aggreſſus eſt, aut arma in eam parauit, nec fraterculi, quos intendit Bzouius, nempe Cæſenas, & Ocham, eidem hoc anno adhæſerunt, nec Ochamus iura Auguſtorum tutatus hoc anno, nec Ludouicus Mediolani, aut Romæ coronatus hoc anno, nec fraterculi à Ioanne damnati, nec Carolus Rex Galliæ, vt ſubiungit contra fidem Æmilij, mortuus hoc anno, nec denique hoc anno quidquam euenit eorum, quæ narrat Æmilius.

BZOV. *Voce & ſcriptis pugnacem* (ſupple, Bauarum) *fraterculi adiuuabant*, &c.

Nihil tale Æmilius. *Sæculum illud*, inquit, *literaturâ floruit: erant & illis viri verè ſancti. Erant qui dum cæteros anteire improuidè contendunt, nec modum faciunt, noſcuntve, impij euaſere. Erant de quorum moribus, & conſilio anceps ſit coniectura. Sanctis mala temporum dolori erant: taciti mærebant: ij verò, qui fraterculi vocabantur, diuitias Eccleſiaſticas fando, ſcribendóque damnabant*, &c. quid hîc de adiumento pugnæ Bauari?

Deinde fraterculi quos intendit Æmilius longè alij ſunt ab iis, quos perſtringit Bzouius. Hic Ceſænatem, & Ochamum intelligit, quos annis etiam ſequentibus appellat anteſignanos Fratricellorum. Ille verò intendit huius nominis hæreticos, qui ſic dicebantur, & hæreſes præſcriptas docuerunt, quas nunquam docuit Ocham, aut Cæſenas. Quid enim vnquam illi de ea lege, quæ ius potiendarum facultatum ſacerdotibus adimeret? aut quod dominatio, opes, purpura aliena eſſent à religione? aut quod Chriſtus nihil vnquam, quod ſuum diceret, habuerit in terris, cuius contrarium ex Nicolai Pontificis ſententia dedo, quam ſuper eâ re Peruſij habuerunt, expreſsè ſupponit. Conſulantur etiam obiectiones eorundem ad extrauagantes Ioannis, quarum nulla in vniuerſum quidquam tale ſonat. Videatur ſententia in eos lata, ſi vllam dictarum hæreſum eis in ſpecie condemnationem intentat. Quidni horum fidem ex ipſo adſtruamus Æmilio? is porrò æquus ſuæ narrationis interpres, nullam Ochamo hæreſim adſcribit, ediditſſe tantum ferens monumenta atrocia in Pontificem, eum maledictis & criminibus lacerantem; eundem impiæ hæreſis coarguentem *vero ne*, inquit, *an eo quoque falſo crimine*? intemperantiæ ergo ſolius Ochamum damnat: fraterculos verò impietatis, & hæreſis, qui ergo confundere nolit membra ipſius narrationis contra fidem, & intentionem authoris, fateri cogitur inter fraterculos nequaquam computari Ochamum. Si verò alios præter eum Franciſcanos intenderit Bzouius, alios item præter Franciſcanos intendit Æmilius; alius proinde Bzouio quærendus eſt author præter Æmilium.

Anno

Anno 1326. num. 1.

Bzov. *Addebat*, (ſupple, Bauarus in comitiis Imperij) *& falſas in Ioannem, & Pontificios criminationes, & à maleuolentibus præcipue fraterculis confictas, quarum commemoratione non paucos Germanorum in ſuam ſententiam pertraxit, vt auderent excommunicato adhærere*, &c.

Mutius ait motos Germanos ex legatione frequenti Italorum, & maximè Romanorum, reliqui Nauclerus, Villanus, Rebdorfius citati à Bzouio nihil de criminatione, aut confictione à Fratricellis ſuppoſita, ſicut nec Mutius. Videat ergo Bzouius, ſi hoc eſt fingere. Deinde ſi de Franciſcanis hanc texit narrationem, tam falſa eſt, quàm quod hoc anno adhæſerint Ludouico, vt frequentius adnotauimus, & inſuper authore Bzouio ſequentibus annis erit clarum.

Anno 1327. num. 15.

Bzov. *Fratricellorum anteſignani Michaël Ceſenas, Gulielmus Ocham, & reliqui, omnia miſcebant: eos ad dicendam cauſam Auinionem euocatos, cum ad diem deſignatam Ioannes Pontifex fruſtra expectaſſet, contumaces, & meritò anathemate plectendos renunciauit. Tum deinde Michaëlem Generalem Ordinis Minorum Miniſtrum magiſtratu ſupremo, & reliquis honoribus, ac dignitatibus indignum duxit, ac ſummam eius Ordinis adminiſtrationem Bertrando Cardinali Legato, datâ ad eum epiſtola* 189. *commiſit, qui conuocato Bononiam Patrum eiuſdem inſtituti Capitulo Generali Michaëlem Ceſanatem gradu, & officio motum denunciaret, & alium Generalem Miniſtrum ex ſuffragio communi eidem Ordini ſanctiſſimo præficeret*, &c. Manuſcript. Bibl. Vatican. num. 4008. de rebus Fratricellorum.

Neſcio cuius fidei eſt author manuſcripti Vaticani, quoad hæc à te ſcripta falſus eſt, & errat quoad ſingula aſſerta, ſi tamen eius ſint. Id apparebit ex decurſu noſtræ diſſertationis, pergamus a prima clauſula.

Bzov. *Fratricellorum anteſignani Michaël Ceſenas, Gulielmus Ocham, & reliqui omnia miſcebant*, &c.

Ceſænatem & Ochamum in ſua deciſione Peruſina non modò fideles extitiſſe, ſed Eccleſiæ totius definitæ, & receptæ ſententiæ per omnia adhæſiſſe iam ſæpè eſt probatum. Quomodo ergo Fratricelli, aut eorum anteſignani? Si in doctrinam hæc torquetur nota, cum ea ſit perpetuum Eccleſiæ dogma, hæreſis, & blaſphemiæ ſpiritum ſapit; ſi in perſonas, malignè conficta eſt ſui authoris dedecore calumnia. Sed amplius demus Ceſænatem, & Ochamum perperam de paupertate ſentiſſe, & docuiſſe. An precor vnus is error Fratricellorum extitit? huius

enim ſectæ plures alij fuere, inter quos is etiam fuit, qui Ioanni XXII. tribuitur de viſione animarum. Dic ergo ſi quis de viſione animarum conſenſerit Fratricellis, an ideo ſtatim dicendus eſt Fratricellus, niſi reliquas eius ſectæ blaſphemias profeſſus, totum ſe corpori integrâ, & mutuâ cum membris commixtione inſerat? An quia paupertatis votum quis emiſit Dominicanum tu continuò inclamabis, quia id vouere huic inſtituto eſt familiare? Qui ſic diſcurrunt, ſe neſcire fatentur, quid ad corporis myſtici communionem requiratur. Non ergo Fratricellus eſt, qui vnam eius ſectæ hæreſim admittit, ſicut nec catholicus, qui aliquem vnum fidei articulum in reliquis diſcrepans profitetur, in communibus enim nemo huius, aut illius inſtituti diſcretus ab aliis efficitur, nec in hoc, aut illo etiam particulari, niſi ad integram totius ſtatus profeſſionem, ac differentiam à cæteris contineat. Antiqua ea fuit de paupertate hæreſis, reſtaurata, non inuenta per Fratricellos. Demus ergò lapſum, quanam ratione Ceſænas ex communi dogmate potius erit Fratricellus, quàm Albigenſis, aut Apoſtolicus? & quod amplius eſt, velim à te ſcire, quanam ratione Fratricellorum anteſignanus? Eâ nempe ratione, quâ annis ab hinc ſeptem antequam controuerſia de paupertate Chriſti moueretur. *Fratrem Michaelem Ceſanatem Generalem Miniſtrum & nonnullos ignaros ex Ordine Minorum, Begardorum, & Fratricellorum hæreſim profeſſos* ſtatuis, *voce & ſcripto enunciantes Pontificem locupletem ſectatorem Chriſti egentis non videri.* In quorum fidem promittis epiſtolas Ioannis annis ſequentibus ſubiungere, quod nuſquam præſtiriſti, nec præſtare licuit ſine impoſtura; quâ etiam ratione eorundem errores damnatos, & ſingularitatem notatam aſſeris, per eam conſtitutionem quam Ioannes edidit in declarationem regulæ Franciſcanæ atque ipſius quidem Michaëlis interuentu, & quæ ad fidei veritates, aut damnationem cuiuſcũque hæreſis nihil ſpectat, peſſimam item hæreſim de Chriſti, & Apoſtolorum paupertate concepiſſe, de paupertate Chriſti, & Apoſtolorum nimis contentiosè anno ab hinc quinto cum Summo Antiſtite Ioanne diſceptaſſe, ſcriptis non minùs procaciſſimis, quàm erroneis famam eius violaſſe; fugam Gulielmi Ochami ſuſtinuiſſe, ad Ludouicum Bauarum odio Pontificis æſtuantem, quo oleum camino inflammato affunderet. Eundem anathemate annis ab hinc quatuor percuſſum, à Ludouico ſiue mercede conductum, ſiue in tutelam receptum multas in Ioannem tum calumnias ſparſiſſe: in epiſtolam, *Ad conditorem*, ſtylum acuiſſe Franciſcanos, quatur annis antequam huius argumenti quidpiam publici iuris feciſſent; Quatuor Franciſcanos incendio traditos ab Inquiſitoribus ob impugnatam eandem conſtitutionem aliquot menſibus antequàm ederetur, aut promulgaretur. Annis item ab hinc tribus Michaëlem, & Ochamum Ludouico Imperatori in Germania adhæſiſſe, atque epiſtolam contra Ioannẽ Pontificem ab eodem vulgatam virulento dictorum calamo fuiſſe conceptam. Italiæ bellis & tumultibus annis ab hinc duobus, ſubdidiſſe faces; indoctos, & temerarios, & errantes doctores, odio contra Eccleſiam inflammatis perſuaſiſſe Chriſtum, & Apoſtolos nihil in commune, aut in particulari

Redarguitur aduerſarius de variis celumniis. Anno 1321. num. 7.

Ibid. n. 8.

1323. n. 10.

1321. n. 8.

lari peculio habuiſſe, vt Eccleſiaſticis & in primis Summo Pontifici omnia eriperent. Vt igitur abſoluam non mirum ſi eadem fide, & libertate, quâ hactenus Ceſænatem inſectatus es, eundem modò anteſignanum Fratricellorum conſtituas, & omnia quidem eum miſcentem dum Tibure lecto fixus, & infirmus decubuerit. Nihil porrò minus in tot ſcelerum authorem ſtatuere, aut de eo præſumere licet; nempe Euphorbus quiſpiam tibi eſt Ceſænas, & Franciſcani, in omnes narrationis tuæ formas idonei, vt dum aliud ſcribendum non ſuppetit, nunquam inuentum de Franciſcano aliquo deſit dignum ſcenâ commentum.

B Z O V. *Eos ad dicendum cauſam Auinionem euocatos cùm ad diem deſignatam Ioannes Pontifex fruſtra expectaſſet, contumaces & meritò anathemate plectendos renunciauit*, &c.

Multum ſcilicet per omnem modum præſtitit Ioannes, & rarum Eccleſiaſticæ diſciplinæ exemplum, ſi euocatos ad dicendam cauſam, fruſtra expectatos, & contumaces *renunciauit* tantum, *meritò plectendos anathemate*, neſcio ſi elegantiam locutionis eiuſmodi dicendi formula capter ſtylum, certè curiæ aut Canonum non eſt aſſecuta. Sed ad hiſtoriam redeo, eam Mariani verbis deſcribo.

Anno, inquit, *Domini 1327. de menſe Iunij per ſuas litteras ſpeciales Dominus Papa Ioannes vocauit fratrem Michaëlem Generalem Miniſtrum, mandans eidem in virtute obedientiæ, vt infra menſem ſe ſuo conſpectui perſonaliter præſentaret, & hoc vt dicebat, propter aliqua negotia ordinem noſtrum contingentia. Quas litteras ipſe Generalis Miniſter recepit infirmus exiſtens in Conuentu Tiburtino Prouinciæ Romæ. Sed quia propter dictam infirmitatem non poterat in dicto termino comparere, vnum premiſit curſorem cum litteris excuſatoriis Domino Papæ, ſignificans, vt eum haberet excuſatum, quia propter infirmitatem, eius mandatum non poterat in dicto termino adimplere. De menſe verò Iulij ſequentis miſit ad eundem Dominum Papam fratrem Ioannem Fidantiæ Inquiſitorem, & fratrem Humilem Cuſtodem Peruſinum, vt eum per omnia de dicto adimplendo termino excuſarent. Dominus autem Papa, auditâ infirmitate Generalis, ipſum habuit excuſatum, & ſuper hoc per dictos fratres eidem Generali litteras ſuæ acceptationis reſcripſit. Interim verò aliquantulum reaſſumens Generalis valetudinem, cæpit verſus Auinionem dirigere greſſus. Quo peruenit prima die Decembris anni prætaxati, & in craſtino ſe Domino Papæ præſentauit, à quo fuit benignè, gratiosè, & curialiter receptus. Sequenti vero die cùm Generalis exiſteret in Curia cum Domino Papa, ipſe Pontifex cum eo de his, pro quibus eum ad Curiam vocauerat, locutus eſt, aſſerens quod hoc erat, quia intellexerat, quod aliquæ Prouinciæ dicti Ordinis per prauum regimen Miniſtrorum detrimenta, & pericula patiebantur grauia, quodque ipſe non imputabat, nec imputandum credebat eidem, pro eo quod ipſe Generalis Miniſter non habebat poteſtatem per ſe prouidendi Prouinciis de Miniſtris, & ſibi ſpecificauit, & expreſſit Prouinciam* Marianus.

Sancti Franciſci, & Aragoniæ. Vnde Dominus Papa volens dictis Prouinciis remedium adhibere, mandauit, & commiſit eidem Generali, quod Miniſtros ipſarum Prouinciarum abſolueret, & quod eiſdem Prouinciis de Miniſtris idoneis, & ſufficientibus prouideret, & ita de voluntate Domini Papæ ex tunc in Curia remanſit, vſque ad diem nonum menſis Aprilis proximè ſequentis. In dictis autem Prouinciis abſolutis eorum Miniſtris, conſtituit in Prouincia Sancti Franciſci fratrem Petrum de Prato Prouinciæ Tuſciæ, in Prouincialem Miniſtrum: in Prouincia vero Aragoniæ fratrem N. &c. hucuſque Marianus, conſentit Marcus Vlyſiponenſ. 2. art. lib. 8. cap. 13. ſummariè de his rebus agens, quas in annum refert ſequentem, & malè, hoc enim anno euenerunt.

Ex dictis ergo concludo euocatum Ceſænatem, pro regimine ordinis, non pro dicenda cauſa, comparuiſſe quàm primum per valetudinem licuit; non proinde fruſtra expectatum, aut contumacem, aut vllo anathemate dignum fuiſſe renunciatum, cui Pontifex ſuam conceſſit authoritatem, vt, quod aliàs conſuetâ nequiuit poteſtate, Miniſtros quoſdam malè geſtæ functionis reos, aliis ſubſtitutis, officio abſolueret.

BZOV. *Tum deinde Michaelem Generalem Ordinis Minorum Miniſtrum magiſtratu ſupremo, & reliquis honoribus, ac dignitatibus indignum duxit, ac ſummum eius Ordinis adminiſtrationem Bertrando Cardinali Legato, datâ ad eum epiſtolâ 189. commiſit, qui conuocato communiam Patrum eiuſdem inſtituti Capitulo Generali, Michaelem Ceſenatem gradu, & officio motum denunciaret, & alium Generalem Miniſtrum ex ſuffragio communi eidem Ordini ſanctiſſimo præficeret*, &c.

Horum fidem deſtruxit epiſtola Pontificis anno ſequenti data ad fratres Ordinis conuenientes ad Capitulum Generale Bononiæ; huius autem eſt tenoris.

V.

IOANNES EPISCOPVS, SERVVS ſeruorum Dei; Dilectis filiis Præſidentibus, & aliis fratribus Ordinis Minorum in Generali eiuſdem Ordinis Capitulo, &c.

CVm ex eo quod dilecti filij Michaelis veſtri Ordinis Generalis nobis exiſtat præſentia pro certis negociis opportuna, idem Miniſter Generali prædicti Ordinis Capitulo Bononiæ inſtâte feſto Pentecoſtes dante Deo celebrando, perſonaliter nequeat intereſſe, nóſque intenſis deſideriis affectemus dictum Capitulum ad Dei laudem, ac Eccleſiæ ſanctæ ſuæ, prædictique honorem Ordinis celebrari, venerabili fratri noſtro Beltrando &c. *Apoſtolicæ Sedis Legato, vt vobis aſſiſtat vices noſtras ſuper his opportunis auxiliis, & fauoribus damus, per noſtras litteras Apoſtolicas ini mandatis:*

mandatis: & licèt prudentiam veſtram ad ea, quæ in eodem Capitulo exequenda, quæ in laudem diuini nominis, & Eccleſiæ ſanctæ Dei, dictique Ordinis commodum reſpiciunt, ſupponamus indubiè ſatis doctam: quia tamen iuxta illud Poeticum. non nocet emiſſo ſubdere calcar equo, ſolicitos, & attentos, attentiores reddere ſæpè prodeſt; prudentiam veſtram rogamus, quatenus omni odio, fauore, & rancore prorſus abiectis erga præmiſſa ſoliciti ſitis, & intenti prædicto Legato, eiuſque perſuaſionibus, & conſiliis ſalubribus intendentes. Datum Auinione 3. Kalend. Maij Pontific. noſtri anno 12. qui fuit 1328. hæc ex Mariano. Falſa ergo ſunt, quæ opponuntur de abdicatione Michaëlis anno 1327. & de Vicarij Ordinis inſtitutione, cùm præſentiam Michaëlis opportunam ſibi aſſerens Pontifex, abſentiam excuſet à comitiis Ordinis, dilectum filium, & Generalem vocans Miniſtrum; homini iam abdicato, & depoſito minus congruâ, & omnino inſolitâ appellatione: non ſolent enim ferre Pontifices officij titulum in depoſito perſeuerare, aut eoſdem hoc nomine indigitare, cuius officio, & functione priuatos denuntiant. Quid quod ipſe Bzouius homo æternæ memoriæ depoſitionem Michaëlis in ſequentem annum reiiciat, & Vicariam Ordinis curam Cardinali Beltrando legatam aſſerat num. 17. datis ad eum litteris eodem ipſo die quo ſuperius iam ſcriptæ miſſæ ſunt 3. Kalend. Maij Pontific. anno 12. Vnde conſtat præmiſſam narrationem ſiue eam Bzouius inuenerit, ſiue Bibliothecæ Vaticanæ manuſcript. referat, nullius eſſe fidei, nullius veritatis.

Eodem anno num. 18.

BZOV. *Fortè eorundem Fratricellorum hæreſis præcipuè peruagata vicinæ Bohemiæ, & Poloniæ regna attigerat: nec enim ſine cauſa Pontifex Ioannes datis Prouinciali Hungariæ Kalend. Febr. litteris, poteſtatem ei fecit, Inquiſitores contra hæreticos inſtituendi quibus licitum eſſet ius in delinquentes in fide dicere, & ex præſcriptione Eccleſiaſticarum ſanctionum reos caſtigare. Parem poteſtatem, datis 3 Kalend. Maij litteris, Prouinciali Poloniæ eiuſdem Ordinis Prædicatorum largitus eſt,* &c.

Iſta te fingere neſcit, qui ignorat, quàm tibi familiare ſit ex ſcrinio pectoris noua, & vetera nullo authore depromere. Hac eadem columna Ceſænas, & Ocham tibi ſunt Fratricellorum anteſignani, de quibus id ſolum non dicis, quod improperio, & infamiâ caret. Verùm vt ita dicam, imples menſuram inuentionum tuarum, tanquam minus per te hactenus dictum ſit, dum ſubuerſores Italiæ & Alemanniæ deſcripſeris, niſi inſuper eorum hæreſim in Bohemiam, Hungariam, Poloniam, fatali transferres inundatione. Viderit tamen lector conſtitutiones quas tranſcribit in dictorum aliquam fidem, ſeu coniecturam, nihil inueniet quod Fratricellos aut eorum deſignet hæreſim: argumentaris tamen: *Neque enim ſine cauſa Pontif. Ioannes datis Prouinciali Hungariæ Kalend. Febr. litteris poteſtatem fecit Inquiſitores contra hæreticos inſtituendi,* &c.

Ergo eorundem Fratricellorum hæreſis peruaſit Bohemiam, & vi... regna? oleum & operam ſapit eiuſmodi diſcurſus. Conſtitutiones ad... ductæ à Bzouio datæ ſunt Kalend. Aprilis anni 1327. litteræ ſuper... allegatæ ad Capitulum Generale in quibus Ceſænas dilectus filius, &... appellabatur, datæ ſunt 3. Kalend. Maij anni 1328. quomodo ergo hæ... & reliqua quæ ſuperius adnotauimus cohæreant cum eo, quod hære...s Ceſænatis attigerint iam Bohemiam, aliáque regna, vt neceſſium fuerit Inquiſitores contra eas inſtituere? Reges, Principes, & Prælatos ad eorum excidium euocare?

Securius diſceret Annalium ſcriptor ex authoribus, qui fuerint illi hæretici, quæ hæreſes, quàm affectatâ coniecturâ, temulentum in l...bricâ ſtatione firmaret veſtigium, aliorum iniuriæ ſtudens magis, quàm veritati. Vnus è reliquis Trithemius rem diceret in ſuo Chronico Hirſaugienſi ad annum 1315. qui in præſentem vſque diem eiſdem infectam permanſiſſe refert Bohemiam. Videri potuit etiam Genebrardus, & alij, apud quos non obſcurum eſt ex variis hæreſibus, & blaſphemi... nomen Lollardorum, qui hiſce Conſtitutionibus cauſam dediſſe videntur.

Anno 1328. num. 17.

B z o v. *Præter auxilia cœlitùs impetrata, non defuit Eccleſiæ & rei publicæ Chriſtianæ Ioannes, ſed bello ſacro contra hoſtes indicto, & pri... Kalend. Aprilis, & feriis quatuor temporum menſis Decembris Ludouicum Bauarum,* &c. *Marſilium Patauinum, Ioannem Iandunum, Gulielmum Ochamum, Michaelem Ceſænatem Generalem Ordinis Minorum, ac nonnullos alios complices Ludouici, gladio Eccleſiaſticæ diſciplinæ a communione piorum præcidit, dignitatibus omnibus, atque honoribus exuit, & poteſtatem omnibus eos capiendi fecit,* &c.

Iam tibi ſuperiore anno priuatum Ceſænatem magiſtratu, quem ge...ſit, ſupremo, reliquis honoribus, & dignitatibus indignum duxit Pontifex, eoque depoſito Vicarium Ordinis inſtituit Beltrandum Cardinalem; quænam erg... amplius dignitates, & honores, aut quid reliqui ex tua fide ſuperfuit, quo exuendus erat Ceſænas, niſi excoriatum velis? Cæterùm non modò factum ſed tempus deſignas pridie Kalend. Aprilis, & ferias quatuor temporum menſis Decembris, vt credo huius anni. In primis Ceſænatem, & Ochamum ſub obedientiâ Pontificis degiſſe toto Martio, & Aprili res liquida eſt, nihil proinde in eos ſtatutum pridie Kalend. Aprilis. Ceſænatem ſpecialiter ab eiuſmodi proceſſu vindicant litteræ Pontificis ad Capitulum Generale ſuperius præmiſſæ datæ 3. Kalend. Maij ſcilicet 28. Aprilis. Si autem feriis quatuor temporum Decembris promulgatũ adſtruas proceſſum, quid dic mihi Marſilium Patauinum inter alios profuit exuere dignitatibus omnibus, atque honoribus, quem Deus ipſe ad medios dies prioris Septembris, te eadem ipſa pagina referente, vitâ exuit? idem de Caſtrucio, & Paſſarino mortuis.

Cõtradictio aduerſarij deprehenditur.

mortuis. Verùm quod ad rem noſtram ſpectat, nullum proceſſum contra Michaëlem inuenio in vniuerſum menſe Decembri publicatum. Depoſitus eſt officio 6. Iulij huius anni vt refert Marianus, & denunciatum eſt incurriſſe eas cenſuras, & pœnas ſub quibus inhibitum eſt, ne decederet à Curia. Alia eſt conſtitutio quæ incipit: *Ad noſtri Apoſtolatus auditum*, &c. Data eſt 12. Kalend. Maij, anni ſequentis. Tertia Apologetica incipit: *Quia vir reprobus*, &c. 16. Kalend. Decembris anni 1330. Sed & Ioannes Villanus qui lib. 10. cap. 115. mentionem aliquam huius proceſſus facit feriis Decembris promulgati, reliquit contra ſolum Ludouicum inſtitutum, & conditum fuiſſe, de reliquorum condemnatione nihil habet, aliàs non inuenio contra eum à Ioanne editas conſtitutiones: id Bzouio incumbit, de cuius fide agitur, vt eas inueſtiget, quæ feriis Decembris, aut pridie Kalend. Aprilis datæ ſunt.

Eodem numero.

BZOV. *Decreta Capituli Generalis à Michaële Ceſenate, & ſociis Peruſij de paupertate Chriſti, necnon Marſilij Patauini librum cui titulus*, Defenſor pacis, &c. *igni addixit*.

Vide, vt ſtudium Franciſcanis conuitiandi in apertam tandem Pontificis accuſationem prorupit. Si eadem porrò cenſurâ, & damnatione cum hæreſi Patauini, decretum Capituli is notaret (quod eſt ipſa declaratio Nicolai Pontificis in Concilio Viennenſi confirmata) quid amplius erat, quàm ea, quæ fidei ſunt pari cum hæreſi ſententia inuoluere, nec fidem ab errore diſcernere? hæc ergo conſtitutio ſicut nuſquam edita, nuſquam inuenitur: eaque, quod fieri nequit, prolatâ, Nicolao, Clementi, Eccleſiæ, aliiſque Pontificibus potiùs, & indubitanter ſubſcribendum foret. Nihil autem tale intentaſſe Ioannem Pontificem teſtis locuples eſt Gerardus Odonis (ipſius Ceſænatis, vt aliquibus placet, non tam in officio ſucceſſor, quàm æmulus) in eâ epiſtolâ, quam aduerſus præfatum Ceſænatem ſcripſit pro defenſione Ioannis, cuius erat compatriota & Capellanus, vt ait Villanus. Hæc eius verba ſunt: *Cum autem pro fictione timoris allegas, quod ex his, quæ ſæpe Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus, Dominus Papa dixerat, etiam fecerat, ac ex aliis quamplurimis coniecturis manifeſtè perpendiſti, quod is ipſe Dominus intendebat te compellere ad abnegandam dictam determinationem Capituli Generalis; nónne recordaris, quod propter huius rei fictionem Capitulum, quod Pariſiis conſtitueras celebrare, ad ciuitatem Lugduni ſubitò forſan tranſtuliſti, dicens: quod Dominus Papa per nuncium Regis Franciæ intendebat ad reuocationem dictæ determinationis, reuocare Capitulum Generale*, &c. *Propter hec tu miſer homo vidiſti, quod nec in cor Domini Papæ, nec in cor Domini Caroli Regis Franciæ etiam modicus ſuper hoc aſcenderat cogitatus. Iterum ſuper eodem ante Bononienſe Capitulum te timere vehementer dixiſti*, &c. *Tamen ſicut rei declarauit euentus, Dominus*

Toſſignianenſ. lib. 2. Ipſe Bzou. 1331. n. 1.

 Papa,

Papa, qui affectu paterno illi ſcripſit Capitulo, nullam fecit, ſicut nec fac[...]e determinauerat, mentionem, &c. Hæc ille idem amplius proſequens, vocat, quæ in hoc excuſationis genere prætenſa ſunt à Ceſænate, fallacias, ac timoroſas ſuſpiciones. Sed & in principio eidem crimini vertens, quod illius quæſtionis, quæ coram Sede Apoſtolica pendebat, præſumpſerit determinationem, ſubiicit: *Unde mirari non debu[...]i ſi Dominus Papa litteram tuam ſeu determinationem pro quanto erat tu[...] dixit hereticam, non quidem definiendo, pronunciando, vel ſententiand[...], vel etiam pro tribunali ſedendo, ſed ad partem coram Ordinis noſtri fratribus obiurgando, reprehendendo. & tuam temeritatem præſumptuoſe incr[...]pando*, &c. Hæ litteræ datæ ſunt anno Domini 1331. celebraro Capitulo Pepinienſi eodem anno. Ex his ergo falſum eſſe manifeſtum eſt [...]ctam determinationem à Ioanne vnquam ſententiâ latâ damnatam, [...]o que maximè anno, quem Bzouius prætexit, 1328.

Alius eius veritatis teſtis eſt Aluarus Pelagius in ſuo libro de [plan]ctu, quem in Curia exiſtens Summus Pœnitentiarius ad defenſion[em] Ioannis potiſſimùm ſcripſit. Hic deciſionem illam Peruſinam latè [de]fendit eiúſque cum decretali, *Exiit*. & extrauaganti, *Cùm inter [non]nullos.* concordiam fuſius proſequitur, nihilque in præiudicium ſententiæ Capitularis adducit à Ioanne dictum, præter illas extrauagantes [sæ]pius memoratas. Librum hunc de planctu incepit Aluarus anno Pontif. Ioan. 14. qui fuit Domini 1330. & ſecundus à prætenſâ damnatione Peruſinæ deciſionis. Quomodo ergo eundem præterire potuerit e[ius]modi, ſi quæ extiterit, damnatio aut contrarium in Curia impune de[fenderit], & defendere fuerit auſus?

Tertius pro nobis ſententiam dicat ipſe Pontifex in variis aduer[ſus] Ceſænatem editis conſtitutionibus, quarum illa nobis, quæ ſeque[nti] anno promulgata eſt, veritatis probatæ argumentum ſufficiens miniſtrabit, incipit: *Ad noſtri Apoſtolatus auditum*, &c. Hæc autem nuſpiam meminit determinationis Peruſinæ, aut ſententiæ per eam deci[ſæ], cùm alioquin eius damnatio, ſi quæ fuit, contra Ceſænatem ibi maxi[mè] obiicienda foret, vbi declaratur hæreticus, & hæreſiarcha, quod c[on]ſtitutionem, *Inter nonnullos*, impugnaſſe, famâ ferente, dicebatur, a[sse]rens catholicum eſſe, quod illa hæreticum damnauit, & econtra. Quid precor crimen hoc ex fama tantum intentatur, ſi ſuperiori anno decretum Capituli Peruſini, de cuius authore nulla fuit dubitatio, pro hæreſi damnatum & crematum fuit? Quid, quòd ipſi Ceſænas, & Ocham illius ſententiæ ex authoritate declarationum Pontificiarum aſſertores, illud ſolum conqueſti ſunt, quatenus ſuperioribus annis in extrauagantibus vulgò notis, & editis impugnari videbantur decreta Nicolai, & Clementis? Huc porrò omnia eorum argumenta ſpectant. Accedit quòd palinodiam, quam timebat Ceſænas, vt inde fugæ prætextum vel maximè excuſarit, vanâ ſuſpicione fundatam aſſerat Gerardus iam citatus, & nunquam intentatam, minus autem intentatam, quod nequaquam iure præteriri potuit, ſi ipſa determinatio hæreſis ſententiam, & damnationem reciperet. Expunge ergo Bzouii labem, quâ Ioannis famâ

turpi

turpi maculâ oblinis, quaſi is damnarit, quod per anteceſſores immutabili decreto in re fidei, & morum eſt ſtabilitum.

Eodem numero.

B z o v. *Prætereà Michaëlem Ceſenatem ſupremo Ordinis magiſtratu Ioannes Pontifex ex conſilio fratrum Minorum abdicauit; quod is Auinionem ad cauſam hereſis dicendam euocatus monentem Pontificem contempſiſſet; verbis contumeliæ plenis aſperſiſſet, palinodiam cantare recuſaſſet, & ad extremum appellatione ante ſententiam interpoſitâ, clam Auinione profugus Piſas ad Ludouicum Bauarum ſeſe contuliſſet, & tam illi, quam Petro Corbario Antipapæ author fuiſſet tam abominandæ in Eccleſia vniuerſali ſciſſuræ: ac ad extremum conuerſus in vaniloquium, nec intelligens, quæ loquebatur, neque de quibus affirmaret, in eam prorupiſſet inſaniam, Summum Pontificem non iam Ioannem, ſed Iacobum de Cadurco, neque antiſtitem, ſed presbyterum, neque Catholicæ Eccleſiæ ac fidei orthodoxæ præſulem, ſed hereticum maieſtatis diuinæ, & imperatoriæ reum impudenter aſſereret, conſtitutiones pontificias impugnaret; libellóſque continentes impugnationes prædictas, ad diuerſas mundi partes, & ſtudia deſtinaret, & ipſos affigi in portis Eccleſiarum, & locis aliis temeritate pœnis dignâ attentaret. Per huius hereſiarcha damnatam memoriam cùm religio D. Franciſci legitimum Præſidem generalem nullum haberet, curam illius vniuerſa Beltrando Cardinali Legato, datis 3. Kalend. Maij Pontific. anno 12. literis, Ioannes commiſit, Vicariúmque Ordini præfecit quo monente Patres Minores ad comitium generale Bononiæ congregati, eundem Michaelem hereſis, temeritatis & aliorum criminum nomine conuictum, abſentem quaſi præſentem præfecturâ generali totius Ordinis indignum iudicarunt & communibus calculis reprobatum condemnarunt.*

Nempe Angelus cuſtos quiſpiam tibi eſt Michaëlne ſomnianti quidem memoriâ eius excidit vnquam, æternum narrationis argumentum, vt mirum videri queat, quâ arte illud tuum adiicias nouum, *prætereà Michaëlem*, quaſi nouum aliquid anhelans, velut Echinus vterum cunctatus parturires lectore dignum, idem porrò ipſe, qui in priori clauſula editus, denuo replicatur Michaël, vnâ eadémque columnâ ter accuſatus, bis abdicatus, ſuperioribus annis toties condemnatus, toties depoſitus, toties ad dicendam cauſam citatus, toties contumax, velut hydra quædam in labores Bzouianos nunc iterum reuiuiſcit maiore hiſtoriæ miraculo, quàm laude aut fide hiſtorici non refert, culpemus tautologiam, excuſemus fidem, ſed & merces conſtituatur, modò hic etiam veritatem mihi aſſequutus depoſitionis Michaëlis, quam vſque adeo memoriter callet, vt nihil aliud ſomniare poſſit.

B z o v. *Prætereà Michaëlem Ceſenatem ſupremo Ordinis magiſtratu Ioannes Pontifex ex conſilio fratrum Minorum abdicauit, quod is*, &c. Poſtquam verò diligenti exaggeratione occurrentes quaſq; conglobauit

cauſas, quæ abdicationem mereri poſſent, adiunxit inferius modum eius, tempus, per quem, & quomodo de conſilio Franciſcanorum lata, & promulgata eſt ſententia, ne qua fortè deſit fictioni circumſtantia. *Per cuius*, inquit, *hæreſiarchæ damnatam memoriam, cùm religio D. Franciſci legitimum præſidem generalem nullum haberet, curam illius vniuerſæ Beltrando Cardinali Legato, datis 3. Kalend. Maij Pontificatus anno duodecimo literis, Ioannes commiſit, Vicariumque Ordini præfecit. quo monente Patres Minores ad comitium generale Bononiæ congregati, eundem Michaëlem hæreſis, temeritatis, & aliorum criminum nomine conuictum, abſentem quaſi præſentem, præfectu à generali totius Ordinis indignum iudicarunt, & communibus calculis reprobatum condemnarunt.*

Oportet ergo ex his antequam datæ ſunt litteræ ad Cardinalem [3.] Kalend. Maij præceſſiſſe enumeratas iam depoſitionis cauſas, vt quod ad Ludouicum Bauatum perfugerit; quod eidem, & Corbario author fuerit ſchiſmatis; quod Ioannem negaret verum Pontificem; quod i[m]pugnarit decretales; quod libellos eius argumenti ad ſtudia generali[a], & diuerſas mundi partes deſtinarit; oportet, inquam, hæc præceſſiſ[ſe] tam depoſitionem Michaëlis, ſicut culpa pœnam præuenit, quàm Vicariam item poteſtatem factam Cardinali in præfatis literis 3. Kalen[d.] Maij ideo ſcriptis quia per Michaëlis, *hæreſiarchæ damnatam memoriam religio S. Franciſci Generalem legitimum Præſidem nullum habuit.*

Epiſtolæ Pontificis quas ſuperiùs tranſcripſimus fidem faciunt Ceſænatem in Curia hæſiſſe, quando datæ ſunt litteræ ad Cardinalem, v[i]pote ſimul, & eadem die & in eodem negotio, & ad eundem finem ſcriptæ. Teſtis Villanus cum reliquis hiſtoricis Ludouicum Bauaru[m] (cap. 73.) ingreſſum fuiſſe Romam 5. die Ianuarij atque illinc primum regreſ[ſum] 4. Auguſt. teſtes iidem Villanus & alij Corbarium intruſum fuiſſe 1[2.] Maij ſequentis, quindecim diebus poſtquam datæ ſunt epiſtolæ ta[m ad] Cardinalem, quàm ad Capitulum, ſeu comitia generalia ordinis. Expunge ergo ex proceſſu tuo contra Ceſænatem duos articulos capitales, nempe quod anteà profugerit Piſas ad Ludouicum Bauarum, & quod fuerit author intruſionis Corbarij, ſeu ſchiſmatis: literæ Pontificis e[x]cuſant abſentiam Michaëlis, quem vocant dilectum filium, & Mi[ni]ſtrum generalem, authoritatem dumtaxat præſidendi in Capitulo tribuunt Cardinali Legato, nullam autem ordinis Vicariam poteſtatem; expunge ergò per hoc reliqua crimina quæ in Ceſænatem congeris, ob quæ deponis eundem damnatum, antequam datæ ſunt ad Cardinalem præfatæ litteræ. Interea autem duo minùs conuenire mihi videntur, vt quod is palinodiam noluerit recantare, & quòd appellationem a[nte] (Contradictio.) ſententiam præmiſerit: vt quid enim mandatur palinodia non latâ ſententiâ? ſi latâ ſententiâ, ergo præceſſit appellationem.

Sed vt totum abradamus proceſſum tantum abeſt, vt Michaël depoſitus fuerit per Pontificem hoc tempore, vt nec in dicto Capitulo Bononienſi, etiam inſtante ad hoc Legato, fuerit abſolutus, ſed potius per fratres denuò confirmatus in officio, aſſerentes ſibi ignotam omnino

eſſe cauſam, ob quam deberet abſolui; nec literæ Pontificiæ ad Capitulum, quidpiam tale ſuaſerint, præceperint, aut ſpecie tenus præ ſe tulerint, vt legenti conſtabit. Videatur Marcus Vlyſiponenſ. 2. p. lib. 8. cap. 13. cui conſentit Marianus lib. 4. cap. 8. Malè ergò adſerit Bzouius Michaëlem hæreſis, temeritatis, & aliorum criminum nomine conuictum in Capitulo Bononienſi abſentem velut præſentem condemnatum, & præfecturâ generali depoſitum ipſius Capituli ſententiâ. Vel dicat ipſe ſi abdicatus, quis ſubſtitutus? quinimo ſui per omnia memor id in annum ſequentem in Capitulo Pariſienſi electo Gerardo Odonis refert. Marcus. Marianus.

Vt aberrantem tandem adducam, rem, quam tantopere cupit author, ſub oculis ponam; depoſitio Michaëlis facta eſt 6. die menſis Iulij, quod is feriâ quintâ infrà octauam Pentecoſtes clam fugerit Auinione, timore correptus, & ſuſpectam habens detentionem ſuam in Curiâ, licèt cauſam neſciret, incertus animi atque ignorans inſuper, quid patres in Capitulo Bononienſi diſpoſuerint, Pontificem iratum non ſuſtinens, & quantis æmulorum ſubiaceret inſidiis perpendens, qui in auribus ſenis, ætatis & propenſionis vitio ad ſuſpiciones prompti, inania pericula, & varios caſus inſtillare continuò non deſiſtebant. Expertus etiam eſt die decimâ menſis Aprilis, quàm acerbo in eum ſtomacho ferueret Ioannes, quámque obliquè deciſionem Peruſinam reſpiceret; licèt in eam nihil hactenus durius verbo, & indignatione ſtatuerit: in præiudicium tamen ſuæ authoritatis factam interpretatus eſt, quod pendente quæſtione in Curiâ Romanâ, auſi ſunt Franciſcani quidpiam in eâ determinare: ita Gerardus Odonis, Marianus, & antiqua religionis Chronica ferunt: ſed nec vanam etiam ſuſpicionem ingerunt Apologiæ ipſius Ioannis, non modicum præiudicatæ ſententiæ, quam is de vſu & dominio concepit, interueniſſe ſtudium. Inter alia namque opinionis propriæ cupidum, & tenacem fuiſſe plurima exempla docent, & potiſſimum quæ de viſione animarum eum verbis, & ſignis monſtraſſe docent authores cum Villano lib. 12. cap. 229. Fuga Ceſenatis, eiúſq; cauſæ.

Præceptum Pontificis trepidantem Michaëlem, in concepto iam metu, confirmauit: mandauit porrò coram Beltrando Cardinale, Fratre Petro de Prato Miniſtro Prouinciæ S. Franciſci, Fr. Raymundo de Lades Procuratore ordinis, & Fr. Laurentio de Coalhone Baccalauro conuentus Auinionenſ. ne Curiâ abſcederet, ſine ſpeciali licentiâ, ſub pœnis excommunicationis, priuationis officij, inhabilitationis ad quoduis officium, & beneficium, ipſo facto incurrendis, ſi abſque licentiâ præfatâ diſcederet, eúmque aliquoties ob præfatam deciſionem Peruſinam vocauit hæreticum, ſtultum, temerarium, captioſum, vt refert Marianus. His conſonat ſententia, eum declarans in præfatas pœnas incurriſſe 6. Iulij promulgata.

Iſtæ ſunt cauſæ quæ fugam Michaëli ſuggeſſerunt, ob fugam verò, & tranſgreſſionem præcepti Pontificij, & interpoſitam appellationem contra grauamina, & decretales pontificias 6. Iulij eſt depoſitus magiſtratu Ordinis ſupremo, & Cardinalis Beltrandus tum primùm inſtitutus

Ordinis

Ordinis Vicarius, ob nullas autem hæreſes (vt ex ſententia claret) eam condemnationem accepit, nec ex ſententia fratrum in Capitulo Bononienſi, quod 22. Maij celebratum eſt, ſed ex ore Ioannis Pontificis. Ceſænati in fuga ex omnibus Franciſcanis ſoli Gulielmus Ocham, & Bonagratia de Bergamo fuere comites, & illi deciſionis Peruſinæ laborantes inuidiâ; omnes tres hucúſque ſub obedientiâ Ioannis vixerunt, nihilque in præiudicium authoritatis pontificiæ ſcripſerunt, vel docuerunt. Mox enim cùm Piſas illi peruenerunt, cæperunt primùm ſcriptis agere, fugæ ſuæ, & appellationis rationem reddere. Viri ſanè magni, niſi timor humanus, & zelus ſui ſtatus indiſcretus, quem alioquin oppreſſum iri timebant, eos Pontificis, & Paſtoris obedientiæ perperam ſubtraxiſſet.

Taxatur continuus aduerſarij error.

In hunc igitur poſtem Bzouianam vertiginem eliſi tot annis Ceſænatis velut in rota fugientis vmbram captauit, nihil in ſtabili curſu præter aërem & ventos per gyrum aſſecutus, donec vacillanti tandem manum præbuerim, portamque monſtrauerim, qua primum egreſſus eſt Ceſænas. Viderit ergo, quâ fide, quâ iuſtitia ſuperioribus annis Ocham, & Ceſænatem traduxit, (non magis maledicè, quàm mendosè) ſi ad debitam fortè reſipiſcat palinodiam, & Ordini Franciſcano dictorum occaſione, intentatam maculam, ad ſobrietatem & mentem conuerſus, auditâque tandem veritate eluat: id vnum affirmo, quod ſuperius ad riſum ſeu ſtuporem lectoris adnotaui, tantum à ſcopo eum aberraſſe, vt nec hoc ipſo anno, quo res facta eſt, veritatem eius attigerit.

Anno 1329. num. 2.

B z o v. *Item vt ſtatum ſuum peruerſiſſimum, & Ludouici prædicti damnati heretici, & ſchiſmatici Michaëlis de Ceſana dudum Miniſtri Generalis Ordinis prædicti Fratrum Minorum, quod Chriſtus & Apoſtoli in his quæ habuiſſe leguntur, non habuerunt niſi tantum vſum facti ſimplicem, potuiſſet* (ſupple, Corbarius) *fortius ac promptius ſtabilire*, &c. paulo inferiùs: *In quibus quidem proceſſibus Ludouicus prædictus pronunciabat, & declarabat fore hereticum, & ſcripturæ ſacræ contrarium dicere, quod Chriſtus, & Apoſtoli in his quæ habuiſſe leguntur, habuerunt aliud quàm ſimplicem vſum facti. Ex quâ quidem pronunciatione euidenter concluditur & Ludouicum, & Petrum ex confirmatione, pronunciatione, & prædicatione prædictis, in damnatam hereſim per ſententiam Apoſtolicam de fratrum promulgatam conſilio, incidiſſe*; &c. citatur confeſſio Petri Corbarij apud Maſſonum in Ioannem XXII.

Hactenus ex ſe, nunc ex aliis agit aduerſarius, & primùm omnium accuſatorem ſubornat domeſticum, contra Imperatorem Ludouicum Bauarum, & Ceſænatem; licèt autem exceptio in promptu ſit, id amicè tantum ſuggero, non omnia, quæ facit, aut dicit Antipapa tranſire in rem iudicatam, reſpondere vlterius licet innatum eſſe defenſionis appetitum,

appetitum, vt laqueo ad collum appenſo, id etiam fingat reus quod magis ad inflectendum iudicem, & ſeueritatem in commiſerationem mutandā magis facit. Corbarius reus ad pedes Ioannis ſupplex tractus, quid aliud potius in ſe,& aliis damnaret, quàm quod iam ab hoc aliquoties reprobatum vidit? nec tam difficile erat criminis cuiuſque inuidiam in eos deriuare, qui alioquin inuiſi præſumptionem de ſe omnis mali vlcerato Ioannis pectori iam impreſſam habebant. Quid de ea quæſtione paupertatis dicendum ſit iam fuſius in præmiſſis tractatum eſt, ad defenſionem Aluari Pelagij, & concordantiam decretalium Nicolai, & Ioannis; facilem porrò, & benignam interpretationem habet ea propoſitio, vt non modò eo ſenſu eum aſſerens euidenter non ſit hæreſis, vt dicitur, reus, ſed nec probabiliter quidem: hunc ſenſum tenuiſſe Ludouicum nemo negare debet, vt qui Nicolai Papæ ſententiam profitebatur, nihil aliud; quod verò extrauagantem, *Cum inter nonnullos*, &c. vel reſpuerit, vel damnarit, eo ſenſu fecit, quo anteriorum Pontificum Nicolai, & Clementis definitionibus contraria dicebatur, quæ etiam doctiorum plurimæ eius temporis deceptio fuit, ac proinde alij Ioannem damnabant, alij Nicolaum, vt conſtat ex reſponſionibus quorundam ad obiectiones Ochami. Intelligentia ergo decretalis, non voluntas Cæſaris in culpa fuit. Is porrò Bellonæ magis quàm Muſis deditus, antiquiorem, & plurium Pontificum ſententiam & decreta tutius ſequenda duxit in diſcordia, quàm Ioannem, qui ex errore contrarius cenſebatur. Illud etiam aduertant eiuſmodi cenſores, quòd ſi decreti cuiuſpiam veram non aſſequatur quis ſententiam, ſed aliam interpretetur, quæ alioquin damnata eſt, non continuò hæreſis cum accerſiri, ſi illud in hoc ſenſu condemnet, quem verum eius ex errore putat eſſe: exemplo ſit Concilium Aquiſgranenſe ſub Carolo Magno congregatum, quod acriter impugnat Nicenum II. in articulo de cultu imaginum, ex errore tamen putans idem Concilium aliud definiſſe quàm definiuit. Quid ergo? an ideo fidei decretis ſe oppoſuit Aquiſgranen. vel euidenter incidiſſe in hæreſim dicemus? abſit. Error erat facti vel intelligentiæ decretorum, quem mox Adrianus Pontifex maturè correxit. Negauit Cæſar Chriſtum & Apoſtolos habuiſſe rerum dominium eo ſenſu, & intellectu, quo idem Nicolaus Pontifex,& tota Eccleſia negauit; damnauit extrauagans Ioannis in eo ſenſu duntaxat, quo putabatur contrarium huius aſſeruiſſe: ergo euidenter incidit in hæreſim. Certè qui eiuſmodi conſequentiam infert, neſcit qualificare propoſitiones, aut diſtinguere inter malè ſonantem, ſuſpectam de hæreſi, & hæreticam aſſertionem. Adiicio illam extrauag. *Etſi breuem. & expeditam.* non adeo claram eſſe, quin diuerſos ſenſus in ſe complectatur ex variâ acceptione harum dictionum *vſus, dominij, proprietatis*, quorum ſenſuum alius ex intentione, alius præter, & contra intentionem Pontificis fuit in re: ergo ambigua; quam literæ cortex non clarè diſcernit, intentio ex ipſa diſcernitur veritate, vt eam eſſe intelligamus, quæ ipſi veritati, & aliorum Pontificum decretalibus conſonat. Aliud tamen præſumendi argumentum ex aliis Ioannis decretalibus arripuerunt ij, qui

Defenditur Ludouicus ab hæreſi.

Obſcuritas decretalis.

Præſumptio aduerſus Ioannem inualuit.

qui eum impugnabant, vt quod in paupertatem Franciſcanorum diſſerendo inuectus ſit, quod deciſionis Peruſinæ, quæ eadem eſt cum Nicolai definitione, vltionem aliquam non diſſimulanter inſtituerit, non modò in ſingulares perſonas Ceſænatis, & complicum, ſed in vniuerſam religionem, renunciando dominium earum rerum quas priores ſedecim Pontifices continuâ ſucceſſione in ſe & Apoſtolicam ſedem receperunt. Quod etiam nonnulli qui vindicias pro Ioanne ſcripſerunt non vſque adeò ſobriè de declarationibus Nicolai, Clementis & aliorum ſenſerunt, quin ipſas erroris imprudenter agerent. Hæc, inquam, aliis argumenta fuerunt interpretandæ extrauagantis eo ſenſu, quo Nicolao, & anterioribus Pontificibus contraire videretur, ideò nihil frequentius, & ſolidius vrgebant, quàm antiquum Nicolai, & Concilij Viennenſis decretum, Eccleſiæ acceptationem, approbationem regulæ Franciſcanæ, vitam & ſanctitatem & canonizationem ſanctorum, qui ex eius norma ad mortem vſque vixêre. Pontificiam ergo & totius Eccleſiæ in definiendis fidei & morum quæſtionibus vindicare ſe putabant authoritatem, priuatum verò Ioannis ſenſum, & opinionem interueniente paſſione conceptum, vt ipſis videbatur, & decretis anteriorum contrarium impugnare. Cuius ergo erroris in hoc rei, ſi veritatem defenderint, errorem refutarint? eius duntaxat, quod decretalem in eo ſenſu fuerint interpretati, qui intelligentiæ non fidei erat lapſus.

Error aduerſariorũ Ioannis.

Excuſatio Ceſænatis.

Tranſeamus modò à Ludouico ad Ceſænatem, cui falſum imponitur: nec enim defendebat, quod Chriſtus, & Apoſtoli non habuerunt in res, quas habuiſſe leguntur, niſi vſum facti ſimplicem: ſed hanc propoſitionem: nempe *hæreticum non eſſe aſſerere, quod Chriſtus, & Apoſtoli nihil habuerunt in communi, aut in particulari in quantum viam perfectionis docuerunt verbo & exemplo.* Quæ eſt definitio Nicolai Papæ, & deciſio Peruſina. Cuius rei locuples teſtis eſt ipſa deciſio, præſide Michaële, à Patribus Ordinis edita; ſedecim item argumenta Ceſænatis, & Ochami pro defenſione tam eius, quàm decretalis, *Exijt.* facta, quæ omnia hoc concludunt, hæreſis aut erroris eſſe expertes. Ea habes inferius ad annum 1335. num. 2. Adduco ex Mariano ipſum Ceſænatem pro deciſione Peruſina duntaxat loquentem in propoſitâ appellatione ad 4. errorem.

Ipſa litera, (ſupple, deciſionis Peruſinæ) *non eſt hæretica*, inquit, *ſed ſana, & Catholica, & fidelis, & cum determinatione ſui prædeceſſoris Domini Nicolai III. & Eccleſiæ concordans*, &c. *quod ſi eſſet hæretica, ſequeretur, quod Dominus Nicolaus III. qui in dicta decretali,* Exiit. *prædicta determinauit & definiuit, etiam fuiſſet hæreticus, quia definiens, docens, ſeu aſſerens hæreſes publicè manifeſtus hæreticus eſt cenſendus*, extra de verb. ſignif. ſuper quibus, *& quod omnes ſummi Pontifices eidem in officio ſuccedentes, & generale Concilium, ac Romana Eccleſia quæ prælibatam definitionem fecit, recepit, & approbauit, fuerunt, & ſunt hæretici manifeſtè: quia error, cui non reſiſtitur, per illum, ad quem reſiſtere pertinet, & poteſt, approbatur, nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui*

manifeſto

manifeſto facinori deſinit obuiare, &c. Ex quibus liquet quid defenderit Ceſænas. Non me præterit hoc etiam, quod ſuperius dicitur, inſinuari in decretalibus Pontificiis, quod ex falſa informatione potuit contigiſſe, vel ex obuiâ præſumptione, quia idem impugnarit conſtitutionem, *Cùm inter nonnullos.* in eo ſenſu quo declarationi Nicolai videbatur obuiare; vnde frater Franciſcus de Eſculo ſacræ Theologiæ Doctor, Michaëlis in apoſtaſia aliquandiu comes, Eccleſiæ mox reconciliatus, ingenuè faſſus eſt ſenſum Michaëlis, & complicum, nunquam ab eo, quem intendit Pontifex, abhorruiſſe: verùm, vt refert contemporaneus Fr. Ludouicus de Caſtellione in ſuo tractat. de paupertate, quem Oxoniæ compoſuit, in hoc error fuit Ceſænatis, quod conſtitutiones pontificias perperam intellectas, impugnarit, diuerſa quidem à conditoris ſenſu interpretatione, vt idem Ludouicus fuſius probauit; non diuerſa ſententia. Frater Frãciſcus de Eſculo. Fr. Ludou. de Caſtell.

Eodem anno numero 5.

BZOV. *Inter hos cùm Michaël Ceſenas anteſignanus cenſeretur, & neque precibus moueretur, neque minis deterreretur, quo minus Ioanni Pontifici octo falſos errores adſcriberet, contráque illum publicè, & priuatim vbique locorum deblateraret, ſéque pro miniſtro Ordinis Minorum adhuc temerariè ageret, & fratres Ordinis Minorum in ſuas partes traheret, ſchiſmatáque in populis ſeminaret: aduerſus perfidum Apologiam Ioannes Pontifex erudito, copioſo, & veritatis calamo ſcripſit, eámque ac illius dogmata damnauit, ac ſocios, ac ſequaces cœtu piorum excluſit: cùm hæc edicto ſuo breuiter praſcripſiſſet: Quia vir reprobus*, &c.

Improbè quidem hæc Michaël: ſed & tu minus fideliter, neſcio quo myſterio, octo illos articulos cum reſponſione Ioannis ſubtraxiſti, quæ ſi talis eſt qualem dictauit Cardinalis Furnerius, vel qualem etjam in Apologeticâ, *Quia quorundam.* videmus, non adeò veritatis calamo eſt ſcripta, quin reſponſionem habeant cõgruam, nequaquam falſam, aut erroneam, vt experiri liceat apud Ludouicum de Molina, Dominicum Soto, alióſque ſuperiùs citatos, imò ex communi Pontificum, & Eccleſiæ ſenſu, prout iam eſt demonſtratum, exhibitâ notoriâ reuocatione eorum, quæ Ioannes aduerſus decretales Nicolai, & Clementis, & regulæ Franciſcanæ paupertatem ſanciuit. Hinc plures viri docti illius ſunt opinionis, eiuſmodi Apologeticas aliorum lucubratione adſcito nomine Pontificis ſuppoſitas eſſe, quorum affectus, & ſenſus non adeò integer extitit. Id omnino certum plurium ſuggeſtiones, ſuſurros, & importunitatem irrepſiſſe, vt nec matura, & quieta fuerit veritatis diſcuſſio, nec libera in omnibus defenſio, nec conſuetus, & moderatus ſtylus, prærogatiuam & maieſtatem, vt ſolet, perſonæ exprimens, priuati cum priuato, ſeu æqualis cum æquali magis indicans diſſertationem.

BZOV. *Et fratres Ordinis Minorum in ſuas partes traheret*, &c.

Contradicentia. Scilicet id probant hæc verba tua, quæ ſubiicis. *Hæc cum præfatus eſſet Ioannes ad ſingula copioſè reſpondit, hominémque reprobum damnauit Auinione 16. Kalend. Decemb. Pontif. an. 14. anno Domini 1329. Cum etiam hoc anno die 10. Iunij Fratres Minores Pariſiis in Capitulo Generali eundem Michaëlem gradu & officio motum pronunciaſſent, & Gerardum Odonis in eius locum ſurrogaſſent: proceſſúſque & ſententias Ioannis Pontificis in damnatum latas promulgaſſent*, &c. Subiungis mox ipſam damnationis ſententiam, quæ tres duntaxat Michaëlis comprehendit ſocios, Ochamum, Bonagratiam, & Franciſcum Eſculanum, qui in itinere ſe eidem coniunxit: ſubiicis; & longâ ſerie damnationem eiuſdem, & complicum (qui duo tantùm numerantur) à Ioanne Pontifice promulgatam 12. Kalend. Maij eiuſdem anni. Quomodo ergo Michaël trahebat in ſuas partes Fratres Minores, ſi ab ipſis reprobatus, damnatus, & depoſitus eſt? quomodo item damnationem euaſerint alij, quos is trahebat, ſi plures fuerint? ſi ergo conatum & improbitatem Michaëlis tantùm incuſas, conſentio; ſi verò ſtudium aliquod, aut propenſionem Ordinis, quaſi ruentem in ruinam ſequeretur, calumnia eſt, ſatis ex dictis reprobata.

Anno 1330. num. 6.

BZOV. *Et quidem erga Petrum adeò ſe benignè habuit Ioannes ſummus antiſtes: Veruntamen contra Michaëlem Ceſenatem Ordinis Fratrum Minorum exminiſtrum Generalem, ſpiritu Apoſtolico inſurgens, nouam ſententiam promulgauit. Auſus fuerat is temerarius Auinione in conſeſſu Patrum populíque, Ioanni Summo Pontifici in faciem reſiſtere, & ante ſententiam prolatam, ad futurum Summum Pontificem, vel ad Concilium Oecumenicum prouocare*; &c.

Si iſta Michaël in publico conſeſſu Patrum, quanam ratione euaſit, aut potuerit euaſiſſe? quomodo tutè libertati ſuæ interpoſitâ appellatione permiſſus fuit? artificia ſunt tam tenui fide contexta, vt nec vmbram habeant credulitatis. Veritas hiſtoriæ præmiſſa eſt ex Mariano ſupra ad annum 1328. nempe tum reſtitit Michaël, quando reprehenſus à Pontifice 10. Aprilis eiuſdem anni, non ita prudenter, aut modeſtè deciſionem Peruſinam defendit. Hinc Pontifex eidem mandauit ſub pœnis expreſſis in ſententiâ damnationis, ne ex Curiâ diſcederet, abſque ſpeciali licentiâ ſuâ. Totum hoc tranſactum eſt non in conſeſſu Patrum vt tu variè iactas, ſed priuatim coram Fratre Beltrando Cardinale, Miniſtro Prouinciæ S. Franciſci, Procuratore Ordinis, & Baccalaureo Auinionenſ. qui omnes erant Franciſcani. Præſtat ad hoc confirmandum audite ipſum Pontificem loquentem in ea ſententia, quam ſuperius anno præcedenti numero 7. ad longum tranſcripſiſti.

Præfato,

Præfato, inquit, *Michaeli ad noſtram propter hoc præſentiam aduocato præſentibus venerabili fratre noſtro Beltrando Epiſcopo Tuſculano, & dilectis filiis Raymundo de Ladotz* (Lados habet Marianus) *Procuratore Generali, ac Petro de Prato Miniſtro Prouinciali Sancti Franciſci, & Laurentio de Goalbo Baccalaureo Conuentus fratrum Auinionenſ. præfati Ordinis*, &c. Concordat ergo Pontifex, & Marianus non alium fuiſſe conſeſſum publicum, aut etiam priuatum, cui intereſſent Cardinales, ſeu Patres, Michaële Ioanni in faciem reſiſtente. Idem conſtat ex Gerardi ſucceſſoris Apologiâ, in qua ſic compellat Ceſænatem; *Vnde mirari non debuiſti, ſi Dominus Papa litteram tuam ſeu determinationem, pro quanto erat tua, dixit hæreticam, non quidem definiendo, pronunciando, vel ſententiando, vel etiam pro tribunali ſedendo: ſed ad partem coram Ordinis noſtri fratribus obiurgando, reprehendendo, & tuam temeritatem præſumptuoſam increpando.* Sed, & æquè vanum eſt quod ſubiicitur de appellatione in conſeſſu Patrum, ſiue ante ſententiam per eundem promulgatâ. Nullus enim fuit Patrum, vt dictum eſt, conſeſſus. Ergo nec in conſeſſu appellatio. Appellatio interpoſita eſt contra tres potiſſimum conſtitutiones à Ioanne editas,& grauamina ex iis redundantia,ſeu præſumpta. Harum vltima tribus annis, reliquæ verò quinque appellationem ipſam præceſſerunt. Vide igitur ſi ante ſententiam appellauit Ceſænas. In appellatione quidem fuit culpa; non ex eo tamen capite quod incuſas. Sed quia à Pontifice appellatum,Chriſti ſupremo Vicario eiuſdémque cum Chriſto tribunalis, à quo non eſt appellatio. Error tamen hic illius tempeſtatis ſic fuit plurium, vt ne inuentor quidem Ceſænas, ad Pium vſque II. inoleuit; vnde is decretum contra eiuſmodi præſumptionem promulgauit: nec etiamnum deſunt qui licitam eſſe à Pontifice ad Concilium appellationem affirmant, quibus nequaquam ſubſcribo.

Sententia Pontificis.

Apologia Gerardi Odonis.

Appellationis error,& culpa.

Ibidem.

Bzov. *Auinione contra fidem publicam profugus in Piſano conciliabulo in primis Petrum Corbarium, & Ludouicum Bauarum ad ea, quæ perpetrarant infanda, exciuerat.*

Neſcio quid tibi ſit loco publicæ fidei, ſi dictorum conuentorúmque publicâ authoritate ſtabilita conſtantia, & veritas; dic mihi quocum conuenit Ceſænas ne decederet Auinione, vbi ſolo Pontificis detinebatur præcepto? id potiſſimum criminis loco oppoſitum fuit, quod Pontificis tranſgreſſus mandatum aufugerit, publicæ fidei ne quidem mentio habita, niſi in tuis commentariis, & hoc non tam rectè, quàm prudenter vt quos fides priuata deſeruit; ſicut longè probat, quod apponitur de conciliabulo Piſano, in quo exciere nequiuit Michaël abſentem Corbarium ad perpetranda nefanda, ſicut tuus imponit calamus. Conciliabulum illud Piſanum ſeu Parlamentum, vt habet Villanus, 13. die Decembris celebratum eſt.

Tertia verò ſequentis Ianuarij Corbarius primùm appulit Piſas. Conſule Ioannem Villanum lib. 10. cap. 114. & 116.

BZOV. *Pontificem Ioannem non iam ſummum antiſtitem, ſed Iacobum de Cadurco hæreticum, & apoſtatam mentiebatur*, &c.

Decies repetita placebunt.

BZOV. *In generali autem Ordinis ſui fratrum Minorum Pariſienſi Capitulo exauthoratus, & tanquam hæreſiarcha damnatus*, &c.

Poſtliminio tandem fidem tuam proſtituis, quæ ſuperioribus annis 1327. & 1328. depoſitum Ceſænatem in Bononienſi Capitulo toties promulgauit, cùm ex communi ſuffragio Pariſiis tandem in ordinem redactum iam verè reperias; aggrauas tamen depoſitionem eius infami commento, aſſerens in Capitulo damnatum velut hæreſiarcham, cùm is ſolùm rebellionis, & apoſtaſiæ ſententenriam accepit, de hæreſi ne tum quidem accuſatus. Hæc ipſa ſententia eſt: *Hinc eſt, quod ego præfatus Miniſter Generalis in Generali Capitulo Pariſienſi anno Dom.* 1329. *in Pentecoſte celebrato, maturâ deliberatione nimirum cum Prouincialibus Miniſtris, & cæteris definitoribus ipſius Capituli, ante clauſtrum, memoratos rebelles pronunciaui, & declaraui excommunicationis, priuationiſque pœnas, tanquam notorios, & manifeſtos apoſtatas incurriſſe, quæ per generalia noſtri Ordinis ſtatuta fratribus ab obedientia ipſius ordinis ſe ſubtrahentibus, & apoſtatantibus eſſe noſcuntur inflictæ*, &c. Hactenus damnatio Michaëlis à Capitulo lata, & tranſcripta per Bzouium ſupra anno 1329.

Sententia Capituli Pariſienſis in Ceſænatem.

BZOV. *Facile illi fuerat ſub vmbra Ludouici Bauari in eius ditione vaſanienti, eò amplius quò indidem comites vaſaniæ ſibi plurimos adiunxerat Gulielmum Ochamum, Bonagratiam conuerſum, & Henricum Chalemium eiuſdem inſtituti profeſſores.*

Liberum erat fingere plurimos vaſanienti Ceſænati ſe adiunxiſſe Franciſcanos, dum ſine authore hiſtoriam texis; ſed quia plurimos illos totámque multitudinem ad tria dumtaxat capita, quorum tertius fuit laicus, celeri, & completâ inductione reſtringis, quid aliud dicam, niſi quod vnus aut alter Franciſcanus in maleficio repertus, tibi plurimus ſit? hæc tua in Franciſcanos fides? hic cultus?

BZOV. *Hos Michaël nequitiæ ſuæ adminiſtros hac illácque ad Principes, & populos deſtinabat, qui omnia & contra Pontificem, & contra Catholicam religionem, & contra manifeſtam Euangelij veritatem Michaëlis commenta effutirent, atque vniuerſos aduerſus illum concitarent.*

Iam capio; nempe tres Franciſcani Bzouio plurimi ſunt officio, & functione,

functione, non numero: vt qui hac & illac ad Principes, ad populos deſtinati, vniuerſos contra Pontificem concitabant, quod plurimorum operam, & ſudorem requirit. Domi tamen relinquamus Ochamum calamo, & lucubrationibus aduerſus Ioannem intentum; nec conſtat Thalemium ſeu Chalemium inter Principes, & populos diſcurriſſe, vir fuit maioris notæ apud Imperatorem, ſi verum obiicitur ſequenti paginâ eundem à Cancellis Cæſaris extitiſſe, tertius ergò Bonagratia conuerſus laicus, & idiota plurimus ille fuit, qui omnia contra Pontificem, contra Catholicam religionem, & contra manifeſtam Euangelij veritatem Michaëlis commenta effutiret. O validum, & neruoſum plurimum fratrem laicum, quàm multiplex in Bzouianâ ſcenâ tibi obducta facies, quàm varia perſona, & functio. Sed quid ſi hunc domi etiam permittamus humilitatis mi‑ſteriis idoneum magis, quàm prædicationi? nempe & Bzouio quod familiare eſt, ſua etiam ad vberiorem hiſtoriæ commendationem, vt fides ex mole conſurgat, narrare permittamus: attentum enim non credulum, aut fidelem cupit lectorem: illa alioquin commenta Michaëlis contra manifeſtam Euangelij veritatem nobis ediceret, quæ ex aliis non licet cognoſcere, ſed proponat tandem clarius; præſtò eſt defenſio, aut ex cauſa condemnatio. Decret. ſent. contra Michaëlé.

BZOV. *Conatus eſt Ioannes illos ad mentem reuocare, cui rei quamquam minimè deceret, etiam Apologiam pro ſuis conſtitutionibus vulgauerat, ac ſingulis oppoſitionibus tum Michaëlis, tum ſociorum reſponderat*, &c.

Binam aduerſus Ceſænatem ſub nomine Pontificis Apologiam emanaſſe tradunt ſcriptores, quarum vna, quæ titulo de verborum ſignificatione inter alias eiuſdem decretales reperitur, data eſt quinque ab hinc annis, nono videlicet Pontificatus: altera verò teſte Bzouio ſuperiori anno ſcripta eſt, eius procemium inſertum reperies numero 5. eiuſdem anni. Quænam ergò tertia illa eſt hoc anno ſcripta, de qua nihil authores? vbertas eſt, & ingenium authoris, cui mortua reuiuiſcunt, & vetera ſub diuerſis temporibus, quando aliud non ſuppetit argumentum, velut detractâ cute iuueneſcunt: quin & nondum nata in iudicium veniunt, loquuntúrque, vt ſequens probabit clauſula.

BZOV. *Itaque Ioannes cùm benignitate emollire non poſſet, ſeueritatem adhibendam exiſtimauit, & hanc quam adiungo ſententiam promulgauit. Ita habet ad initium anni ſequentis innouata*, &c.

Non modò anno ſequenti innouata, ſed & edita eſt conſtitutio: teſtem aduoco Bzouium, qui datum ſubiicit tale: *Datum*, inquit, *Auinione 2. Non. Ianuarij Pontif. noſtri anno* 15. Innouationis diem 4. Idus eiuſdem menſis, & anni deſignat: *Datum*, inquit, *Auinione 4. Idus Ianuarij Pontif noſtri an.* 15. quid ad hæc Bzoui? ſi ita Annales deſcribere licet, & annos commiſcere vt decimus quintus, fiat decimus quartus?

quartus? ſagax nempe occupatio eſt Franciſcanû inceſſendi; id vnum interrogare libet, ſi Ludouico Cæſare, Petro Corbario, & Ceſænare nunquam natis ſcripſiſſet Bzouius Annales, in his porrò totus eſt? reſponderet fortè Zoylus; aut alter quiſpiam Roſſius, nunquam Bzouio deſore poſſe, quod ſcriberet; nunquam aliis, item quod impugnarent.

Eodem num. 8.

Hac notâ marginali, *quinam ſchiſmatis & calumniarum in Ioannem Papam authores fuerint?* proſequitur author telam, quam orditus eſt contra Ceſænatem.

BZOV. *Hæc facinora Michaelı, Gulielmo, Bonagratiæ, & Henrico hæreticis, & ſchiſmaticis cùm Ioannes Pontifex exprobraret, ſatis apertè totius ſchiſmatis radicem indicauit, oſtènditque Ludouicum Bauarum, & Petrum Corbarium illum pſeudo-Imperatorem. hunc verò Antipapam, ambos hæreticos, & ſchiſmaticos ab Henrico Cnalenio Minore, ferè vniuerſi veneni virus diriſſimum hauſiſſe, & nonniſi ab eius calamo in orbem vomuiſſe: quod is apud vtrumque Cancellarij officio vſurpato, tam ea, quæ in Germania, quàm quæ Mediolani, Piſis, Romæ, & alibi locorum contra Ioannem Summum Pontificem, & contra fidem Catholicam orthodoxam Romanam, ſiue Ludouicus, ſiue Petrus, ſiue priuatim, ſiue publicè, ſiue in area, ſiue in conciliabulo ſparſerant, atro atramento ad perennem ſuam ignominiam conceperat. Itaque quos errores, ſiue hæreſes, ſiue octo, ſiue duodecim. ſiue plures Ioanni Summo Pontifici Bauarus, vel Corbarius ſæpè, & temerariò imponebant ab Henrici ſtylo, & is a Michaelis, Gulielmi, & Bonagratiæ commento mutuauit; omnium tamen eorum impiorum ex officina Sathanæ ſcribentium conatus irritus in vanum; nec impune illis Deo cecidit. Nam & infeliciter manum ſaluantis, ſanantiſque Ioannis Pontificis euaſerunt, & miſerè extincti ſunt: iuxta illud diuinitus a Pſalte pronunciatum: ſunt impy velut puluis a facie terræ: Sancta autem Eccleſia Catholica Romana,* &c. *quam profani demoliri conabantur, inconuulſa manet: necnon vera, & ſancta Diui Franciſci religio, cuius fundamenta conuellere incauti anniſi ſunt, inconcuſſa perſeuerat.* &c.

Verecundarer hæc mendacia refellere, eâ arte, quâ texuntur, nullo authore, nullo fundamento; quin & veteris comœdiæ licentiâ tanquam de plauſtro loquenti verius, quàm hiſtoricâ maturitate ſubiectam veritatem referenti, nihil rectius obiici poſſet, quàm quod in Prouerbio eſt; *Corinthius non indignatur Ilium.* Nouus ictus non eſt, nihil nocuit Bzouius.

Ex ſuperioribus porrò diſſertationibus nihil clarius liquet, quàm ſchiſma ſiue in Imperio, ſiue in Eccleſia intruſionem Corbarij, depoſitionem, vt ita dicam, Ioannis, & proceſſus in eundem publicatos præceſſiſſe Ceſænatis, & complicum fugam Auinione, & hæc omnia facta

eſſe

eſſe his in obedientia Pontificis iam tum perſeuerantibus; quid quod ipſa præſens conſtitutio Michaëlis damnationem continens expreſsè clamat, eundem cum complicibus Gulielmo, & Bonagratia Auinione fugiſſe, & *ad præſentiam Petri de Corbario in Antipapam aſſumpti, & Ludouici de Bauaria ſedentis in cathedra feſtinaſſe ſuos dirigere greſſus.* Hæc eadem clarius alia eiuſdem damnatio ſuperius expreſſa docet; quin & ideo depoſitus eſt primò, non quod author alicuius ſchiſmatis, ſed quia contra inhibitionē Curiâ exceſſerit ſine ſpeciali licentiâ. Ecce tibi confeſſionem ipſius Corbarij, quam tertiò iam, & hoc quidem anno bis ad improperium ſubiungis, ſuæ intruſionis authorem præter Ludouicum, alium non agnoſcit, quàm quoſdam ex populo, & clero Romano: *Deinde,* &c. *cùm Ludouicus,* &c. *contra vos,* &c. *depoſitionis,* &c. *promulgaſſet ſententiam,* &c. *mèque ad quorumdam principalium Romanorum clericorum, & laicorum inſtantiam eius ſequacium, vnà cum certis de clero, & populo,* &c. *ad hoc ſecum vocatis in Papam, & Summum Pontificem, imò veriùs Antipapam damnatum, & peſtiferum elegiſſet,* &c. Vbi hic Ceſænas, Thalhemius, aut Ocham? Authores intruſionis Corbarianæ.

Regredere parumper ad initium huius anni, vt vel progreſſu cancrorum ad veritatem ſic redeas; lege epiſtolam Ioannis Pontificis ad Bohemiæ Regem, quæ huius facti ſeu intruſionis Corbarianæ Ludouicum, non Ceſænatem traducit, quantumuis huic etiam nequaquam parcat. Pergamus & ad ſuperioris anni exordium, vbi ſe primum nu.2. obiicit huic ſtrophæ, confeſſio iſta Corbarij, frequens cantilena, quam vel ipſe Bzouius propriæ quidem inuentionis modulo, ſic auſpicatur: *Erat,* inquit, *quod conferrent* (ſupple, Rex Galliæ, & Ioannes Pontifex) *de ſchiſmate à Ludouico Bauaro, & Petro Corbario excitato,* &c. Conſulat etiam lector annum 28. num.9. quo hæc Corbarij intruſio deſcribitur, inuenire licet, quàm verax, quàm ſibi perpetuò conſtans hiſtoricus eſt Bzouius: ibi enim nihil de Ceſænate, omnia in Ludouicum Imperatorem, in magnates, in Epiſcopum Venetū, in Nicolaum Fabrianenſem, in Abbatem Germanum toto pondere recidunt, quos effuſis habenis inſectatur Bzouius, idoneum nactus non tam pugnæ quàm victoriæ campum. His adiicio Villanum, Aluarum Pelagium lib.1. de planctu, Rebdorfium, Ciaconium, Argentinenſem, & reliquos authores ad annum 1328. (eos excipio, qui nec ſibi nec veritati conſtant ſuperius primâ diſſertatione repulſos) omnes ad vnum Ludouico Cæſari aliiſque complicibus, inter quos allectus non fuit tum Ceſænas, eum adſcribunt errorem, non Michaëli. Vnde ergo Bzoui, *ſatis apertè indicatur radix totius ſchiſmatis* fuiſſe Thalhemius, & Ocham, & *vniuerſi veneni* ab his *emanaſſe virus creditur,* omniáque ſimul his authoribus emerſiſſe ſiue quæ in Germania, ſiue quæ Mediolani, ſiue quæ Romæ, ſiue quæ Piſis contra fidem Catholicam, contra Pontificem legitimum promulgauit Ludouicus, aut Petrus? vt acta in Germania, Mediolani, & Romæ omittam, tanquam vana ſomnia tua, quibus interuenire nequaquam potuit Michaël ſub Pontificis obedientiâ degens; ſolùm allegare aliquo colore poteſt geſta in Parlamento Piſano, cui prædicti

interfuerunt, & publicam interpoſuêre appellationem contra ſuperiores Pontificis conſtitutiones, & grauamina. Ne vel inde tamen apertè ſequitur omnia hic acta eorum calamo fuiſſe concepta: præſumptio eſſe poſſet, ſeu ſuſpicio (quæ fidem non faciunt) ſi proceſſum nouum, aut mutatum exhiberet Bzouius, non verò innouatum, & qui antea Romæ formatus eſt. Sed dices, hæreſis & ſchiſmatis damnantur à Pontifice. Quid tum? ergo authores erant omnium, quæ in Ioannem acta ſunt? nihil minus. Schiſmaticos, & rebelles fuiſſe conſtat, hæreticos non ita, niſi ſolâ præſumptione (quæ hæreticum non facit) alioquin ex ſtylo, & iuſtitiâ proferendæ & damnandæ primùm erant hæreſes, mox authores, quod nequaquam fit in hac, aut alia quapiam conſtitutione, de qua re aliàs. Sed Bzouius omnia mala Talhemio refert *ex vſurpato apud vtrumque* (nempe Cæſarem, & Antipapam) *Cancellarij officio.* Sed quonam id authore, ſi hiſtoriam texit? ſi ſyllogiſmos, quâ arte diſcurſus regitur, quâ ratione fundatur? nempe decreta fidei ex Cancellaria vidit vnquam prodiiſſe aduerſarius? is nempe fuit error Ludouici, & aliorum, vt putarent ſe non orthodoxum, ſed hæreticum, etiam ex principiis fidei procedentes, depoſuiſſe. Sed vt rationibus ſuperſedeamus, eâ veritate hæc nobis Bzouius, quâ Talhemium vtriſque tam Imperatoris, quàm Antipapæ præfuiſſe ſcribit Cancellis, cùm Pontifex in ſua conſtitutione improperet apud Cæſarem hoc eum muneris duntaxat excercuiſſe. Verba eius ſunt: *Necnon & Henricus de Chalem dicti Ordinis, cuius perfectio inter alia poteſt percipi, quia Ludouici de Bauaria ſe pro Imperatore gerentis, de diuerſis damnati hæreſibus, Cancellarij officium diutius gerere non expauit.*

B Z O V. *Omnium tamen eorum impiorum ex officina ſathanæ ſcribentium conatus irritus in vanum, nec impunè illis à Deo cecidit: nam & infeliciter manum ſaluantis, ſanantiſque Ioannis Pontificis euaſerunt, & miſerè extincti ſunt,* &c.

Ciaconius. Si tam peruius Bzouio fieret Ciaconius, quàm liber vitæ, & mortis, legere poſſet Ochamum in Baioaria pœnitentem, & anathemate ſolutum obiiſſe. Magis proinde piè vetus author, & contemporaneus ſeu

Ludouicus de Caſtellione. ſuppar Ludouicus de Caſtellione in ſuo tractatu de paupertate diſcurrit, Michaëlem quidem contumaciæ & Pontificiarum decretalium perperam impugnatarum, non ex vero ſenſu intellectarum, arguens: *In quo facto*, inquit, *videntur mihi duo notanda. Primum de circunſtantia huius perſonæ hæreticæ* (loquitur eo ſenſu quo talis declaratur in ſententia contra eum lata: ipſo porrò defendit ſenſum Pontificis & Michaëlis non fuiſſe diuerſum) *& ſuorum ſequacium. Secundum de occaſione vnde incidit in huiuſmodi hæreſes. Quantum ad primum ſatis notum eſt per Ordinem fratrum, & per plures mundi partes fratrem Michaëlem de*

Ceſenatis qualitas. *Ceſena in officio Generalis Miniſterij, per tredecim annos fratrum Minorum Ordinem gubernaſſe, & tantæ famæ in litteratura, prudentia naturali, & bonitate vitæ, & religionis, tunc temporis extitiſſe, quanta pauci alij ſuæ*

conditionis

conditionis in Eccleſia putarentur. Poſt deiectionem ſuam vſque ad mortem in tanta gratia famæ & opinionis ſanctitatis vitæ fuit in tota Bauaria quoad modum ſuum viuendi, quod deductâ ſpecie contumaciæ, & prauitatis hæreticæ, indubitanter ab omnibus, ad quos ſuæ conuerſationis fama perueniſſet, reputatus fuiſſet, inter homines ducere magis vitam Angelicam, quàm humanam. Idem communiter dicitur quoad modum viuendi de fratre Gulielmo Ocham, in Sacrâ Theologiâ inceptore, de cuius reuerentiâ, ac famâ audiui à fratribus fide dignis de Bauaria, quod in Ciuitate non modicum populoſa, vbi moram trahebat, in tantâ habebatur reuerentiâ ſanctitatis, vt nullus artifex, agricola, vel operarius de totâ ciuitate fuiſſet auſus de mane exire ad operam, niſi prius à fratre Gulielmo prædicto benedictione acceptâ, aliàs non credidiſſent per diem fore ſibi proſperè ſucceſſurum, & conſimiliter modo proportionali dico de aliis ſibi adhærentibus, inter quos plures fuerunt egregiè litterati, ex quorum cauſa, vt mihi apparet, nullus alius moueri debet ad deriſionem, & contemptum, aut lacerationem, ex caninis dentibus, ſed magis humilitatem, formidinem, & timorem, ne à Deo modo ſimili relinquatur, &c. Inferius autem adiungit cauſam rebellionis non veniſſe ex inordinatâ carnis aut oculorum concupiſcentiâ; *Sed à zelo*, inquit, *& amore licèt indiſcretè, Chriſti & Apoſtolorum penuriæ, & paupertatis Euangelicæ, & extremæ ſuæ profeſſionis, inopiæ, & ſuper hæc determinationis ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ*, &c. His concordat Marcus Vlyſſiponenſ. dicens: *Porrò fratres illi non ex appetitu carnis, nec ex concupiſcentiâ oculorum ſe mouerunt, quia ante & poſt cenſuram contra ipſos, valdè religioſè vixerunt, & mortui ſunt in Bauaria ditione dicti Imperatoris, famámque de ſe, noméque reliquerunt bonorum religioſorum inter Eccleſiaſticos, & ſæculares.* & paulò inferiùs: *Quare miſericordiâ digni ſunt, & cuilibet timendum eſt, quia ſcriptum eſt, qui exiſtimat ſe ſtare, videat, ne cadat.* Vide ergò, Bzoui, ne cadas, vel in hoc cecideris, iudicans ſeruos alienos, qui Domino ſuo ſtant aut cadunt: quis enim nouit miſericordias Domini, vel terminum ponet miſerationibus eius, quarum non eſt finis? hiſtorici non eſt perluſtrare Dei iudicia, vel occulta rimari, quæ ipſius Eccleſiæ ſubterfugiunt ſententiam. Mirum ſi id Bzouio reſeruatum homini ad miſericordiam minùs prompto, vt defunctos ad inferos toruâ ablegct præcipitantiâ, antequam iudicis ſententiam aperiat.

Marc. 1. p. lib. 8. c. 14.

Temeritas aduerſarij.

Bzov. *Sancta autem Eccleſia Catholica Romana, &c. quam profani demoliri conabantur, inconuulſa manet: necnon vera, & ſancta diui Franciſci religio, cuius fundamenta conuellere incauti anniſi ſunt, inconcuſſa perſeuerat*, &c.

Scribis, quæ vis, non quæ reperis; illi pro decretalibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & anteriorum ſedecim Pontificum ſtabant defenſione. Appellationem interpoſuerunt ad eandem Eccleſiam, Concilium Generale, vel legitimum Pontificem quemcumque Ioannis ſucceſſorem; quomodo ergò Eccleſiam Romanam demoliri conabantur? quæ

ſcripſerunt in Ioannem XXII. tanquam in priuatam perſonam egerunt, non in Pontificem, in hoc quidem errantes; non conabantur tamen demoliri per hoc Eccleſiam; ſicut nec religionem diui Franciſci, pro qua tot adierunt labores. Hæc enim omnia contra Ioannem Pontificem moliti ſunt, vt regulam, & religionem ſaluam cuſtodirent. Hoc deciſio Peruſina teſtatur, & quæ pro eius adſertione ſunt ſcripta.

Eodem anno num. 9. 10.

Poſtquam ex mutilato partim, partim aucto, & ſingulari fide verſato Mutio, Norimbergenſis, & Spirenſis Conuentus acta nobis exhibuit Bzouius, ſubiungit Ioannis in Concilio Auinionenſi decretum, quod eò totum recidit, vt Petri Corbarij palinodia ſub eodem anno ſecundo nunc lucem videns, paginas impleat, tomúſque auctior, quàm copioſior grauidetur, iiſdem iam tertiò replicatis opprobriis, è re tamen id Bzouij, vt qui idoneam fellis, & veneni materiam in vno carpit Antipapa Corbario, eiúſque confeſſione; quæ etſi pœnitentis redoleat humilitatem, & affectum, à debita tamen ſtyli moderatione ſicut longè declinat, ita & veritatem nimiâ inſectatione aliorum deterius in quibuſdam negligit, vt offenſo nimirum Ioannis animo facilius ſurrepat quo acrius in hoſtes inuehitur. Sed quia virtutis eſt gladium aduerſario extorquere, licebit mihi ex his, quæ in opprobrium noſtræ religionis accumulat, ſi non defenſionis, excuſationis ſaltim legitimæ adminiculum, ceu ſcutum aliquod obtendere. Non leuis fateor ea fuit tempeſtas, atque tentatio hinc in ruborem religionis Franciſcanæ Petrum Corbarium, velut quoddam abominationis idolum in loco ſancto intruſum vidiſſe, ſchiſmatis pernicioſi caput; illinc verò Michaëlem Ceſænatem Miniſtrum Generalem cum quibuſdam aliis excuſſo debitæ ſubiectionis vinculo, iugum confregiſſe; inter haſce tamen procellas non ſine diuinæ protectionis miraculo erat intueri totum religionis corpus imperterritũ, & inconcuſſum permanſiſſe, vt quantumlibet inutiles quoſdam ramos eius excuſſerit propriæ opinionis, & ſuperuenientis perſecutionis, ſeu tentationis turbo, fixâ tamen radice, ſtabili, & integro perſeuerauerit trunco, quem nec Pontificis indignatio, nec æmulorum machinamenta & ſubdola artificia, nec prædictorum fratrum pernicioſum exemplum, loco vnquam dimouit; quin & veri Pontificis in indignatione, obedientiam; & ſuæ regulæ, decretaliúmque Apoſtolicarum in perſecutione veritatem ſimul complectens retinuerit. Hinc in Capitulo Bononienſi, vt ſuperiùs viſum eſt, nec precibus, nec perſuaſionibus Cardinalis Beltrandi ceſſit, nec Ceſænatem officio abſoluit, quantumlibet Ioannis Pontificis ſuper hoc complacentia, & ſtudium obtenderetur; verùm ſicut confirmauit denuò Michaëlem in officio, ne Peruſinæ deciſioni, & decretalibus Nicolai præiudicium quoduis eius ſtatueret abdicatio: ita eundem ab obedientia Pontificis transfugam abdicauit, & damnauit in Capitulis Pariſienſi, & Perpinianenſi, tantùm

Diluitur inuidia ſchiſmatisquam aduerſarius intentat.

Conſtantia religionis.

tantúmque abeſt, vt præcipitem fuerit ſecuta, vt fugientem ſimul eum ſequacibus reprobarit; Corbarium verò nunquam agnouit, quem in prædicto Capitulo Pariſienſi rebellem, ſchiſmaticum, apoſtatam declarauit.

Audi ergò Bzoui vnum hoc & ſingulare fidei & obedientiæ Franciſcanæ argumentum. Ceſænas Generalis totius ſodalitatis Miniſter, tredecim annis religionem gubernauit, tantus,ac talis vir, vt inter primos obſeruantiæ regularis, prudentiæ, pietatis, & doctrinæ omnium iudicio haberetur. Hic de ſua religione optimè meritus, eidémque acceptiſſimus; hic pro defenſione totius ſtatus ſimul, & regulæ factus Pontifici rebellis communem non propriam prætendebat cauſam; hic in tantis occaſionibus, vt eſt iniuſta vexatio, iuſta indignatio à Ioanne Pontifice toti religioni oblata; aſſumptio Petri Corbarij, ex prætenſa eiuſdem Ioannis, ob intentatam prauitatis hæreticæ maculam, ruinâ; paratum Ludouici Cæſaris, & omnium adhærentium patrocinium, ſchiſmata, & tumultus omnium penè Eccleſiarum ob iniquam reſeruationem beneficiorum, & electiones, quas ad Sedem Apoſtolicam Ioannes ſub ſpecie deſtruendæ ſimoniæ reuocauit; in his, inquam, occaſionibus nulli ex totâ multitudine inuenti ſunt Ceſænati adhærentes, quos dignos cenſeret Pontifex, vel ipſe ordo, qui ſententiam damnationis acciperent, præter Gulielmum Ochamum, Henricum Talhemium, Bonagratiam conuerſum, & Franciſcum de Eſculo:alios in proceſſibus tam Pontificis, quàm ipſius religionis, contra refractarios, non inuenies expreſſos. Quid ſi fuiſſent? certè nec religionem, nec Pontificem prætериſſent qui Bonagratiam conuerſum parem cum reliquis ſententiâ inuoluerunt, tantâque diligentia non ſemel, aut iterum; ſed toties in cauſa proceſſus inſtituerunt, & per vniuerſas religionis Prouincias curarunt publicari, vt neminem ſubterfugere poſſent. Sed qui eundem Michaëlem audiret, eam profectò fugæ ſuæ rationem, eáque pericula allegat, vt proculdubiò excuſabilis fieret, ſi periculis ſe duntaxat ſubtraheret non obedientiæ; ſi criminationibus in Pontificem abſtineret, ſi eâ tandem quâ par erat, modeſtiâ ſuæ cauſæ defenſionem inſtitueret: in hoc ergo culpabilem non excuſo, nec excuſabilis eſt, præceps inobediens, & ſchiſmaticus.

Alterum offenſionis lapidem ſummoueamus, quem toties ſuppoſuit aduerſarius, intruſionem Corbarij, terrorem magis, quàm lapſum intentans. Quid enim in hoc peccauit religio Franciſcana, ſi eadem obnitente circumuentus eſt Corbarius? primus lapſus Corbarij fuit, quod religionem non audierit: præſtat hoc ipſius verbis referre: *Inprimis itáque*, inquit, *confiteor, & cum ingenti amaritudine recognoſco, quod cùm*, &c. *religioſus vir frater Ioannes de Marliano miniſter Romanæ Prouinciæ dicti Ordinis Fratrum Minorum, ac Reuerend. in Chriſto Pr. D. Ioannes Dei gratiâ S. Theodori Diaconus Cardinalis Sedis Apoſtolicæ, ac eiuſdem V. S. Legatus pro maiori obſeruatione interdicti (cui tunc erat per vos ſuppoſita vrbs prædicta) eiuſdem Ludouici aduentu percepto, mihi, & aliis fratribus in eadem vrbe morantibus, ſub virtute obedientiæ, & excommunica-* Confeſſio Corbarij.

tionis pœnis, quas non parentes ipſo facto incurrerent, publicè iniunxiſſent, vt dictam vrbem exiremus: ego tamen infelix peccator præceptis huiuſmodi non obſtantibus, licèt omnes alij fratres (paucis exceptis) eiſdem Legato, & Miniſtro promptiùs obedirent in eadem vrbe, &c. *pertinaciter remanere præſumpſi.* Hactenus Corbarius. contra quem etiam, ad effectum punitionis, proceſſit vlterius idem Miniſter latâ ſententiâ perpetui carceris, quia præcepto factus eſt contumax. Hoc inſinuatur in edicto Capituli Pariſienſis aduerſus eundem promulgato, vbi hæc verba leguntur: *Petrus etiam de Corbario prædicti Ordinis noſtri profeſſor fictus, & falſus Antichriſtianâ impietate in Antipapam intruſus, & per dilectum Fr. Ioannem Miniſtrum in Prouinciâ Romanâ. prius pro ſuis demeritis excommunicatus, & ad pœnam perpetui carceris ſententialiter condemnatus*, &c. Vide ergò quàm præter voluntatem religionis fuit Corbarij intruſio: quinimo & contra iam intruſum in Capitulo Pariſienſi anno 1329. ex Ordinis ſtatutis, & priuilegiis Apoſtolicis promulgauit cenſuram, quæ aduerſus rebelles, & apoſtatas ferri conſueuit, quam mox Perpiniani innouauit anno 1331.

Sententia Capituli Perpinianenſis in Corbariū.

Extat apud Bzouium annis præfatis.

Quid amplius inhæreo? prouoco ad Ioannem Villanum huius temporis hiſtoricum, qui lib. 10. cap. 70. & 73. depoſitionem Ioannis, & Corbarij intruſionem præ cæteris diligenti obſeruatione deſcripſit, perſonas, locum, proceſſum, & ſucceſſum totius tragœdiæ adnotauit: præter Corbarium tamen nullus apud eum deſignatus Franciſcanus, qui ſcenæ ſe immiſcuerit. Conſuli poſſunt Argentinas, Ciaconius, Platina, Maſſonus, Onufrius in Ioannem XXII. Trith. in Chron. Hirſaug. an. 1327. Blondus decad. 2. lib. 9. Bergomas 1324. Nauclerus, Mutius, Corius, Rebdorſius pag. 26. de rebus geſtis Ludouici anno 13. regni, & pag. 16. anno 1326. cuius verba, quia vetus author, tranſcribo: *Vbi* (ſupple, Romæ) *ad ſuggeſtionem quorundam clericorum, & populi Romani. prædictum Papam Ioannem deponere præſumpſit* (ſupple, Ludouicus) *& de conſilio prædictorum quendam Fratrem Minorem, dictum Petrum de Corbario, nouum Papam ordinauit, qui conſecratus fuit à prædicto Epiſcopo Caſtellano, & appellatus Nicolaus V.* &c. nullus, inquam, apud hos Franciſcanus tanti ſceleris notatur, quibus etiam concordant conſtitutiones Pontificiæ in debitam criminis execrati vltionem promulgatæ, ſiue aduerſus Ludouicum, ſiue Corbarium. Nicolaus Fabrianenſ. Eremita Abbas S. Ambroſij, & Abbas quidam Germanus ex omnibus religioſis huic rei interueniſſe ſcribuntur; ex clero verò Epiſcopus Caſtellanus, & quidam Canonici Romani, cum populo, & magnatibus nonnullis, quorum ſuggeſtione intruſus eſt Petrus, & depoſitus Ioannes. Hinc etiam euenit, vt in grati animi atteſtationem, idem Petrus velut acceptum reponens beneficium, non fratres Minores (quibus nihil in hoc debuit) ſed eundem Epiſcopum Caſtellanum, Nicolaum Fabtianenſ. vtrumque Abbatem ſupra memoratos, Petrum Oringi, & Ioannem de Arlotto, populares Romanos, & Archiepiſcopum Modonen. aliàs exauthoratum, Anticardinales ſublimauit, ſeu veriùs profanauit tertia à ſua intruſione die. Conſulatur Villanus cap. 75.

Regiſtrum

Regiſtrum Antipapæ tranſcriptum ab Onufrio,& Ciaconio in Ioannem XXII. & vt breuiter concludam toto biennio, & aliquot menſibus quibus præſumptum execrationis ſuæ munus exercuit, vnum tantùm inuenio Franciſcanum ab eodem ordinatum Archiepiſcopum Genuenſem, meritò ab illa Rep. exploſum, quod inſtar argumenti declarat, quàm inuiſa ſemper fuerit religioni Franciſcanæ hæc Corbarij intruſio, quámque ab eadem non tam immunis, quàm ab intruſo aliena prorſus extitit. Hoc non obſcurè idem ipſe in præfata ſua confeſſione annuit, dum inter cæteros articulos, illum etiam adiunxit, quo perſecutionem in Fratres Minores non obedientes depoſito Michaëli vtroque gladio ſe mouiſſe confitetur.

Sed quid de ipſa Corbarij perſona? erit ne aliquis excuſationi locus in tanto ſcelere? ipſe in ſua confeſſione intellectum non obliquè culpat ſeductum ſe aſſerens: *Importunis precibus, pernicioſis inſtantiis ac infeſtis, falsè, & erroneè aſſerentium, quod Papam Imperator deponere poterat. & loco depoſiti alium ordinare,* &c. Nempe in hoc prætendebant exemplum Othonis, qui Ioannem XII. cum Concilio Epiſcoporum, & aliorum Clericorum Germaniæ, & Italiæ in ordinem redegit, ſubſtituto Leone VIII. Maius quoddam ad depoſitionem Ioannis fabricatum eſt commentum, obiecto hæreſis crimine; falsò id quidem, animo tamen Corbarij ea potiſſimum ſurrepſit opinio; vnde iuſtè putarit Ioannem exauthoratum, ſéque vacuam, non alienam ſedem aſcendiſſe, quam mox detecto errore ſuo, ſponte non coactus reliquit. Indicium ſanè non tam præpoſterá voluntate ſcelus attentaſſe, quàm ex ipſa rei enormitate, & facti inuidiâ poſſet præſumi, ſeu interpretari. Authores ergo reiiciendi, qui vel hominem incautè lacerant, vel conuerſionem eius primam, poſtquam à Piſanis captus eſt, iniecto periculo, non tam ſpontaneam, quàm extortam prædicant, eam reiicientes in 25. Auguſti anni 1330. quando is in conſiſtorio ad pedes Pontificis, appenſo ad collum capiſtro memoratam ſæpius confeſſionem habuit. Confeſſio Corbarij. Conſtat inferius ex epiſtola ipſius.

Porrò hæc ſententia vel ex ipſa confeſſione reiicitur: ita enim habet: *Ego Frater Petrus de Corbario de Ordine Fratrum Minorum ſceleratiſſimus peccatorum, hoc conſiderans, & attendens, volens in miſericordia veritatis, quam vbique deſerui, & miſericordiam, & gratiam inuenire, quamuis nuper Piſis exiſtens coram Reuerend. Patribus Domino Simone Archiepiſcopo Piſano, & Domino Gulielmo Epiſcopo Lucenſi, & diſcreto viro, Magiſtro Raymundo Stephani, Clerico Papalis Cameræ, & Apoſtolico Nuncio, præſentibus multis prælatis aliis, ac religioſis, & nobilibus, ac popularibus Ciuitatis Piſanæ, errores meos, & ſcelera ſpontanea cum ingenti cordis amaritudine confeſſus fuerim, & à præfatis Archiepiſcopo, & Epiſcopo authoritate Apoſtolicâ per litteras Apoſtolicas patentes eis in hac parte conceſſas, lectâ prius confeſſione, in eâ, & abiuratione errorum meorum, & præſtito iuramento de ſtando, & parendo mandatis Apoſtolicis beneficium abſolutionis habuerim, ab omnibus ſententiis iuris, & hominis,* &c. Corbarij confeſſio.
Piſis ergò primum abſolutus eſt Corbarius ex authoritate Apoſtolicâ; erroréſque abiurauit ſpontaneè; libertatíſque ſuæ adhuc compos, iu-

ramentum

ramentum emiſit de ſtando, & parendo mandatis Apoſtolicis: mox autem captus 4. Auguſti ſine mora vlla Auinionem tranſmiſſus eſt, vt habet Villanus cap. 164. vnde nec tunc occaſio, nec mora, nec tempus fuit ad eiuſmodi primùm abiurationem faciendam, idoneum: priùs ergo emiſſam oportet, quàm caperetur à Piſanis, tunc opinor, quando Pontifex recepit Petri literas pœnitentis ſuper errore commiſſo, & ſupplicantis, vt ad communionem, & debitam ſatisfactionem reciperetur, tunc, inquam, miſsâ ad dictos Prælatos congruâ authoritate crediderim non multis antea diebus, & hoc ſaltim anno 1330.

Operæpretium fecerim exemplar earum litterarum hîc inſerere, quas ſimul cum ipſa confeſſione publicari fecit Ioannes per totam Germaniam datâ epiſtolâ 8. Idus Septembris eiuſdem anni, quæ vtraſque tam literas, quàm confeſſionem comprehendit. extat apud Bzouium numero 10.

Conuerſio Petri Corbarij libera & ſpontanea. *Et vt certiores* (inquit Pontifex) *reddantur, quòd ad ea, quæ continentur inferiùs, dictus Petrus non vi, non metu proceſſerit, ſed propriâ, ſpontaneâ, & à Spiritu ſancto motâ (vt nunc credimus) voluntate, tranſſumptum cuiuſdam litteræ, manu propriâ dicti Petri dum adhuc in loco ignoto nobis exiſteret, miſſæ nobis annotandum præſentibus duximus: quod tale eſt.*

Literæ Corbarij ad Pontificem. *Reuerendiſſimo ac Sanctiſſimo Patri & Domino Ioanni Papæ ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Fr. Petrus de Corbario dignus omni pœnâ ſeipſum ad pedes cum reuerentia veræ ſubiectionis proſternit.*

Licèt ſecundùm Canonem Euangelicæ veritatis, qui non intrat per oſtium in ouile gregis Dominici fur appelletur, & latro rapacitatis lupinæ, audiens, & conſiderans diligenter tanta enormia ſcelera, prauitatis hæreticæ ſtylo ferreo exarata in vngue adamantino, quanta dicebantur à multis de

Nota. *veſtrâ ſolidâ fide.* (Nota ſeductionis Corbarij cauſam fuiſſe, quod putauit verè obiectum eſſe Ioanni crimen hæreſis) *ſicut præſumptioſus, temerarius, & ſuperbus aſcendi ſuper aſtra cœli Eccleſiaſtici, vbi mihi meis peccatis exigentibus parata fuit ſedes prælationis iniquæ. Sed poſtquam deueni ad territorium Piſanum, & quæſiui diligentiſſimè de prædictis, & inueni, quod obliqua erant, & falſa, & deficiebant à pondere veritatis, dolui, & doleo vehementer, & pœnitet me feciſſe, quæ feci contra iura, & leges veſtri ſanctiſſimi nominis de conſilio peruerſorum. In cuius rei teſtimonium, iam eſt annus completus, quod aduerſarium veſtrum ſpontè dimiſi, & ſedem mei præſumptuoſi culminis dereliqui, & propono firmiter in Ciuitate Piſana & etiam in vrbe, & vbicumque locorum errata mea palam emendando renuere, ſecundùm quòd veſtra benigniſſima ſanctitas decreuerit ordinandum, & quia grauiſſimè peccaui, & erraui patenter in inuio, & non in via; ſupplico veſtræ clementiſſimæ pietati, quatenus mihi maximo peccatori dignemini parcere, ſecundùm multitudinem magnam miſericordiæ Dei viui: vt renuens ex totis viſceribus deleam, & adnihilem ſupradicta de cordibus vniuerſorum fidelium, & ora claudam omnium obloquentium de veſtra ſereniſſima ſanctitate: vt in Eccleſia de cætero ſit vnus paſtor, & vnum ouile pro pace totius populi Chriſtiani. Datum in confinibus Lucaniæ,* &c. Hæc epiſtola Corbarij, quæ ſpontè eum ceſſiſſe demonſtrat.

Eam

Eam in dubium vocat in primis magnus vir Cancellarius Bauariæ hoc anno contra Bzouium nempe 1330. eâ potiſſimum ratione, quod aſſerat completum eſſe annum ante ſcriptam epiſtolam, quo ſponte Ludouicum deſeruit,& Pontificatu ceſſerit,cùm ex Villano non magis quàm tres fluxerint menſes : nam vt Villanus ait cap.119. an.1329. die 29. Ianuarij creauit Petrus Ioannem Vicecomitem Cardinalem interuentu Ludouici; nec probabile eſt eundem Petrum deſeruiſſe Ludouicum toto Februario, Martio, & ad vſque 11. Aprilis, quo ille Piſis diſceſſit, ſeu menſe Iunio,vt ibidem, & alibi inſinuauit Villanus; captus eſt autem eodem anno 4. Auguſti, inter creationem autem Ioannis Cardinalis, & captionem medius annus interceſſit duntaxat, & aliquot dies.

Cæterùm voluntariæ ceſſioni Petri, & huic eius epiſtolæ teſtimonium perhibet in primis ipſe Ioannes Pontifex alio loco, in eâ reſponſiuâ, quam ad initium huius anni ſuperiùs reperies ſcriptam Regi Bohemiæ, qui pacificationem Ludouici cum Pontifice certis conditionibus tentauit,quarum primam obtulit, depoſitionem Corbarij; cui ſic reſpondet Pontifex: *In primis enim offertur pro parte ſuâ, quod ipſe Bauarus deponet ſuum hæreticum Antipapam, hoc autem non eſt offerre emendam aliquam de commiſſis. Primò quia etiamſi verus Imperator exiſteret, quod tamen conſtat eum non eſſe, depoſitio talis ad eum nunc non pertineret. Secundò quia ipſemet Petrus de Corbario reatum ſuum humiliter recognoſcens à ſtatu illo (quem de facto receperat) illi renunciando, ſe de facto depoſuit, & ab ipſo diſceſſit Bauaro, ſicut his diebus præteritis per ſuas litteras manu ſcriptas propriâ, quarum tenorem infra reperies, nunciauit, &c.* Bzouius. Epiſtola Ioannis ad Regem Bohemiæ.

His accedit grauis author Aluarus Pelagius qui lib. 1. de planctu cap.39. idipſum ſubindicat his verbis loquens de Ioanne: *Quia fauente Domino de inimicis triumphabit, & qui iam de impio dicto Petro triumphat, qui diu latitans in partibus Tuſciæ, & alibi, tandem ad cor rediens, vtinam in veritate, ſe per literas tempore meo Domino Papæ Ioanni de tantâ temeritate, & malignitate culpabilem proclamauit, & veniam poſtulauit, & tandem perſonaliter Auinionem veniens, vel potius ductus, coram dicto Domino Papa Ioanne, & Collegio Cardinalium, & Clero, & populo adſtante, de intruſione ſuâ, & ſchiſmate, quod in Eccleſiâ Dei fecerat, Sedem Apoſtolicam, viuente dicto Papâ Ioanne legitimo inuadendo, ſuam culpam dixit, & veniam poſtulauit, & quatenus de facto Papatum vſurpauerat, reſignauit, & curialiter detinetur.* Hæc Aluarus rem ſub oculis geſtam referens, & primùm quidem Petrum per litteras ſupplicem Pontifici veniam poſtulaſſe (quod Piſis videtur contigiſſe) & tandem deductum Auinionem.

Quod verò in contrarium obiicitur non vrget ex eo quod Petrus non eo anno 29. quo ſeparatus dicitur à Cæſare (ſiue in menſe Iunio, ſiue in Aprili ea contigit ſeparatio) ſed anno ſequenti ductus ſit Auinionem, vt habet Villanus cap.164. lib. 10. author catalogi Viennenſis, ex quo deſcripſit tam Maſſonus, quàm Ciaconius præfatam Corbarij Villanus. Author catalogi.

Rebdorfius Onufrius.

confeſſionem, Rebdorfius pag. 17. Onufrius in Ioannem XXII. quibus rectè concordant litteræ Pontificiæ ſuperiùs expreſſæ: nam ea, quæ eſt ad Regem Bohemiæ data eſt 2. Kalend. Auguſt. Pontificat. an. 14. qui fuit Saluatoris 1330. nam Ioannes Pontifex electus eſt anno 1316. 7. Idus Auguſti. Altera autem, cui inſeritur tam epiſtola, quàm confeſſio Corbarij, data eſt 8. Idus Septembris menſis ſequentis Pontificatus anno 15. qui fuit idem ſcilicet 1330. annus enim Pontificatus computatur ab Auguſto menſe, in quo is electus eſt. Scripſit Ioannes ad Regem Bohemiæ 2. Kalend. Auguſti dicens iis diebus ſe recepiſſe litteras Corbarij, quod contigiſſe oportuit menſe Iulio; ſcripſerit eas Corbarius vel hoc ipſo, vel certè in Iunio, annus interceſſit inter ſcriptionem litterarum, & receſſum à Ludouico, qui ſuperiori anno contigit menſe Aprili, vel Iunio. Corrigendi tamen Genebrardus, Onufrius, & Ciaconius, qui tres annos, & tres menſes eidem Antipapæ conſtituunt ab electione eius donec Auinionem tranſlatus eſt, cùm tranſierint duo tantùm anni, tres menſes, dies tredecim, vtpote intruſus eſt an. 1328. menſis verò Maij die 12.

Error Genebrar. Onufrij Ciaconij.

Cæterùm ex his ipſis Pontificis literis, de eâ Corbarij pœnitentiâ quid ſenſerit Pontifex, annectendum duxi: Ita enim ille inſertæ abiurationi, ſeu confeſſioni ſubiungit: *Nos verò conſiderantes, quod ipſum Petrum ad conuerſionem huiuſmodi, non induxerit violentia aliqua ſed timor Dei, ſpontaneáque voluntas; necnon quod eius contritio videtur probabiliter eſſe vera: tum ex eo, quod in præmiſſa Ciuitate Piſana, & ad nos veniendo in multis eiulatibus, & locis Prouinciæ publicè, & hîc etiam in Curiâ, tam in publico conſiſtorio, quàm priuato non erubuit confiteri; nec ad noſtram ſponte prætermiſit venire præſentiam, pro gratiâ humiliter & deuotè ac miſericordiâ impetrandis; tum etiam quia paratum ſe obtulit, & offert, quæcumque ei iniungenda duximus, adimplere: vt partes noſtri officij exequamur, eiúſque actibus (cuius vices gerimus in terris) noſtros conformemus, prout eſt nobis poſſibile, qui mortem peccatorum non deſiderat, ſed vt conuertantur, & viuant, de fratrum noſtrorum conſilio abſolutionem, & reincorporationem prædictorum Archiepiſcopi Piſani, & Lucanenſis Epiſcopi ratas habentes, ac etiam confirmantes: nihilominus ipſum Petrum ad noſtram, & Eccleſiæ reſtituentes gratiam abſoluendum duximus, & reincorporandum ſanctæ Dei Eccleſiæ vnitati*, &c. Ecce tibi, Bzoui, Petrum conuerſum, *nullâ violentiâ, ſed Dei timore & ſpontaneâ voluntate*, ad Pontificis adductum præſentiam, non repugnantem, ſed ſpontaneum; veræ pœnitentiæ argumenta exhibuit; ſeductus fallaci credulitate Pontificatum iniit, compertâ mox veritate ſponte & ſtatim depoſuit; errorem, ſcriptis ad Pontificem literis, recognouit; veniam ſuppliciter deprecatus, voluntati Ioannis veri Pontificis ſe in omnibus permiſit, & ſubdidit. In lapſu quidem ſicut error præualuit malitiæ, ſic in reſipiſcentia conuerſio verecundiæ, vt in homine Franciſcano, cuius caſus fuit ſcandalum, veræ pœnitudinis, & humilitatis tantum non verecundemur exemplum: peccatum ergò Corbarij commiſeratione hominis magis, quàm opprobrio proſequendum religionis Seraphicæ,

Teſtimonium Ioannis Pontificis de conuerſione Corbarij.

phicæ, tanquam ille conſentiret in delictum, vel diſſimularet punitionem, intruſionem procuraret, aut intruſo adhæreret. Exiuit ille quidem à nobis, ex nobis tamen non fuit, alioquin ſuperioris vocem audiret, Prouincialis ſui præſcriptum ſequutus diſcrimen euitaret, & cum ipſa religione ſubiectus vero paſtori Ioanni perſeueraret; quod aberrauit, inobedientiæ, & propriæ volunraris fructus extitit, in fugitiuum tamen ipſa primùm religio mucronem ſtrinxit, excommunicatum denunciauit, & pœnâ perpetui carceris damnauit, mox in Comitiis Generalibus Pariſiis rebellem, intruſum, ſchiſmaticum denunciauit, & per omnes totius Ordinis Prouincias haſce ſententias aduerſus eum promulgauit. Sed hæc ſatis de Corbarij ſchiſmate extorſit aduerſarius, ad reliqua properandum.

Eodem annò numero 21.

B z o v. *Chaldæi qui Goæ, Cocchini, Angamalæ atque in inſula S. Thomæ ante aduentum Patrum Societatis Ieſu reperiebantur, omnes pariter profeſſione Neſtoriani obediebant Patriarchæ Babylonis: nunc quidem magna eorum pars ſtudio, & diligentiâ Ieſuitarum ad Eccleſiam ſanctam Catholicam reuerſa Summum Pontificem colit*, &c.

Hæc obiter ad notata ſtudium authoris demonſtranr; poterat nempe Bzouius qui iam per rredecim annos totus eſt in opprobriis contra Franciſcanos, hic ſaltem aliquam eorum memoriam ſuis conſignare monumentis; licèt enim in iſtâ vineâ egregiam operam locarunt Patres Societatis, ei etiam non defuerunt Franciſcani, qui viam ruptâ glacie aperuerunt cæteris, & ſoli per quadraginta integros annos pondus diei, & æſtus ſuſtinuerunr antequam ſubſidiarios aliunde ſubmiſſos reciperent. Quàm familiaris porrò hæc diſſimulatio laudis Franciſcanæ ſit authori, ſicut alibi paſſim, ita in ſequentibus apparet. Friuolâ namque occaſione ſubinducit pro augmento voluminis narrationem conuerſionis & Synodi modernæ Chaldæorum, quam hîc texit ad an. 1330. licèt contigerit trecentis annis poſteà, videlicet 1616. quia huic tamen conuerſioni interueniens præfuit ſolus Franciſcanus Venerandus Pr. Fr. Thomas Nouarienſis Cuſtos Alepenſis S. D. Pauli V. Legatus, tacetur, quia Franciſcanus eſt, de quo non eſt cura Bzouio; Patriarchæ tamen Chaldæorum literis abundè laudatus, & ob rei benè geſtæ commendationem ordinatus Terræ Sanctæ Commiſſarius & Guardianus Hieroſolymitanus.

Anno 1331, num. 1. & 2.

Conuerſio Chaldæorum ad hoc tempus & ætatem impertinens longè ſuperfluâ narratione diſiunxit Bzouium ab aduerſario Ceſænate, vt

periculum ſit, ne is elabatur; propterea num. 1. huius anni in eundem producit Gerardi Odonis Apologiam pro Ioanne Pontifice ſcriptam, & num. 2. Capituli Generalis Perpinianenſis eodem Gerardo præſide renouatam ſententiam ociùs ſuſpendit. Væ tibi Ceſænas Bzouiani calami interminabile negotium.

BZOV. *Hac Gerardus Miniſter Generalis Ordinis Minorum Fratri Michaëli apoſtatæ, vt eum ad ſenſum conuerteret, ſcribebat, cùm iam ſententiam definitiuam in eodem, & in præcedenti Pariſienſi Capitulo Generali contra eum pronunciaſſet, eam placuit adſcribere, quod & mores Fratris Michaëlis luculenter depingat, & Ioannis Summi Pontificis innocentiam contra calumniatores etiam huius temporis euidenter oſtendat*, &c.

Michaëli non faueo, nec excuſo hominis lapſum, quod præcepto Pontificis factus ſit contumax, ex contumace verò ſchiſmaticus; quod decretales Pontificis etiam impugnauerit malè intellectas. Cæterùm quia tredecim annis religionem iis meritis rexit, vt cum quoquam alio iure comparari poſſit, eum calumniis opprimi non permittit æquitas, aut ſincerum veritatis inquirendæ ſtudium, quod vnum mihi præ oculis eſt, vt meritò proinde ſuſpectum habeam, quidquid authore Gerardo ſiue in Michaëlem emanauit, ſiue in totius controuerſiæ ſtatu motum reperitur: vir fuit Gerardus prudentiæ humanæ, & literis magis excultus, quàm ſui ſtatus, & regulæ verus cultor. Hinc in Comitiis generalibus, quæ ſub eodem Michaële Lugduni celebrata ſunt anno 1325. nihil non tentauit, quo expungeretur ex regula, illa clauſula, quâ pecuniarũ receptio per ſe vel interpoſitam perſonam cauetur: ſed ab vniuerſitate Ordinis, & Miniſtro Generali repulſus eſt. ita Marc. lib. 8. cap. 13. Marian. lib. 8. cap. 4. cuius verba ſunt: *In iſto Capitulo præfatus Fr. Gerardus Odonis fuit Fratri Michaëli Generali valde contrarius, ac attentauit, & perſuaſit illum punctum regulæ de non recipiendo pecuniam per ſe, nec per interpoſitam perſonam, de ipſa regula amouere, vt deinceps ſcandala, quæ hucúſque in ordine videbantur orta, à tempore Fratris Petri Ioannis, vitarentur, quod non potuit vllis rationibus obtinere*, &c.

Gerardus Odonis ſuſpectus cõtra Ceſænatem.

Marcus. Marian.

Michaëli tandem is ipſe ſurrogatus fauore tam Pontificis, cuius fuit compatriota, quàm Cardinalis Beltrandi, idem denuò non modò conatus eſt, ſed conatui manum adiecit in Capitulo hoc Perpinianenſi anno 1331. putans id Ioanni, cuius gratiæ, & fauori ſe per omnia componebat, non minus fore gratum, quàm damnationem Michaëlis. Rem fuſius narrat Marianus lib. 4. cap. 9. nihil tamen efficere potuit in Capitulo, obſiſtente Ordinis communitate, & congregatis ſimul Patribus, quibus præter regulæ venerationem, & zelum, non inanis fuit ſtimulus epiſtola Dominæ Sanciæ Reginæ Ieruſalem, & Siciliæ dehortatoria, in eum finem ſcripta, digna ſanè quæ hîc ob pietatem, & zelum inſerta memoriæ commendaretur, niſi quod obuia ſit apud

Improbi eius conatus,

Marian.

Marcum

Marcum cap. 24. argumento autem eſt Gerardum non vſque adeò occultè regulæ corruptelam attentare voluiſſe, quin fama præuenerit euentum. Quod ergo in Capitulo obtinere nequiuit, aggreſſus eſt omnem difficultatem expugnare Apoſtolicâ authoritate, quam paratam ad hoc pollicebatur; longius id refert Aluarus Pelagius, lib. 2. de planctu cap. 67. tum præſens. Gerardus porrò adiunctis ſibi partim minis, partim precibus quibuſdam Miniſtris, celebrato Capitulo, id inſtanter primùm impetrare ſtuduit, vt omnes Apoſtolicæ declarationes, & illa potiſſimum Nicolai III. (è cuius gremio Peruſina deciſio extracta fuit) reuocarentur, tanquam contra regulæ purum intellectum editæ, contra intentionem S.P. Franciſci prohibentis gloſſas in regulam fieri; non obſeruabiles; periculo fratrum, multiſque difficultatibus obnoxiæ, ſuas deinde ſuppoſuit tam pernicioſas, violentas, & à regulæ ſenſu obtortas, vt niſi tali, tantóque authore vererer id referre. Primum declararunt illa verba regulæ: *Præcipio firmiter fratribus vniuerſis, vt nullo modo denarios vel pecuniam recipiant vel per ſe vel interpoſitam perſonam*, &c. Vltima hæc verba referendo ad ſequentem, *Pro neceſſitatibus tamen infirmorum Miniſtri & Cuſtodes ſolicitam curam gerant*, &c. Quaſi pro neceſſitatibus infirmorum & fratribus induendis liceret pecuniam liberè recipere ex ipſa regula per interpoſitam perſonam. Aluarus Pelagius.

Declararunt ſecundo nomine infirmitatis quamcumque neceſſitatem ſiue corporalem, ſiue ſpiritualem intelligi debere, ita vt pro quauis pecunia recipi poſſit per interpoſitam perſonam.

Tertiò hæc verba regulæ: *Et vbicumque ſunt fratres, qui ſcirent & cognoſcerent ſe non poſſe regulam ſpiritualiter obſeruare ad ſuos Miniſtros debeant, & poſſint recurrere: Miniſtri verò benignè & charitatiuè eos recipiant*, &c. Hæc, inquam, verba ita interpretati ſunt, vt Miniſtris per ea conceſſum ſit in regulæ præceptis diſpenſare, ſed quis tandem ſucceſſus? *Quatuordecim autem*, inquit Aluarus, *ſigilla miniſtrorum partim voluntariorum, partim timidorum, quorum aliquos ad contrarium de eo, quod agebant, diu, & efficaciter confortaui, & eos non potui reuocare (quia a fratre Gerardo Generali Miniſtro tunc minis, & iniuriis arctabantur, Auinione tempore prædicti Domini Papæ Ioannis XXII.) & tempore meo cum ſigillo prædicti Generalis Miniſtri fratris Geraldi de Aquitania, qui fuit author, & principalis gloſſator trium gloſſarum extortarum, prædictam regulam deſtruentium in vnâ chartulâ pependerunt, & eam dictus Generalis cum quibuſdam de prædictis Miniſtris Domino prædicto Ioanni Papæ præſentauit, adſiſtentibus multis Cardinalibus, Dominus autem Papa*, &c. *dixit prædicto fratri Geraldo qui tres prædictas gloſſas*, &c. *confecerat credens placere ipſi Papæ Ioanni, & à quo capellum rubeum expectabat, in præſentiâ Miniſtrorum; Generalis, intellectus iſte, quem in duobus prædictis Capitulis regulæ das, extortus eſt, & contra regulam eſt, & non credimus, quod de mille fratribus, vnus de ordine tecum in intellectu huiuſmodi concordaret. Cardinales autem Domino Papæ adſiſtentes gloſſas prædicti Geraldi contra regulam, dicentes & ipſum concorditer deridebant, cognoſcentes de qua radice peſtifera fuerint fabricatæ*, &c. *Poſtquam prædictus*

Generalis Miniſter, & alij Miniſtri contra ſacram regulam coniurantes, ſui peſſimi conatus non habuerunt effectum, compoſuerunt malitiæ malitiam adiungentes, quod poſtquam declarationes non poterant facere reuocari, nec ſuas gloſſas authenticare, de declaratione Domini Clementis, Exiui de paradiſo, *certos articulos procurarent auferri. Sed in hoc ſuccubuêre etiam coram Chriſti Vicario & eius Reuerendiſſimis Cardinalibus manu altiſſimi eos Beati Franciſci meritis repellente.* Hactenus Aluarus, &c.

Si hæc ergò Gerardus potiſſimum, & complices ad deſtructionem ſui ſtatus, regulæ, declarationum Pontificiarum machinati ſunt in facie Curiæ, ſi regulam infamibus commentis temerare ſunt auſi, non modò contra rectam eius ſententiam, ſed & expreſſam litteram: quid in toto ei fidendum in ea controuerſia, quam pro defenſione regulæ adiuit Ceſænas? nempe qui in votum, & profeſſionem iniurius fuit, Ceſænati nocuiſſe non potuerit? qui regulam pro libidine eſt interpretatus repugnantibus omnibus expoſitoribus, qui tot in oppoſitam cum veritate ſententiam tranſierunt, quot Pontifices ſeu declarauerunt ipſam, ſeu confirmarunt, quot Doctores explicauerunt, non eſt mirandum, ſi damnati, & abſentis iam Ceſænatis, cuius cauſam nemo ſuſtinebat, ad libitum ſuum, & iniuriam authoris, ſchedulas detorſerit, vt ex ſchiſmatico hæreticum, ex ſcabie lepram familiati & peruiâ mutatione formaret.

Quinque errores imponit Ceſænati, quos vel ipſius teſtimonio is nequaquam in terminis aſſeruit, ſed per conſequentiam ex litteris eius colligi, & deduci euidentiùs, deponit: fraus tamen & fallacia deductionis, ſicut ex aliis, ita ex quarto articulo manifeſtatur; qui talis eſt: *Quod conſtitutiones per Romanum Pontificem canonicè intrantem editæ de conſilio ſacri, & fidelis Collegij DD. Cardinalium ſunt hæreticæ,* &c.

Fr. Michaël Ceſænas in ſuâ appellatione, aliquot hæreſis articulos imponebat Ioanni Pontifici, inſimulatus etiam fuit hæreſis à Ludouico Cæſare, & aliis, vt conſtat falsò: veras tamen & notorias hæreſes, vt ipſis videbatur, ei imponebant, & incorrigibilem præſumebant ſimul cum adhærentibus. Ponamus ergò ſeu fingamus caſum, nempe Pontificem, & Cardinales in eas incidiſſe hæreſes & incorrigibiles extitiſſe, nempe hoc dato clarum eſſet eum excidiſſe Pontificatu, quidquid ergò in eius tum perſonam ſtatueretur non ſtatueretur in perſonam Pontificis, ſed in priuatam priſtino iam gradu ſeu deiectam ſeu verius lapſam: talem in præſumptæ iuriſdictionis gradu à quo per hæreſim notoriam decidit perſeuerantem, & renitentem deponere maximè ſpectat ad Imperatorem qui eſt Eccleſiæ aduocatus, hoc faciendo non dicitur deponere Papam, ſed hæreticum. Demus vlterius non modò Papam, ſed Cardinales complices eſſe erroris, vel hæretico pertinaciter adhærentes, tunc electio ſucceſſoris deuoluitur ad Clerum Romanum ex connexione vtriuſque Pontificatus tam vrbis, quàm orbis, ſi fiat electio extra Generale Concilium, & electus eſſet verus Pontifex, cui omnes deberent obedire, non autem depoſito. Hæc principia Ceſænatis, & Ludouici Cæſaris fuêre & vera, quod verò eueniſſe iam caſum in

Ioanne

Ioanne XXII. putarint, error fuit, qui ſchiſmatis non hæreſis notam meruit, non dicebat ergò Ceſænas Imperatorem poſſe deponere Pontificem, qui verè Pontifex eſt (hæreſis illa fuit Patauini) ſed priuatam perſonam Ioannem XXII. ob adſertas, & pertinaciter defenſas hæreſes, iam lapſum Pontificatu, & iure diuino reprobatum. Hoc manifeſtum eſt inde, quod in eo maximè Ioanni detraheret, quatenus contra definitiones anteceſſorum eum docere inſimularet, non ergò Pontificiam, quam defendebat, impugnauit authoritatem, ſed perſonam Ioannis, vt criminabatur, ab eadem, atque Euangelij veritate deuiantem; id clarè inſinuat ipſe Gerardus in Apologiâ ſub finem his verbis: *Quod conditionaliter offers* (alloquitur Ceſænatem) *te appellationibus renunciaturum & officio ſi tibi oſtenderimus Dominum Papam concorditer loqui Euangelicæ veritati, & te ab ea in aliquo deuiare.* Idem clarius conſtat ex obiectionibus Ceſænatis, quæ partim in apologeticis Ioannis, partim infra in reſponſione Cardinalis leguntur, omnes enim à Pontificis, & Eccleſiæ authoritate deſumuntur. Ex quibus concluditur fallacia deductionis, & falſum imponi per Gerardum Ceſænati: Hæc Ceſænatis ſententia fuit. Ioannes XXII. ob adſertas notoriè, & defenſas hæreſes notoriè incorrigibiles lapſus eſt ipſo iure Pontificatu, & vt talis iuſtè depoſitus eſt à Ludouico Imperatore cum conſilio Cleri, & populi Romani in defectu Cardinalium, qui eidem Ioanni vel profeſſione earundem hæreſum complices, vel fauore, & patrocinio participes adhæſerunt pertinaciter. Hæc, inquam, ad ſummum dixiſſe, ſi tamen hoc totum dixiſſe potuit Ceſænas, non inde tamen deducitur eum docuiſſe, quod Imperator, aut Clerus & populus Romanus potuerint deponere verum Papam, & depoſitum ab ipſis declarare, qui ſunt duo primi articuli impoſiti. Tertius autem articulus ſiue rectè ſequitur, ſiue non, nequaquam eſt hæreticus, ſed ſchiſmaticus, nempe quod electio Corbarij fuerit iuſta. Quartus ſimpliciter tantùm ſchiſmaticum eſſe conſtat, ſicut & quintum, qui ex dictis Ceſænatis non ſequitur: dicebat enim non obediendum Ioanni XXII. quem nec tota Eccleſia (vt falsò aſſeritur in articulo) audiuit, vtpote magna pars Italiæ, Alemanniæ, & Imperator cum adhærentibus ab eodem durante ſchiſmate diſcordauit.

Ex dictis notum ſit proceſſum hunc à Gerardo promulgatum non ſubſiſtere quoad articulos hæreſis impoſitos Ceſænati, ac proinde inuidiâ magis, & odio hominis quàm veritate, & facti debitâ probatione conceptum. Sequitur amplius eundem Michaëlem longè ab hæreſi immunem fuiſſe, quam nec æmulus & aduerſarius in eo reprehendere potuit, niſi captioſa quadam litterarum eius interpretatione, & fallaci deductione formata conſequentia, facti nempe præſumptione in hominem agens tanquam malè ſentientem de poteſtate Pontificis, præſumptione verò iuris in decretalibus contra eum promulgatis declaratur hæreticus, non quod in fide deprehenſus ſit erroneus, vt ſuperius viſum eſt: & hæc in cauſa Ceſænatis contra Gerardum dixiſſe ſufficit.

Eodem anno num. 11.

B z o v. *Eodem tempore ipſe idem Pontifex alios aduerſariorum aduerſum ſe excitauit, cùm antiquorum Doctorum Tertulliani, Lactantij, Victorini, Prudentij, Bernardi, & ex Græcis Iuſtini Martyris, Irenæi, Origenis Theodoreti, Oecumenij, Theophylacti, Euthymij, & aliorum quos Sixtus Senenſis lib.6. Biblioth. ſanctæ annot.* 345. *enumerat, de clarâ viſione Dei opinionem nondum ab Eccleſia damnatam, pro concione recitaſſet: & in partem quorumdam fratrum Minorum aſſerentium animas à corpore ſeparatas, non ſtatim beatâ viſione diuinæ eſſentiæ frui, ſed eam vſque ad diem iudicij expectare differendo quidem, non autem aſſerendo, neque decernendo inclinauit; fratres Prædicatores primi fuêre, qui docentem Ioannem Pontificem impugnauêre, ex ſacræ Scripturæ authoritatibus, & exemplis, oſtendentes animam iuſti mox reſolutam corpore cælos ad felicem viſionem diuinitatis penetrare. Fratribus Dominicanis Prælati, & Doctores ferè omnes in Palladio Pariſienſi contra Ioannem ſubſcripsêre, eáque de re iis dehortatoriam, dogmaticámque epiſtolam misêre. Scripſit & Philippus Rex Gallorum, & Robertus Siculorum, ne Pontifex ſe contra torrentem doctiorum virorum opponeret,* &c. *Tergiuerſationes diu erant plurimæ multorum, cùm Fratricelli garrire non omitterent.*

Ciaconius. Verba tua ſunt hæc: *Ciaconius*, inquis, *in Ioannem XXII. ex antiquioribus hiſtoricis, eam rem hunc in modum narrabat. Per eos*, inquit, *dies Ioannes Papa Auinione eam tum primùm quæſtionem mouit an ſanctorum animæ è ſeculo migrantes perfectè diuinam eſſentiam ante reſurrectionem videant, quod ipſe negare videbatur*, &c. Dic ſi potior tibi ſit Crantzius duobus ſæculis poſterior Ioanne, quàm tuus Ciaconius qui refert eam tum primùm quæſtionem ab ipſo Ioanne motam fuiſſe; de Minoribus verò nihil tale. Ioannes Villanus eius ſæculi ſcriptor lib. 10. cap. 229. aſſerit anno 1333. primùm motam eſſe opinionem ab ipſo Ioanne, quam magìs duobus annis anteà inuenit, & concepit, eamque ſæpius in publico conſiſtorio coram Cardinalibus, aliiſque Prælatis diſceptauit, congeſtis ex ſacra Scriptura, & Patribus, pluribus argumentis, ad indignationem multorum Cardinalium. Sed & omnes quos legerim eius ſunt ſententiæ, vt quæſtio authore Ioanne fuerit excitata, in qua nulla inter Franciſcanos, & Dominicanos ſuborta memoratur controuerſia. Ocham 1. part. diſt. 2. cap. 9. & 10. Anton. tit. 21. §. 15. Sixtus Senenſ. lib. 6. Biblioth. ann. 345. Can. lib. 6. de locis cap. 8. ad 1. Maſſonus in Benedict. XII. Anton. Senenſ. ad ann. 1332. in fratrem Ioannem. Walen. Gerſon ſerm. de Paſchate. Adrianus Pontifex in 4. in q. de confirmat. Sand. lib. 7. viſ. monarch. in Ioan. XXII. Caſtro contra hæreſes verb. Beatitudo. Genebr. in Chron. lib. 4. Paulus Langius in Chron. Citizenſi ad annum 1333. & 1334. Bellarm. lib. 4. de Roman. Pontif. cap. 14. aliíque quàm plures, qui errorem Ioanni non Minoribus adſcribunt. Addo nullum repetiri Franciſcanum, qui in

Ioan. Villan.

huius

huius opinionis fauorem quidpiam reliquerit ſcriptum, nec refert, quod Crantzius præuenerit in ea narratione Bzouium, quia ideò lapſus eſt, quod aliam controuerſiam,quæ verè inter duos Ordines extitit,Ioanne Pontifice, ignorauerit in ſuâ Wandalicâ, ac proinde eos putauerit circa viſionem animarum altercatos; hæc de veritate hiſtoriæ. Duo ſubinde placet adnotare, ne lectorem illaqueent, falſam videlicet temporis ſuppoſitionem, quæ corrigenda eſt ex Villano,contigit porrò hæc diſceptatio anno 1333. non vt vult Bzouius 1331. Alterum eſt,corruptela in Ciaconium commiſſa, eò magis toleranda, quod in fauorem proprij inſtituti tanquam in piæ cauſæ ſubſidium inuenta ſit. Ita Ciaconius apud Bzouium: *Hæc opinio cùm velut falſa & erronea à maiore Cardinalium & Theologorum parte & præcipuè à fratribus Prædicatoribus damnaretur*, &c. Vltimam clauſulam adiecit Bzouius: *Et præcipuè à fratribus Prædicatoribus*, ſi lapſu calami, ſi de induſtriâ iudicet lector; eam non agnoſcit Ciaconius. Falſatio.

Bzov. *Fratres Prædicatores primi fuere qui docentem Ioannem Pontificem impugnauere, ex ſacræ Scripturæ authoritatibus, & exemplis oſtendentes animam iuſti mox reſolutam corpore cœlos ad felicem viſionem diuinitatis penetrare. Fratribus Dominicanis Prælati, & Doctores ferè omnes in Palladio Pariſienſi contra Ioannem ſubſcripsêre*, &c.

Ioannes Villanus refert maiori Cardinalium parti eam diſplicuiſſe opinionem, dum in Curiâ agitaret eam primùm Ioannes. Ergò non ſoli fratres Prædicatores primi eam impugnauerunt: Thomas porrò Valens Anglus, & Durandus, primi familiæ Dominicanæ in arenam deſcenderunt, qui extra Curiam degentes famâ dumtaxat controuerſiæ exciti ſunt, tantùm abeſt, vt in primâ acie conſtituti haſtas fregerint. Noui Antonium Senenſem prædicationem Thomæ, quam aduerſus Ioannem habuit,conſtituiſſe ad annum 1332. Ego,vt ſuperiùs præmiſi,antiquioris, & coæui fidem ſequor Ioannis Villani, qui anno ſequenti motam primùm quæſtionem fuiſſe docet, idque veriſimilius, cùm non longè ante mortem Ioannis cœpit agitari. Imo, & Ferdinandus de Caſtillo hoc eodem anno refert ſcilicet 1333. propter exceſſum in eâ concione Thomam incarceratum; quod eueniſſe probabilius eſt mox ab ipſa concione, quæ proinde in hunc annum reiicienda eſt. Cæterùm Crantzius, quem Bzouius vnum in hoc præ omnibus ſequi videtur, non dicit Prædicatores primos Ioannem impugnaſſe; id tamen laudis Bzouio concedamus in hoc auxiſſe Crantzium, in reliquo fideliter ſeu tranſcripſiſſe, ſeu fuiſſe amplexum, in quo veritatem hiſtoriæ non modò non eſt aſſecutus, ſed erroneus eſt, nec minus quàm hæreſim, ſi rigorem ſequamur dictionis, imponit Prædicatoribus, Prælatis, & Palladio Pariſienſi, à qua longè abfuerunt; Verba eius ſunt: *Fratres*, inquit, *ex aduerſo Prædicatores docebant mox reſolutam corpore animam iuſti, cœlos ad beatam viſionem penetrare*, &c. *Ad felicem*, inquit Bzouius, *viſionem diuinitatis*. Præmittit,quod amplius eſt,id eos oſtendiſſe ſacræ Scripturæ authori

Anton. Senenſis.

Ferdinandus de Caſtillo.

Crantzius.

Hæreſis.

authoritatibus, & exemplis. Hæc ergo ſententia purgatorium excludit manifeſtè, nam ſi anima iuſti mox reſoluta corpore penetrat cœlos ad viſionem beatam, ſequitur nullam omnino purgari, aut medium ſtatum non dari inter mortem iuſti, & vitam beatam, quæ eſt hæreſis Græcorum, & Armenorum, necnon huius temporis nouatorum. Propoſitionem dixi de rigore ſermonis hæreticam, quia definitio Eccleſiæ in hac quæſtione facta, ita ſtrictè loquitur, vt licèt eàdem vtatur verborum formulâ; excipiat manifeſtè animas iuſtorum, in quibus aliquid expiandum remanſerit in altera vita. Quæſtionem porrò ipſam ſic proponit Benedictus X I I. in extrauaganti, *Benedictus Deus*, &c. ſeu ita propoſitam refert: *Sanè dudum*, inquit, *tempore felicis recordationis Ioannis X X I I. prædeceſſoris noſtri, inter nonnullos etiam Theologos, Theologicæ facultatis Magiſtros, ſuper viſione animarum iuſtorum hominum poſt mortem ſuam, in quibus nihil erat purgabile, cùm de hoc ſæculo diſceſſerunt, vel ſi fuerat, iam purgatum fuerat ex toto, an diuinam eſſentiã videant*, &c. Eandem infrà ſic definit: *Hac in perpetuum valiturâ conſtitutione authoritate Apoſtolicâ definimus, quod ſecundùm communem Dei ordinationem animæ ſanctorum, qui de hoc mundo ante Domini noſtri Ieſu Chriſti paſſionem deceſſerunt, necnon Sanctorum Apoſtolorum*, &c. *& aliorum fidelium defunctorum poſt Sacramentum Baptiſmi ab eis ſuſceptum, in quibus nihil purgabile fuit, quando diſceſſerunt, nec erit quando decederent etiã in futurum, vel ſi tunc erit aliquid purgabile in eiſdem, tamen poſt mortem ſuam purgabant*, &c. *mox poſt mortem ſuam, & purgationem præfatam in illis, qui purgatione huiuſmodi indigebant*, &c. *poſt Ieſu Chriſti paſſionem, & mortem viderunt, & videbunt diuinam eſſentiam immediatè*, &c.

Definitio Eccleſiæ.

Concil. Florent. *Definimus*, inquit, *illorum animas, qui poſt baptiſma ſuſceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quas poſt contractam peccati maculam vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ corporibus, prout ſuperiùs dictum eſt, ſunt purgatæ, in cœlum mox recipi, & intueri clarè ipſum Dominum trinum & vnum, ſicut eſt*, &c. Ex his ſequitur quâ induſtriâ, & cautelâ authores verſet Bzouius: hæreſis enim ſuos arguit ne primos non haberet Ioannis impugnatores talis ille encomiaſtes, vt in vituperio laudẽ ponat? nollet Durandus ſanè hac merce primus recenſeri. Si ille tamen primus, certè poſtremus non fuit Ocham Minorita, qui cæteris diffuſius errorem impugnauit, 2. p. dialog. tract. 1.

B z o v. *Præ cæteris Fr. Thomas Valens Anglus D. Dominici inſtitutum profeſſus, pro eâ, quâ pollebat, doctrinâ, & facundiâ, cùm in ampliſſimo Epiſcoporum, & Patrum conſeſſu, Auinione, die Ioan. Euang. ſacro eam opinionem, & ſententiis, & rationibus, & exemplis hiſtoricis exagitaſſet, & in aſſertores illius diuinam maledictionem imprecatus, non obſcurè Ioannem Pontificem perſtrinxiſſet; à quæſitore fidei Franciſcano in carcerem coniectus, veritatis animosè prædicatæ pœnas dedit, non inde prius in libertatem eductus, quam Rex Philippus Ioanni indignationem vindicationis expoſuiſſet*, &c.

Ad affectum omnia componis, ille ſtylum rapit, quo vult,calamúmque obnitente veritate trahit, quâ pondus commodi, non quâ æquitatis inclinat. Damnatur iniquè Ioannes Pontifex, accuſantur perperam inſontes Franciſcani, vt vnus euadat Thomas Valens prædicator; nónne lis tum omnino indeciſa? nónne quæſtio vtrinque diſputabilis, alterâ parte eius nondum definitâ? Quid quod Tertullianum, Lactantium, Victorinum, Prudentium, Bernardum, Iuſtinum, Irenæum, Origenem,Theodoretum,Oecumenium,Theophylactum,Euthymium etiam Franciſcanos à Ioanne omnes ſtatuas eius ſententiæ ab Eccleſia non damnatæ, patronos? licuit tamen prædicatori in conſeſſu Prælatorum non ſententiam modò impugnare, ſed adſertores in Curiâ aduerſus Pontificem palàm prædicare, eidem imprecari maledictionem; animoſus proinde veritatis Prædicator, te iudice, audit; cuius incarcerationem vocas indignam vindicationem. Cæterùm Franciſcanos pro defenſione ſui ſtatus, & tot Pontificum excitos neceſſitate magis, quàm voluntate, & intra limites Eccleſiaſticæ definitionis pro muris ſtantes exagitas hactenus tanquam hæreſiarchas, hæreticos, Fratricellos, ſectarios, ſchiſmaticos, indoctos, ignorantes, ſeditioſos, nullius frugi homines, & ad interitum ruentes. Concluſio eſt veritati & iuſtitiæ nihil in Bzouio aduerſus Dominicanum eſſe operæ, aut pro Franciſcano præſidij.

Ego vt ſyncerè loquar Thomæ Wallen. zelum pro veritate commendo, non laudo exceſſum, nec illa principia, quibus is apud Antonium Senenſ. excuſationem facti exemplo Pauli Apoſtoli Petro in faciem reſiſtentis, prætendit, quadrare videntur huic materiæ; eiuſmodi namque correptio moderatè, & à ſolis Cardinalibus, ſeu Prælatis adhibenda, idque priuatim, dum Pontifex in culpa eſt. Accedit, quòd ipſe Ioannes publicè non ſemel proteſtatus eſt, ſe omnia diſſeruiſſe pro veritatis tantùm inquiſitione citra præiudicium alterius ſententiæ, vt Villanus docet: quæſtionis diſcutiendæ non modò libertatem, & copiam aliis fecit, ſed diſtrictiùs mandauit, vt quiſque requiſitus proferret id, quod magis à veritate ſentiret ſtare. Hoc Benedictus ſucceſſor teſtatur. Pontificis ergò hæc atteſtatio, & mandatum omni præſumptione, ne dicam exceptione, maius, ſine irreuerentiâ, & contumeliâ traduci in publico non potuit, quantumcumque indicia quædam præiudicatæ opinionis ſe prodiderint, vel certè animus, propriíque iudicij pondus illuc diſcurſum rapuerint. Demus etiam palàm eius ſententiæ ex priuatâ opinione patronum fuiſſe Ioannem, quid inde meruit, ſi in quæſtione nondum damnatâ tot Patrum veſtigiis inhæſit? certè nihil, cùm id ei liberum, ſicut & aliis fuit.

BZOV. *In aſſertores illius* (ſupple, ſententiæ) *diuinam maledictionem imprecatus non obſcurè Ioannem Pontificem perſtrinxiſſet, à quæſitore fidei Franciſcano in carcerem coniectus veritatis animosè prædicatæ pœnas dedit*, &c.

Eſtne veritatem animosè prædicare, diuinam maledictionem im-

 precari

precari Summo Pontifici, & Chriſti Vicario, an inſignis potius blaſphemia? Legiſti vnquam illud Exodi: *Diis non detrahes, & Principi in populo tuo non malediçes?* Legit ſanè Paulus, vt conſtat Actorum 24. *Neſciebam*, inquit, *fratres, quia Princeps eſt Sacerdotum: Scriptum eſt enim; Principem populi tui non maledices.* Ita ille reſpondit aſtantibus, qui obiiciebant: *Summum Sacerdotem Dei maledicis?* Michaël Archangelus in altercatione cum dæmone non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ, & hoc aduerſus Pontificem licuit Thomæ Walen. Dominicano? Canon Apoſtolicus habet: *Si quis in Regem, aut Magiſtrum contumelioſus fuerit, ſoluat pœnas: ſiquidem clericus ſit, deponatur, ſi verò laicus, excommunicetur.* Hinc Clemens Papa III. cap. *innotuit.* de maledicis, maledicum quendam clericum pœnæ ſubiici præcepit, qui multis aſtantibus iniurius fuit in Pontificem, *Vt pœna illius*, inquit, *aliis terrorem incutiat, ne de cætero contra Romanam Eccleſiam in talia verba prorumpant.* Quin & apud Iuriſconſultos quæſtio eſt, ſi Principi maledicere læſæ Maieſtatis crimen ſit; excipit Bzouius animoſum Walenſem. Sed non ita Pr. Hernandus de Caſtillo 2. part. hiſtor. Dominicanæ cap. 48. aſſerens in Capitulo Perpinianenſi communi Patrum conſenſu perpetuo eſſe cautum ſtatuto, quæ conſtitutionis vim habeat, vt qui in concione, aut conuentu ſæcularium detraxerit Pontifici, eiúſve proceſſibus, aliámve notabilis iniuriæ irreuerentiam irroget, carceri mancipetur, à quo liberari tantum poſſit Capituli Generalis ſententiâ. Et vlterius addit idem author cauſam ſtatuto datam ex eâ Walenſis concione: licèt autem in hoc ſibi diſcors ſit (vt qui Capitulum Perpinianenſe in annum 27. ibidem reiiciat, concionem verò Thomæ Capitulo præcedenti in annum 32.) rationi tamen, & iuſtitiæ id ordinatum fuiſſe egregiè, & ſyncerè probat.

Exod. 22.

Iudas.

Hernandus de Caſtillo.

Quomodo ergò indignè vltus eſt Inquiſitor Walenſem ſi in legem peccauit, ſi in iuſtitiam, ſi in reuerentiam Pontifici debitam? Quid, inquam, peccauit ille Inquiſitor, ſi hominem pœnæ ſubiecit, quæ, vt reliqua omittam, Capituli Generalis totius Ordinis conſtitutione, Pontifice approbante, eſt ſtatuta? nihil durius in eum ſtatuit. Cæterùm non mihi omnino eſt euidens Inquiſitorem hunc Franciſcanũ fuiſſe, quamuis tecum id aſſerat Hernandus, neſcio quo authore, & licèt pro nunc non ſuppetat authoritas ſufficiens id negandi, videtur tamen is fuiſſe ſtatus rerum hactenus in Curiâ, vt Franciſcano Inquiſitionem non committeret fortè offenſus Pontifex..

B z o v. *Idem periculum Fr. Durandus de S. Porciano Prædicatorij Ordinis Auinionem ab eodem Franciſcano ad dicendam cauſam euocatus incurriſſet, niſi Philippo Rege ſuadente tantiſper ſubſtitiſſet, donec Pontifex opinione reiectâ, ex ſenſu vniuerſali ſapere voluiſſet.*

Non tam ignarus fuit magnus vir Durandus, quin ſciuerit ex decreto Bonifacij VIII. (extat in 6. tit. de hæret. cap. *Inquiſitores.*) ademptam fuiſſe Inquiſitoribus authoritatem inquirendi in Epiſcopos (qualis is fuit

fuit promotus ad Medenſem cathedram primùm anno 1320.mox tranſlatus ad Anicienſem) ſine ſpeciali Sũmi Pontificis ordinatione,& mandato : id docent communiter Doctores Simancas de Catho.inſtit.tit.25. num. 7. & 8. Repertorium Inquiſitorum verbo. *Epiſcopus* Gondiſal. tract. de hæreſ. quæſt. 7. Directorium Inquiſitorum 3. par. quæſt. 27. Si ergò ex ordinariâ authoritate citauit Inquiſitor Durandum, vir doctiſſimus friuolam contempſiſſet citationem.Si autem ex mandato Pontificis id factum, liber eſt Inquiſitor. Inter authores, quos Bzouius adducit, ſolus Caſtillo refert citatum fuiſſe Durandum, de citante nihil loquitur;citationem ergò in capite Franciſcani pro conſuetâ liberalitate, & diſtributione ſolus adnotauit Bzouius.Fortè Durandus eâ etiam libertate diſſeruit, vt aliquid in ſui contumeliam dictum interpretaretur Pontifex, alioquin ex defenſione communioris ſententiæ, & veritatis, non eſt veriſimile offenſum fuiſſe Ioannem, cùm aliis in Curiâ id liberum permiſerit, ſeque nihil niſi diſſerendo aſſeruiſſe affirmarit.

B Z O V. *Vterque non minus doctè quàm conſtanter verbo, & ſcriptis pro Catholico dogmate egit, calamitatémque nonnullam & ſuſtinuit, & religioni Prædicatorum à Franciſc. accerſiuit*, &c.

Nempe aduerſus Diocletianum quempiam vſque ad ſanguinem decertarunt. Walenſis ſolùm concione, Durandus memoratur ſcriptis decertaſſe:vterque nihilominus tibi verbo, & ſcriptis pro Catholico dogmate egit.neſcio ex qua idiomatum ſeu communione, ſeu verius confuſione hæc fingendi libertas naſcitur, certè ex fide authorum non fit. Sed quænam illa calamitas, quæ obtigit Durando? nonne Pariſiis iam vltimâ penè lineâ ſubſtitiſſe eum refers ex conſilio regis Philippi?quid hæc ſubſiſtentia calamitatis importat, neſcio, niſi quòd periculum, ſi quod fuit,declinarit, & Pontificem non viderit offenſum. Deinde quod eandem calamitatem religioni Prædicatorum accerſerint, te authore, à Franciſcanis : lepidum eſt commentum. Quid enim Franciſcanis in hac quæſtione fuit, qui vix arenam excuſſerunt pro ſui ſtatus defenſione agonizantes? quid precor eſſe calamitatis potuit toti religioni in duorum dumtaxat cauſa, quorum alter ab omni calamitate fuit immunis? nonne omnes Prælati, & Palladium Pariſienſe (vt ſuperiùs memoras) in eadem opinione ſine omni calamitate fuêre. Si Ioannes publicè eſt proteſtatus, nihil in hanc, vel illam partem ſe ſtatuiſſe, ſoli intentum veritatis inquiſitioni, quid vltionis congruè potuit, quaſi vindicias,ante tranſgreſſionem intentare? Sed demus aliquam non defuiſſe calamitatem, eam in Franciſcanos torques familiari tibi authoris falſatione, ſoli autem Pontificis indignationi illam refert Caſtillo, quem citas, nullâ Franciſcanorum habitâ mentione, malum nempe animum, iniuriarum memorem,cupidum vindictæ eis adſcribis,quaſi ſuperiorum temporum vices rependere vellent; promptiores ad miſericordiam Franciſcani, quàm ad vindictam,quibus abundè ſatisfit,ſi perſecutor tantum à vexatione ceſſet.

Anno 1332. num. 15.

Bzov. *In diſcutiendâ de viſione animarum controuerſiâ incubuit* (ſupple, Ioannes Pontifex) *quo tempore Thomas Valeſius Ord. Prædicatorũ Theologus inſignis, cùm feruente zelo inflammatus pro concione illum offendiſſet, ab Inquiſitore hæreticæ prauitatis Franciſcano in carcerem coniectus, plura perpeſſus eſt, donec intercedente Philippo Gallorum Rege liberaretur.* Paulus Langius in Choron. Citizenſi.

Hiſtoria per varios rerum, & temporum caſus extenſa, ſibi ipſi rectò ſuccedit curſu; ſemper autem noua per alios & alios euentus. Bzouio magis placet circulus, vt narratio in idem reflexa, quantumlibet ſub diuerſis temporibus, in ſe colligatur, vt vnde progreſſa eſt, memoriæ compendio recedat. Hinc ergò Thomas prædicator ſuperiori anno ob concionem incarceratus hoc anno neſcio ſi recidiuus idem denuò incarceratur, non tamen omninò idem,quia anno ſuperiori fuit Walens, nunc Valeius. Vanitas quædam eſt delectando lectori inuenta. Langius rem geſtam ſub anno 1330. narrat; in Bzouio verò deſignat annum 1332. apud Langium inſtitutum & perſona Inquiſitoris tacetur, in Bzouio Franciſcanus aſſeritur authore Langio. Si idem ſanè vtrique noſtrum Langius, corruptus eſt Bzouianus. Sed de hoc caſu in priori diſſertatione ſatis.

Falſatio.

Anno 1333. num. 6.

Bzov. *Fratribus Prædicatoribus, vt ſi dubitarent an recèns conuerſi vel ſacro Baptiſmate,vel ſacris Ordinibus initiati fuiſſent,eos rebaptizarent & iterum ordinarent præſcripſit.* ſupple, Ioannes.

Hæc Sacramenta (vt obiter ad cautelam notem) ſi de valore iuſtè dubitetur, iteratò dari poſſunt ſub conditione, vt poſt Innocentium cap. *de quibus dubium eſt*, docent omnes Theologi, rebaptizationis tamen nomen in propriâ ſignificatione velut damnatum in ſcholâ Theologorum aboleuit;ſed ne in verbis nodum quæramus, illud clarum eſt, ſtylo canonum, & ſcholæ per ſacros Ordines intelligi Preſbyteratum, Diaconatum, Subdiaconatum: his autem ſolis initiatus, dicitur quis eſſe in ſacris ad diſtinctionem aliorum. Presbyteratum, & Diaconatum neceſſitate Sacramenti ſolus confert Epiſcopus. Idem quidam aſſerunt de Subdiaconatu. quomodo ergò illa conferre Ioannes præſcripſiſſe valuit Prædicatoribus? non ita currenter, ſed caſtiùs, & cautiùs ſcribendum, & loquendum, Bzoui; in iis maximè, quæ prauum intellectum habere poſſunt, ne lectoris beneuolentiæ permiſſa, ſuo ſenſui ea magis accommodet, quàm veritati.

Bzov.

B Z O V. *In materiâ viſionis animarum perſcrutandâ, definiendâque cùm maiorem partem Cardinalium ſuæ opinioni aduerſari,* &c. *audiſſet*, &c. *precepit* (ſupple, Ioannes) *vt inueſtigandæ veritati diligentiùs incumberent,* &c. Prælati ſcilicet & Doctores.

Gerardus Minorum Generalis Miniſter eius ſententiæ cùm Lutetiam Pariſiorum veniens, primus de eâ mentionem inieciſſet, ab vniuerſo doctiorum collegio, & à fratribus Prædicatoribus, Auguſtinenſibus, & Carmelitanis, erroris conuictus, Rege Philippo compellente, palinodiam recantauit, cùm ei rogum flammantem tanquam vni ex Patarenis oſtentaſſet, &c. Ioan. Villanus lib. 10. cap. vlt.

Miraculi loco ducerem, ſi Villanus apud Bzouium incorruptus præter conſuetudinem, æquior in Franciſcanum teſtis prodiret: *Gerardum eius fuiſſe ſententiæ* non aſſerit Villanus; corruptela Bzouij eſt. Falſatio.

Primùm de eâ Pariſiis mentionem inieciſſe, non habet Villanus, corruptela Bzouij eſt, & familiaris contradictio, vt qui ſuperiùs an. 1331. Palladium Pariſienſe Prædicatoribus in hac quæſtione ſubſcripſiſſe eſt abundè gloriatus. Contradictio.

A collegio doctiorum Fratribus Prædicatoribus, &c. *fuiſſe erroris conuictum*, non dicit Villanus, *ſed repulſum ſeu reprobatum.* Quomodo enim erroris conuinci potuit, ſi Ioannes excuſatur, ſi tot ſancti Patres, nihilque adhuc in quæſtione definitum fuerit? Falſatio.

Rege Philippo compellente palinodiam recantaſſe. Conuenit, inquit Villanus, vt ante diſceſſum prædicaret contrarium, declarans ſe aliàs diſſerendo tantùm aliud dixiſſe, reuerâ autem credere, quod Eccleſia ſolita eſt credere, & prædicare. Hoc non eſt propriè compelli ad palinodiam, ſed propriam declarare ſententiam, quoad ea, quæ dicta ſunt, & quâ intentione ſint dicta, non autem tanquam hæretica, aut pro errore condemnata retractare. Sed ad hoc iure compelli non potuit nondum reprobatâ per Eccleſiam opinione, quæ ex tot Patrum authoritate, & Pontificis reuerentiâ non improbabilis videri potuit.

Ei rogum flammantem tanquam vni ex Patarenis oſtentaſſet, &c. nihil de hac oſtentatione vel rogo Villanus, omnia ſunt Bzouij. Falſatio.

Cæterùm ne ſcrupulus inhæreat lectori ex iis, quæ ſuperiùs ex Crantzio recitauit Bzouius, tanquam fortè inuentor huius opinionis fuerit Gerardus, ad Villanum remitto cauſam, qui ſolus hæc de Gerardo commemorat; primum verò opinionis authorem ipſum Ioannem adſtruit, eique adeo addictum vt eius gratiam iniret qui offerret alicuius ſancti Patris authoritatem, quæ vel à longè in fauorem quempiam eius ſententiæ poſſit torqueri. id ita refert ex Villano ipſe Bzouius: *Quamobrem ſi quis Doctorum pro eâ aſſerendâ, vel authoritatem, vel rationem aliquam cuiuſpiam momenti (quæ ex parte faceret*, inquit Villanus) *illi retuliſſet, maximam gratiam apud eum inibat*, &c. Non ergò ex propriâ inuentione aut opinione, hanc ſententiam Pariſiis diſſeruit Gerardus, ſed in gratiam Pontificis: an ex condicto, incertum. Si quid fidei debetur Auentino, ſubmiſſos refert à Ioanne duos monachos, alterum

Domini

Dominicanum, alterum Franciſcanum huius ſententiæ velut internuncios, qui eam Pariſienſi ſcholæ inferrent. Authorem reſpuo: intereat tamen Pariſienſium explorare mentem, dum Pontifex ſe ad definitionem accingeret; promptior ad obſequium Gerardus, quàm cautior, eam benè merendi de Pontifice occaſionem non contempſit, ſeu gratitudinis, ſeu aſſentationis ergò: Hominem porrò non excuſo. Nam & ipſe Villanus aliquid huiuſmodi fortè non obſcurè ſubindicat; poſtquam enim Ioannem in eam partem referret inclinatum, ſubiungit Gerardum Miniſtrum Generalem (*qui fuit*, inquit, *Pontificis compatriota, & capellanus* ſeu beneficiarius) eam Pariſiis pro concione diſſeruiſſe.

Anno 1335. num. 2.

Hucúſque toto Ioannis Pontificatu nihil æquè curauit author Annalium quàm Franciſcanos exagitare. Iam hoc anno Pontificatum ingreſſus Benedicti ſucceſſoris velut defuncto parentatus ab execratione eorundem auſpicatur.

B Z O V. *Quanquam autem Benedictus Pontifex, nihil grauius aduerſus Ludouicum tunc decretauerit, Fratricellos tamen totius ſchiſmatis authores, & Ioanni Pontifici detrahentes, anathemate percuſſit, cum etiam inter Cardinales exiſtens doctâ reſponſione errores, & hæreſes illorum confutaſſet. Non illubet iterum errores recenſere, vt legentibus ſit exploratum magis, quantum poſſit pater mendacij tenebrarum affundere his, qui ab vio lucis diuinioris Eccleſia Romana Catholica errauerunt.* ſubiicit quinque & quinquaginta ex authore Directorij Inquiſitorum.

Non eſt mei ſcopi ab hiſtoriæ inquiſitione, eiúſque veritate ad examen dictarum, quæ imponuntur Beguinis, quinque & quinquaginta, ſeu hæreſum, ſeu errorum digredi; rectè porrò notauit in hoc Guidonem Carmelitam magnus vir Nicolaus Sanderus, quod *ſine cauſa tot Beguinorum errores faceret, cùm ad pauciſſima capita redigi poſſint*: mihi
Vis Monarc. 1316.
manum non eſt, vt conſulam quas, vel quot impoſuerit, vel an author Directorij hæc omnia ab eodem mutuarit, ſeu addiderit etiam de ſuo, homo magis in Franciſcanos prõptus, quàm ſyncerus. Nullus autem, qui vel Theologiam à limine ſalutauit, hæc legens à cenſurâ præfata Sanderi recedet. Non tam porrò cordi erat harum authori diſtinguere verum à falſo, aut qualitatem inſpicere aſſertionum, quàm inuenire, quas numero adiiceret, & confuſa turba magis terrere, quàm docere. Aliæ enim ſunt inter eas veræ, aliæ etiam ambiguæ, quæ benignam interpretationem non reſpuunt, aliæ ridiculæ, & inſanæ magis, quàm hæreticæ, aut contra fidei principia; aliæ ſchiſmaticæ tantùm; aliæ quæ non ſpectant directè ad mores, aut fidem, aliæ inſuper fabuloſæ. Exempli gratiâ aliquas ſubinde, & obiter notabo incipiens ab ipſo capite. Prima hæreſis notatur hæc: *Chriſtus in quantum fuit homo, & eius Apoſtoli*

nihil

nihil habuerunt in proprio, nec etiam in communi, quia fuerunt perfectè pauperes in hoc mundo.

Hæc aſſertio catholica eſt, intellecta de expropriatione oppoſitâ dominio, & proprietati ciuili, & ſic multi graues tam moderni, quàm antiqui Theologi conciliant Nicolaum III. cum Ioanne XXII. in iis conſtitutionibus, quæ ſpecietenus pugnare in hoc videbantur. Videri poſſunt, quæ ſuperius adnotauimus huius argumenti plura ſuo loco.

Secunda, Perfecta paupertas euangelica eſt, nihil habere in proprio & communi. Ita ſanè docet Nicolaus III. decretali, *Exiit*, ac tenuit poſt eum Eccleſia. Viderit lector ſi debeat dici hæreſis.

Tertia, Habere aliquid in communi de perfectione Euangelicæ paupertatis diminuit. Hæc etiam catholica eſt & ſequitur ex præcedentibus, vt clarè conſtat, licet enim paupertas Euangelica dicatur compati cum dominio rerum in communi; illa tamen rigoroſior eſt, quæ nihil habet.

Quarta, Apoſtoli ſine diminutione perfectionis eorum. & ſine peccato, non potuerunt habere aliquid nec in proprio, nec in communi. Hæc eiuſdem veritatis eſt cum reliquis intellecta de dominio ciuili, & hoc maximè quoad primam partem, quoad aliud membrum (ſine peccato) in hoc liquet, quod probabile ſit eoſdem Apoſtolos emiſiſſe votum paupertatis obſeruandæ, & quidquid ſit de hoc, ratione ſcandali, id veritum erat, nec enim ſine ſcandalo Paulus Apoſtolus aliquid in iudicio ſuum defenderet, qui Corinthiis improperauit, quòd iudicia obſeruarent & lites.

Quinta. Credere, & aſſerere contrarium prædictorum eſt hæreticum. Si cui cenſura diſpliceat, notare eam duntaxat poteſt de temeritate, vel rigore.

Sexta, Regula B. Franciſci, eſt illa vita Ieſu Chriſti. quam Chriſtus ſeruauit in hoc mundo, & quam Apoſtolis ſuis tradidit, & impoſuit obſeruãdam. Hæc eſt Nicolai Papæ ſentẽtia c. *Exiit, de verb. ſign. in 6. Hæc eſt,* inquit, *Minorũ fratrum mitis, & docilis in paupertate, & humilitate per almum Chriſti Confeſſorem Franciſcum, radicata religio, qui ex illo vero ſemine germinans germen illud per regulam ſparſit in filios, quos ſibi, & Deo per ſuum miniſterium in obſeruantiâ Euangelij, generauit, &c. Hi ſunt illius ſanctæ regulæ profeſſores, quæ euangelico fundatur eloquio, vita Chriſti roboratur exemplo, fundatorum militantis Eccleſiæ Apoſtolorum eius, ſermonibus, actibúſque firmatur. Hæc eſt apud Deum, & Patrem munda & immaculata religio, quæ deſcendens à patre luminum per eius filium exemplariter, & verbaliter Apoſtolis tradita* (nota) *& demum per Spiritum ſanctum B. Franciſco, & eum ſequentibus inſpirata, totum in ſe quaſi continet teſtimonium Trinitatis. Hæc eſt cui, atteſtante Paulo, nemo de cætero debet eſſe moleſtus, quam Chriſtus paſſionis ſuæ ſtigmatibus confirmauit, volens inſtitutorem ipſius paſſionis ſuæ ſignis notabiliter inſigniri, &c.* Hactenus Nicolaus.

Septima, S. Franciſcus tradidit Fratribus ſui Ordinis in ſuâ regulâ ſupradictam euangelicam paupertatem, ita quòd profeſſores dictæ regulæ nihil poſſunt habere nec in proprio, nec in communi, &c.

Ita definitum eſt, & declaratum per multos Pontifices & Eccleſiam, vt ſupra viſum eſt.

Octaua, Beatus Franciſcus poſt Chriſtum, & eius matrem atque Apoſtolos fuit ſummus, & præcipuus obſeruator vitæ, & regulæ euangelicæ, ac renouator eius, in iſto ſtatu ſexto Eccleſiæ.

Hæc aſſertio ad fidem, aut mores non ſpectat, de veritate eius conſulendi ſunt paſſim authores, quos elogiis in beatum virum citat Henricus Sedulius in hiſtoriâ Seraphicâ. De eo ſic teſtatur Trithemius: *Franciſcus Ordinis Minorum inſtitutor, & princeps*, &c. *vir ſanctiſſimæ conuerſationis, & euangelicæ paupertatis ardentiſſimus ſectator, qui verbo, & exemplo multos ab iniquitate conuertit*, &c. *tantus amator Chriſti extitit, vt in contemptum mundi, & conſolationis tranſitoriæ vix parem habuerit*, &c. quibus addi poſſunt & hæc Baronij. *Ita planè Deus Eccleſiam ſuam in deterius declinantem, ac collabantem, iam deprauatâ morum diſciplinâ, ad erigendam eam in conflatorio diuini ſpiritus Apoſtolicum hunc formauit hominem, qui mundi contemptum, ac paupertatem non affectu tantum (quod ad ſanctorum imitationem ſufficere potuiſſet) ſed effectu etiam proſecutus eſt*, &c. Nempe cui reuelauit Dominus, ipſo ſic teſtante, quod deberet viuere iuxta formam S. Euangelij quantus in hoc fuit, & profecit vita teſtatur, & regula, quam inſtituit.

Tom. 11. an. 1182.

In teſtamẽto Frãciſci.

Nona, Regula S. Franciſci eſt Euangelium Chriſti ſeu idem cum Euangelio Chriſti. Hæc vera eſt in ſententia Nicolai Papæ.

Decima, Quicumque impugnant vel contradicunt in aliquo regulæ Sancti Franciſci, impugnant, & contradicunt Euangelio Chriſti, & per conſequens errant & ſunt hæretici, ſi in hoc perſeuerant.

Planè nec dubium eſt, qui hanc regulam impugnant velut illicitam, inobſeruabilem, diſcriminoſam, impugnare etiam conſilia Euangelica, ex quibus conſtat. Hæc cenſura Cardinalis à Sancto Paulo apud S. Bonauenturam cap. 3. vitæ Beati Franciſci. *Si petitionem pauperis huius* (ſupple, Franciſci poſtulantis confirmationem præfatæ regulæ) *tanquam nimis arduam, nouámque refellimus, cùm petat confirmari ſibi formam euangelicæ vitæ, cauendum eſt nobis, ne in Chriſti Euangelium offendamus: Nam ſi quis intra euangelicæ perfectionis obſeruantiam, & votum ipſius dicat contineri aliquid nouum, aut irrationabile ad ſeruandum, contra Chriſtum Euangelij authorem blaſphemare conuincitur*, &c. Ne in longum res abeat ex dictis manifeſtè notum eſt, quàm ſagax in colligendis, notandiſque erroribus fuit author Directorij, vt qui triticum pro paleâ ſubſtituit, veritatem pro errore, determinationes Pontificum, & Eccleſiæ pro hæreſibus; trabem nempe oculo tranſfixit, ne videret lucem, eandem mutuauit Bzouius vt in Franciſcanos Ceſænatem, & Ochamum Andabatarum impetu præceps feratur; ex quinquaginta & quinque hæreſibus decem iam minus habet: ſed ſi ſeptem ſequentes penitus conſiderentur ad vnum tantùm errorem poſſunt reduci, ſcilicet quod Pontifex non habeat poteſtatem ſuper regulâ Franciſcanâ, eòdem recidit articulus decimuſoctauus. Magnus ſanè profectus, decem & octo articulis hæreſum, & errorum primùm obiectis, vix vnum reperiri

S.Bonauentura.

tiri cenſurâ dignum. Lectoris induſtriæ committo de reliquis iudicium; ad hiſtoriam propero.

B z o v. *Fratricellos totius ſchiſmatis authores*, &c. *anathemate percuſſit*, &c. intelligit Ceſænatem & Ochamum, quos ſuperiùs hoc nomine diffamauit: eorum porrò obiectiones ſunt, quas hîc etiam hæreſes, & errores appellat. Haſce calumnias ſuperius diluimus.

Sed quia pertinax obſiſtit, vltimò tandem os ei obſtruamus; deſcripſit rectè, atque damnauit Ioannes Fratricellos ſub ſui Pontificatus initio viros prophanæ multitudinis, nouæ religionis habitum aſſumpſiſſe teſtatus contra canones, ſine vllius Sedis Apoſtolicæ approbatione: non alij, ſed ij ipſi ei fuerunt vltimo ſui Pontificatus anno ſcriptis contra eos litteris ad Vicarium vrbis Epiſcopum Viterbienſem; quibus primam decretalem, *Sancta Romana atque vniuerſalis Eccleſia*, &c. de verbo ad verbum incluſit, mandans eam vbique promulgari, vt effectum ſortiretur.

IOANNES EPISCOPVS, SERVVS ſeruorum Dei Venerabili Fratri Angelo Epiſcopo Viterbienſ. noſtro in ſpiritualibus in vrbe Vicario, & dilectis filijs Philippo de Cambarlhaco Canonico Baſilicæ Principis Apoſtolorum de dictâ vrbe Rectori patrimonij Beati Petri in Tuſciâ, nec non Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis in patrimonio & vrbe prædictis ac prouinciâ Roman. auctoritate Apoſtolicâ deputatis: ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Bulla contra Fratricellos.

Dudum ad audientiam Apoſtolicæ Sedis multorum inſinuatione perductio, quòd nonnulli profanæ multitudinis viri, qui vulgariter Fratricelli, ſeu Fratres de paupere vitâ, aut Bizochi ſiue Bighini, vel aliis nominibus nuncupantur in partibus Italiæ, necnon in Inſulâ Siciliæ, Comitatu Prouinciæ Narbonenſ. & Tholoſan. Ciuitatib. & Diœc. ac Prouinciis aliiſque ciſmarinis partibus contra ſacros Canones habitum nouæ religionis aſſumere, congregationes & conuenticula facere, & ſuperiores ſibi ipſis eligere, quos Miniſtros, ſeu Cuſtodes vel Guardianos aut nominibus appellant alijs, plurimos ad eorum ſectam recipere, loca etiam de nouo conſtruere ſeu conſtructa recipere, in quibus habitant in communi, publicè mendicare quaſi eorum ſecta vna de religionibus per Sedem Apoſtolicam approbatis exiſteret, temeritate damnabili præſumpſerant & præſumebant etiam inceſſanter, & vt ipſorum error veritas, & impietas religio putaretur, plurimi eorum regulam Ordinis Fratrum Minorum quam Sanctus Franciſcus inſtituit ſe

 profiteri

profiteri, & ad litteram obſeruare fingebant, quamquam ſub obedientiâ generalis, vel Prouincialium Miniſtrorum ipſius Ordinis minimè morarentur, prætendentes ſe à ſanctæ memoriæ Cœleſtino Papa V. prædeceſſore noſtro huiuſmodi ſtatus ſeu vitæ priuilegium habuiſſe, quod tamen etiamſi oſtenderent, non valeret, cùm fel. rec. Bonifacius Papa VIII. prædeceſſor noſter ex certis cauſis rationabilibus omnia priuilegia ab ipſo Cœleſtino conceſſa, quæ per ipſum Bonifacium non contingeret approbari, viribus vacuaſſet, nec dictum priuilegium inueniretur per eundem Bonifacium approbatum. Nos attendentes quod in errorum barathrum faciliter ruunt, qui conceptus proprios Patrum diffinitionibus anteponunt, ipſorúmque quàmplurimi, ſicut nobis fide digna innotuerat relatio à veritate Catholicæ fidei deuiabant, contra ſectam, ritum, & ſtatum huiuſmodi authoritate Apoſtolicâ de fratrum noſtrorum conſilio proceſſimus ſub hac formâ. Ioannes Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Sancta Romana atque vniuerſalis Eccleſia, &c. poſt inſertam de verbo ad verbum decretalem, ſequitur; *Sanè quia ſectam præfatam non reſurgere, ſed abolitam remanere perpetuò, prædictámque inuiolabiliter obſeruari ſententiam, plenis deſideriis affectamus, ad quod expedire plurimum credimus proceſſum, & ſententiam huiuſmodi ſæpius præſente fidelium multitudine præſentibus diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ diſtrictè iniungendo mandamus, quatenus vos, & quilibet veſtrum per vos, & alios viros religioſos, & ſeculares exemptos, & non exemptos de quibus videbitur vobis, quos ad hoc, non obſtantibus exemptionis, & quibuſuis aliis priuilegiis eis aut eorum ordinibus, aut locis ſub quacumque formâ, vel expreſſione verè conceſſis, compellere per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſitâ valeatis ſingulis diebus Dominicis, & feſtiuis in Eccleſiis, & locis vrbis & Roman. Prouinciæ, ac patrimonij Beati Petri in Tuſciâ, ac partium vicinarum, ac in ſermonibus publicis, & de quibus expedire cognoueritis, eoſdem proceſſum, & ſententiam, dum clerus, & populus ad diuina vel ſermones audiendos conuenerint, publicantes omnes, & ſingulos ſectam huiuſmodi obſeruantes generaliter necnon nominatim illos, quos vobis ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figurâ iudicij conſtiterit in præmiſſam incidiſſe ſententiam, excommunicatos denunciare, ſingulis diebus Dominicis, & feſtiuis in eiſdem Eccleſiis, locis, & ſermonibus publicè procuretis. Et quia ſine fautoribus, & receptatoribus diu peſtilentes homines huiuſmodi latere non poterunt, nec durare diebus Dominicis & aliis ſolemnibus præſente fidelium multitudine copioſa ſub excommunicationis pœnâ & aliis, quæ fautoribus, & receptatoribus talium per iura canonica ſunt inflicta, vt à fautoriâ receptione & defenſione illorum publicâ, & occultâ debeant abſtinere moneatis, & efficaciter inducatis contra non parentes monitioni huiuſmodi ad denuntiationem inflictarum, & inflictionem comminatarum pœnarum huiuſmodi & alias prout expedire videritis Apoſtolicâ auctoritate ſimpliciter, de plano, abſque ſtrepitu, & figurâ iudicij iuxta ſtatuta canonum, & priuilegia conceſſa Inquiſitionis officio procedendo, inuocato ad hoc, ſi neceſſe fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Volumus autem, quod de publicatione, monitione, ac aliis ſupradictis confici faciatis publica inſtrumenta, illa nobis*

poſtmo

poſtmodum fideliter tranſmiſſum. Datum Auinion. 5. Idus Februarij, Pontificatus noſtri anno 18.

Scriptis aliis 3. Idus Februarij eiuſdem anni commiſit eidem Epiſcopo Viterbienſ. & fratri Simoni Philippi de Spoleto Ordin. Minorum Inquiſitori vrbis, & Prouinciæ Romanæ, vt in eoſdem Fratricellos diligenter ex officio inquirerent, ſed quia prolixum eſſet eas ad longum tranſcribere ſufficiet inſtituto attexere initium, quod ita habet.

IOANNES EPISCOPVS, &c.

AD noſtri Apoſtolatus peruenit auditum quod ad tuam fili Inquiſitor, dudam perducto notitiam, quod quidam peſtilentes homines, qui ſe faciunt Fratricellos ſeu Fratres de paupere vita vulgariter nominari, quorum ſecta, ritus, & ſtatus damnati & ſub excommunicationis pœnâ promulgatâ in quoſcumque præſumentes contrarium perpetuæ prohibitioni ſubiecti dudum per Sedem Apoſtolicam extiterunt in vrbe, & circumuicinis partibus occultè quandoque, & interdum publicè morabantur, peſſimas hereſes & errores damnatiſſimos profitentes, & etiam ſeminantes, quibus alios inficere periculosè nimium ſatagebant, &c. *Datum Auinion.* 3. *Idus Febr. Pontif. noſtri anno* 18.

Probet mihi porrò Bzouius Ceſænatem & complices aſſumpſiſſe habitum religionis nouæ contra Canones, viros fuiſſe prophanæ multitudinis qui profeſſionem mentiebantur regulæ Franciſcanæ, qui exemptionem ſuam priuilegio per Cœleſtinum conceſſo aſſerebant. Eiuſmodi fuêre in opinione Ioannis Pontificis Fratricelli, eiuſmodi fuiſſe deſcribuntur in decretalibus: alios autem non agnoſcunt Fratricellos: vel producat ſemel, vbi vocatus eſt Ceſænas à Ioanne, aut aliis eius temporis, Fratricellus? vbi pro Fratricello damnatus? præſtò ſunt ſententiæ in eum promulgatæ, in quibus nec nomen, nec hæreſes, nec ſcelera Fratricellorũ expreſſa quiſpiam inueniet. Hæc fortè diſſimulanda erant in Michaële iam rebelli, & ſchiſmatico? vel ea diſſimularet Ioannes, qui hominem pridem damnauit, & quantum licuit eſt vltus. Sed fortè ſtatum mutantes Fratricelli facti ſunt alij ſub Benedicti anno primo, quos proinde Benedictus totius ſchiſmatis authores anathemate percuſſit. Bzouius remittit lectorem ſuum ad archiuium Vaticanum citans tantùm epiſtolam 410. nihil aliud expediret videre decretalem Benedicti, vt liquidò conſtaret, ſi ex ſententiâ decretalis Ceſænas, & Ocham dicantur Fratricelli, an verò præſumptione Bzouij. Deinde ſi illos, aut veros Fratricellos perſtringant. Ego malitiam meam ingenuè fateor, mihi in ſuſpicionem venit aduerſarius non leuem eius fraudis, quam ſæpius deprehendi, quia occurrit mihi ex Archiuio Aracœlitano miſſa decretalis Benedicti hoc anno data contra Fratricellos eoſdem, quos Ioannes damnauit; quam in gratiam lectoris ſubiiciam, vt fidem faciat Ioanni & Benedicto eandem ipſam & ſectam, & nomen Fratricellorum inuiſum fuiſſe, atque ab vtriſque damnatum, nec vllatenus in ſententia diſcrepâre.

BENEDICTVS EPISCOPVS, SERVVS ſeruorum Dei; Dilecto filio Inquiſitori hæreticæ prauitatis in Prouincia Roman. authoritate Apoſtolicâ deputato ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Licèt dudum ſecta illa peſtifera, quæ Fratricellorum, ſeu Fratrum de paupere vita dicebantur, vulgariter reprobata & damnata perpetuæque prohibitioni ſubiecta fuerit per Sedis Apoſtolicæ prouidentiam circumſpectam; nonnulli tamen pernicioſi homines, & peruerſi ſe Fratricellos, ſeu Fratres de paupere vitâ nominantes ſub habitu, quem geſtare ante reprobationem prædictam ſolebant homines dictæ ſectæ in Prouinciâ Roman. ſuas iniquas damnatas congregationes, ſicut habet multorum aſſertio, faciunt ac periculoſos & deteſtandos errores & hæreſes ibidem diſſeminant, & vt ex illis ſinceritatem fidelium poſſint inficere, ac corrumpere, illos dogmatizare præſumant ſub ouinâ pelle, ad decipiendum citiùs ſimplices, vulpinam, quâ vtuntur, aſtutiam abſcondentes. Nos igitur tam periculoſam, & præſumptuoſam ipſorum audaciam refrænari, & corrigi, ac prædictos, & quoſuis alios errores, & hæreſes extirpari de medio fidelium cupientes, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ diſtrictiùs iniungendo mandamus, quatenus inquiſitionis commiſſum tibi officiū diligenter & fideliter ſuper iis, & aliis exequens & exercens de prædictis nequam hominibus, eorúmque complicibus, receptatoribus, defenſoribus & fautoribus ac eorum & cuiuſlibet ipſorum in hac parte criminibus, erroribus, & hæreſibus ſimpliciter, & de plano ſine ſtrepitu & figurâ iudicij ſolerter inquirere, & ne de ipſorum erroribus, & hæreſibus habere valeas pleniùs, & citiùs veritatem libris, & ſcripturis eorum per te ſicut cautius poteras perquiſitis, & captis ad correctionem, & punitionem ipſorum ac complicum receptatorum, defenſorum, & fautorum eorum, prout cuiuſlibet exceſſus vel criminis qualitas exegerit procedere ſecundùm ſanctiones canonicas & priuilegia prædicto conceſſa inquiſitionis officio adhibitâ diligentiâ operosâ procures. Inuocato ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachij ſecularis. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſitâ compeſcendo. Non obſtante, ſi eis vel eorum aliquibus communiter, vel diuiſim, ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Datum apud Pontemſorgiæ Auinionenſ. diœceſ. 7. Idus Iulij, Pontificatus noſtri anno 1.

Hæc Benedictus contra Fratricellos, ea ipſa vel alia eiuſdem argumenti occurrit Bzouio fortè; id certò conſtat nullam in Archiuio legiſſe, quæ Ceſænatem aut Ochamum illius appellationis, aut ſectæ fuiſſe conſtituat.

BZOV.

B z o v. *Cum etiam inter Cardinales exiſtens doctâ reſponſione errores, & hæreſes illorum confutaſſet*, &c.

Niſi oſtendero ſuo loco obiectiones veras omnes, & Catholicas eſſe, reſponſiones falſas, erroneas, atque ex parte hæreticas, cauſa, & foro cedam: patientiam ergò habe in me, donec omnia reddam tibi.

B z o v. *Non illubet iterum errores recenſere, vt legentibus ſit exploratum magis, quantum poſſit pater mendacij affundere his, qui ab vtero lucis diuinioris Eccleſia Romana Catholica errauerint. Subijcit quinque & quinquaginta author Directorij Inquiſitorum.*

Siue ex vtero ſiue ex vtre hæc narratio effuſa eſt à luce diuinioris, & humanioris veritatis longè aberrauit. Quid Ceſænati cum Petro Ioannis? quid cum eius ſectatoribus, quos vltus eſt Miniſter Generalis exiſtens? quid eidem cum Eccleſia carnali Antichriſto, & huiuſmodi deliriis Begardorum, contra Eccleſiam Romanam, & Pontificem, vt qui nunquam ab eadem eiúſve fide Sedis ceſſiſſe fatebatur (vt rectè notauit doctiſſimus vir Iacobus Gualteri) qui eamdem appellauit, qui ad authoritatem decretalium eius per omnia confugit; de Ioanne Pontifice hoc ſolùm conqueſtus, quod iiſdem obuiarit. In Capitulo Perpinianenſi, vt præmiſſum eſt, inquiſitus, de quinque dumtaxat articulis, & hoc per deceptionem, & calumniam accuſatus fuit, quorum ne vnus quidem hiſce inſeritur. Qui de errore Ceſænatem, & Ochamum perſtringunt in hoc damnant, quod contrarium eius defenderint, quod per decretalem, *Cum inter nonnullos.* eſt definitum. Sed his ſuperiùs abundè eſt reſponſum, quibus etiam ſatisfacit Sanderus in ſuâ Monarchiâ Eccleſiaſticâ ad annum 1316. *Erant*, inquir, *hac ætate, qui dicerent, Chriſtum eiúſque diſcipulos, & veros imitatores nihil in ſpeciali aut in communi ſuum habuiſſe, ob quam doctrinam Michaël Ceſenas fratrum Minorum Generalis Miniſter, & Vvilhelmus de Ocham excommunicati ſunt à Ioanne XXII. ac poteſt quidem fieri, quod iſti duo nihil aliud ſenſerint, quam Chriſtum & Apoſtolos nihil habuiſſe proprij ſecundùm ſæculi huius conſuetudinem. Sed in eo peccarunt, quod ſummi iudicis decreto ſuum qualemcumque ſenſum non ſubiecerunt.* hactenus Sanderus. Excuſatio vera eſt, Michaël tamen & Ochamus non ex cauſa doctrinæ, ſed ob fugam & tranſgreſſionem præcepti Pontificij excommunicationem incurrerunt, vt ſuperiùs diſſeruimus tam ex ipſa ſententia in eos lata, quàm ex aliis authoribus. Vide ſuprà.

Cæterùm admitto Ceſænatem, & Ochamum eo ſenſu Begardis aggregari, quo propoſitiones veræ, & Catholicæ, quæ nihil aliud, quàm Eccleſiæ determinationes ſeu quid affine ſonant, inter eorum hæreſes, & errores primâ computantur claſſe: illas namque, provt à nobis explicatæ ſunt, docuerunt. Sed quis Eccleſiæ determinationes hæreſis & erroris agit? Bzouius & anteſignanus, eâ fortè digni notâ, quam inurunt. Ad veritatem profectò ſi affectus præponderat parum inclinati.

Hacte

Hactenus ille ſpecimen præbuit ſuæ in rebus Franciſcanis fidei, audiamus & nunc Eymericum eiuſdem inſtituti, authorem Directorij, ouum ouo ſimillimum. Laceſſiuit ille Franciſcanos, nec impunè tamen ceſſere fallaciæ, illis ad defenſionem ſtantibus; ſuppoſuit nomine Gregorij Pontificis Bullam Apoſtolicam, quam infrà habes quæſt. 26. eam vltus eſt Rex Aragonum, amandato in exilium authore. Sed de hoc alias, non immemor ille vulneris, vindicias vbique in Franciſcanos parauit, hic potiſſimum ex occaſione Ceſænatis totum profudit ſtomachum, quem opportunè excepit Bzouius, Annalium non tam decori quàm augmento; falsò tamen vterque Ceſænatem Begardis aggregat, nec verius eoſdem tertio Ordini Sancti Franciſci addixit Eymericus, vt ſuperiùs primâ diſſertatione probauimus. Subiicit mox Eymericus, numeratis quinquaginta & quinque, vt ipſe vocat, erroribus, ſequentia, vt gradatim in Ceſænatis accuſationem deſcendat.

Calumniæ Eymerici. *Et quia prædicti errores*, inquit, *fundantur originaliter in paupertate Euangelicâ, quam dicebant eſſe mendaciter, quod Chriſtus, & Apoſtoli non habuerunt aliquid in proprio, nec in communi, & quod in his, quibus vtebantur, non habebant aliquod ius, ſed ſolummodo ſimplicem vſum facti, ideò Dominus Ioannes XXII. declarauit contrarium*, &c. *& condidit de conſilio fratrum extrauagans*, Cùm inter nonnullos, &c. adiicit ipſam decretalem ſubſcribens argumentum extrauagantis, *Ad conditorem.* tale.

Et quia prædictæ conſtitutioni, Cùm inter nonnullos. *dictus frater Michaël de Ceſena Miniſter Generalis fratrum Minorum hæreticus contradixit patenter, publicè, & impudenter, cum ſuis complicibus mendaciter*, &c. *idem Dominus Ioannes XXII. conſtitutionem edidit quæ incipit*, Ad conditorem canonum, &c.

Verùm quia ille hæreticus Michaël antedictus cum quàm pluribus ſociis ſuis conſtitutioni, Ad conditorem. *etiam detrahebat, & ambas*, Cùm inter, *&* Ad conditorem. *pariter condemnabat: Idem Dominus Ioannes tertiam conſtitutionem edidit quæ incipit*, Quia quorundam mentes, &c. *& errores duos prædictos de proprio & communi fortius extirpauit*, &c.

Refellitur Eymericus. Quàm falſa ſunt omnia hæc ex ſuperiùs relatis patet, ſi vel mentem paulìſper ad tempus ipſum referamus. Michaël porrò Ceſænas nihil vſpiam aduerſus decretales aut Pontificem oppoſuit, donec eidem factus eſt rebellis, nec quidpiam in quæſtione docuiſſe reperitur, præter illam deciſionem Peruſinam cum ſuis fundamentis, quæ extant apud Aluarum Pelagium lib. 2. de planctu. Hoc manifeſtum eſt ex Mariano, Marco Vlyſiponenſe ſuprà citatis: lectorem remitto ad Apologiam Gerardi Odonis ad proceſſus tam à Pontifice, quàm ab ipſa religione contra eundem promulgatos, in quibus dumtaxat reus agitur in iis, quæ poſt apoſtaſiam huius argumenti ſcripſit. Cæteris omnibus præſtat id ex ipſa damnatione eius per Ioannem latâ oſtendere. Incipit: *Ad noſtri Apoſtolatus auditum*, &c. datu eſt vno poſt fugam Ceſænatis anno ſcilicet 1329. 12. die menſis Maij. In conſtitutione præmittit

Ponti

Pontifex fugam Ceſænatis, & complicum, & ſententiam in eoſdem, ſuperiori anno latam, excommunicationis, priuationis, inhabilitatis (quæ promulgata eſt 6. Iunij 1328.) Deinde ad vlteriorem procedens vltionem ſubdit: *Sanè*, inquit, *quia prafatus Michaël iis non contentus* (ſcilicet fugâ ad Bauarum, & tranſgreſſione præcepti, quo Auinione detinebatur) *venenum, quod corde occultum diu tenuerat, euomere publicè velut in ſenſum datus reprobum non formidans, ad ciuitatem Piſanam, qua per eundem Ludouicum de Bauaria*, &c. *non expauit dirigere greſſus ſuos*, &c. *nonnulla erronea, & hareticalia contra conſtitutiones, & declarationes Sedis Apoſtolica, præſertim contra illam, qua incipit:* Cùm inter. *ſcribere ac dogmatizare in diuerſis locis publicè, ſicut fama ſeu potius infamia publica notoriat*, &c.

Tum ergo primùm ex ſententia Pontificis venenum, quod diu occultum tenuerat Michaël, euomere publicè, & conſtitutionem, *Cùm inter.* ſcriptis impugnare, & contra eam dogmatizare cœpit, quando fugâ dilapſus Ludouico Cæſari ſe coniunxit Piſis. Hoc contigit anno 1328. tribus annis poſtquam edita eſt vltima conſtitutio, *Quia quorundam.* promulgata anno 1325. quinque verò annis poſtquam reliquæ duæ emanarint, *Cùm inter*, videlicet, &, *Ad conditorem.*

Ex quibus ad oculum apparet vanitas Eymerici authoris Directorij: ſi enim anno 28. primùm cœpit Michaël impugnare publicè extrauagantem, *Cùm inter nonnullos.* quomodo ex eius contradictione *patente publica, & impudente* (vt is fingit) motus Ioannes edidit aliam, quæ incipit, *Ad conditorem.* quinque retrò annis. Quomodo etiam vtriuſque tam huius, quàm illius impugnatio ab eodem facta, enixa eſt tertiam, *Quia quorundam.* tribus antequam contradixerit annis? ſed vt cætera omittam, quàm incredibile eſt in ſupremo magiſtratu Ordinis Seraphici toleratum fuiſſe per annos quinque patenter, publicè, & impudenter authoritatem Ioannis impugnantem? fidem ergo excedit eiuſmodi vana, quam texit Eymericus, conſtitutionum genealogia, cuius veſtigiis inhærens Franciſcus Penna, vir alioquin doctus, & grauis, non ſecus ac ille aberrauit, in notis ad eandem quæſtionem, & vt decretales aliam ex alia ortam monſtraret, confundit argumenta, illius non immemor erroris, quem aliàs in eodem reprobauimus; Fratricellos damnatos extrauagante quæ incipit; *Sancta Romana Eccleſia.* denuò execrationi ſubiicit, per aliam quæ incipit: *Glorioſam Eccleſiam.* contra expreſſam vtriuſque decretalis ſententiam, vt aliàs diſſeruimus; nam prima contra viros profanæ multitudinis, nulliúſque approbatæ religionis, nouæ ſectæ inuentores data eſt: Hæc verò non illos, ſed quoſdam religionis Franciſcanæ rebelles, & factos contumaces Prælatis inſectatur; Idem, neſcio quâ fide, Gulielmum Ochamum ait extitiſſe congregationis, & Ordinis Fratricellorum, quos damnat conſtitutio, vt præmiſſum eſt, *Sancta Romana Eccleſia.* tanquam peregrinam ſectam nullius approbatæ religionis, inſtituto, & habitu nouam. Conſtat autem ex veris & probatis hiſtoriis Ochamum Miniſtrum fuiſſe Angliæ religionem Franciſcanam profeſſum. Idque ex deciſione Peruſina, aliiſque in

Error Pennæ.

in defenſionem eius datis, quibus ſcripſit ſe Angliæ Miniſtrum. Simili progreſſu Ceſænatis, & huius Ochami nomen per illas ſuprà relatas tres conſtitutiones traducit, aſſerens, illum magnâ complicum cateruâ ſtipatum, tam primam, quàm ſecundam momordiſſe totis viribus, verbis & ſcriptis impugnaſſe; proinde mox editam extrauagantem, *Quia quorundam.* velut improbitate ſuâ extorſiſſe. Subiicit, quod vanius eſt, eos auſos fuiſſe etiam Auinione in conſiſtorio ſuo Ioanni in faciem reſiſtere, & appellare: nempe profectus erroris eſt, vt ex vno in alium degenerare comperiatur: ſed quia in his & aliis, quos ſubiungit pridem errorem Bzouij vel vtriuſque fuſiùs confutauimus, ſuperſedendū duxi. Admoneo grauiùs lapſum fuiſſe Pennā ſuo duce Eymerico, & eiuſmodi notulas propriâ magis coniecturâ, quàm ex decretalibus vel ex hiſtoriis concepiſſe: In primis Michaëlem poſt appellationem in conſiſtorio Auinione, Piſis in Italia, in Ciuitate Medonenſi in Germania, depoſitum officio in Capitulo Pariſienſi; damnatum variis ſententiis à Ioanne Pontifice, ſiſtit tandem Auinione tribunali his verbis: *Cùm verò poſt multas blaſphemias vbique verbis, & ſcriptis contra conſtitutiones Domini Papæ, & Sedem Apoſtolicam prolatas Michaël de Ceſena. qui iam fuerat omni dignitate priuatus, Gulielmus Ocham & Bonagratia de Bergamo conuerſus, iuſſi eſſent non recedere à Ciuitate Auinionenſi, ad quam fuerant perducti, illi clam arreptâ fugâ ad præſentiam Petri de Corbario in Antipapam aſſumpti*, &c. *greſſus ſuos dirigere feſtinarunt*, &c. Ita nempe hiſtoriam texunt, qui à ſuo ſenſu nolunt recedere. Michaël depoſitus eſt vno anno poſtquam Auinione fugit in Capitulo Pariſienſi, omniáque iſta à fuga ſucceſſerunt, vt ex præmiſſis ſæpius probauimus. Reſtat vt vnum adhuc teſtimonium authoris huius tranſcribam lectoris ſtudio, & cautelæ. *Interim*, inquit, *Dominus Ioannes XXII.* &c. aliam publicauit incipientem: *Quia vir reprobus Michaël. quæ non eſt impreſſa, nec adhuc peruenit ad manus meas, in qua pleniſſimè impiis eorum appellationibus reſpondit, veritates Catholicas, quas in aliis extrauagantibus definierat, firmiter ſtabiliendo, & errores contrarios confutando*, &c. Vnde precor noſti pleniſſimam eſſe reſponſionem, veritatem Catholicam ſtabilitam, & errores eâ conſtitutione confutatos? Vnde, inquam, noſti, ſi nec impreſſa eſt, nec ad manus tuas peruenerit? nempe teſtimonium ex ſignato necdum aperto libro profers.

Reiectis Eymerico, & Penna, regredior ad Bzouium, qui ne Eymerici quidem fidelis ſectator: Is porrò licèt in Ceſænatem iniquus, in eo iudicio eundem de impugnatione decretalium, & duobus articulis damnatis per decretalem, *Cùm inter nonnullos.* expreſsè tantùm agit; præmiſſos verò quinquaginta, & quinque (vt cum illis loquar) errores, & hæreſes ad alios refert, de quibus tam quæſtio propoſita, quàm eius reſponſio dumtaxat loquitur. Titulus quæſtionis: *De hæreſibus Begardorum, & Beguinorum.* Quæſtio autem hæc eſt: *Quintadecima quæſtio eſt: Hæreſes & errores Begardorum, Beguinorum, Fratricellorum, vel Fratrum de tertio Ordine Beati Franciſci (quod idem eſt) qui inſurrexerunt*

in

in Prouincia Prouinciæ, & in Prouinciis Narbonæ, Tholoſæ, &c. *& aliis mundi partibus*, &c. *qui ſunt?*

Reſponſio. *Hereſes autem & errores Begardorum, Beguinorum, Fratricellorum, vel Fratrum de pœnitentia de tertio Ordine Sancti Franciſci iſti ſunt.* Subiungit perpetuos quinquaginta quinque articulos de quibus ſuperiùs. Cæterùm quod Begardos ſeu Fratricellos confundat cum tertiæ regulæ S. Patris noſtri Franciſci profeſſoribus, quod eiuſmodi articulos Petri Ioannis referat ſcriptis, quod denique Ceſænatem ſectatorem illius ſcribat, reüciendus eſt, & veritas ſuis locis quærenda, vbi de hiſce fuſiùs diſſeruimus.

Deinceps autem feſtinare lubet ad reſponſionem illam (vt iidem aſſerunt) Cardinalis ad obiectiones Ceſænatis, & complicum; audire tamen primò lubet ea in parte cenſuram Bzouij.

B Z O V. Num. eodem. *Benedictus Pontifex*, &c. *Fratricellos*, &c. *anathemate percuſſit: cùm etiam olim inter Cardinales exiſtens doctâ reſponſione errores, & hæreſes illorum confutaſſet*, &c. & num. 3.

Hæc & complura alia Beguini ſpiritu vertiginis correpti, cùm verbo, & ſcripto pronunciaſſent, non ſibi æquum putauit Benedictus Pontifex, vt ea toleraret; neque maiorem curam veritatis tuendæ vindicandæque ſuſciperet quàm olim Cardinalis feciſſet: Námque ante Pontificatum Zelo honoris Sedis Apoſtolicæ inflammatus, Beguinis, & Fratricellis ſeſe conſtanter oppoſuerat: & hæc quæ ſubiungo totidem & eiſdem ferè verbis repoſuerat. Hanc deſuper notam titularem margini inſcribit: *Reſponſio ad quoſdam errores Fratricellorum facta à Benedicto Papa, dum adhuc Cardinalis eſſet.* Num. 4. *Ad eum modum cùm olim inter purpuratos Patres Iacobus adſcriptus pro dignitate Ioannis Pontificis XXII. reſpondiſſet*, &c.

Bzouij ergo ſententia eſt obiectiones præfatas hæreſes eſſe, & errores; reſponſionem doctam, ac proinde ſanam, & veram, pro dignitate Ioannis conceptam. Antequam iudicium noſtrum de eiuſmodi cenſurâ proferamus, æquum erit reſponſionem ipſam primùm diſcutere, quidque veri, quid falſi contineat indagare, & quia apud Bzouium nihil ſine corruptelâ, recurrendum erit ad ipſum authographum, Directorium ſcilicet Inquiſitorum 2. part. quæſt. 17. vbi hanc Cardinalis reſponſionem Bzouius inuenit, ſed non fideliter tranſcripſit, vt conferenti tranſumptum cum originali conſtabit. Ita quæſtionem proponit Eymericus Directorij Inquiſitorum 2. part. quæſt. 17.

QVÆSTIO XVII.

De obiectis Fratricellorum contra conſtitutiones Ioannis XXII. cum reſponſionibus ad illa.

Decimaſeptima quæſtio eſt: Hereſes & errores, qui per nonnullos aduerſarios veritatis (opponentes ſe dictis determinationibus factis per dictum Dominum Ioannem Papam XXII. de proprio, & communi) aſſeruntur mendaciter, atque falsè, qui ſunt?

Ad hanc reſpondemus, quòd poſt prædictas determinationes factas de proprio, & communi in conſtitutionibus, Cùm inter nonnullos. *&*, Quia quorundam. *quàm plures pſeudo-fratres Minores à communi vita, & moribus Ordinis fratrum Minorum Sancti Franciſci deuiantes dixerunt, ac falsò aſſeruerunt infraſcriptas hereſes, & errores ſequi ex dictis conſtitutionibus, quas Dominus Benedictus XII. dum eſſet Cardinalis recollegit atque ſoluit per modum, qui ſequitur, luculenter,* &c. Applicabimus limam conferentes tam obiectiones quàm reſponſiones cum fidei principiis, receptáque doctrina, tum verò apparebit, cuiuſnam opus reprobabitur adulterinum, & corroſum.

Obiectio prima.

Primò quidem aſſerunt, pro ſui erroris fundamento, quod Apoſtoli, & Religioſi vitam Apoſtolorum ſequentes, non habuerunt, nec habent in rebus vſu conſumptibilibus, necnon conſumptibilibus vſu, aliquod ius dominij, vel proprietatis, aut ius vtendi in ſpeciali, vel in communi, ſed tantùm vſum ſimplicem facti, dominio, & proprietate talium rerum penes alium manente.

Cenſura.

Infideliter citatur fundamentum Ceſænatis, & Ochami, nec enim in ea amplitudine locuti ſunt, vt conſtat ex deciſione Peruſina, in qua & tempus determinatur (quo Apoſtoli eam ſequuti ſunt paupertatem) & dominium ſeu proprietatem iure ciuili introductam tantùm pro eo tempore excludunt, quæ proprietas, ſeu dominium forum, & actionem concedunt: non moror ipſam deciſionem.

Deciſio Peruſina. *Determinationi S. Rom. Eccleſ. firmiter, & totaliter inhærentes, concorditer, & vnanimiter dicimus, & fatemur: quod dicere, & aſſerere quod Chriſtus viam perfectionis oſtendens, & Apoſtoli eandem perfectionis viam ſequentes, atque per exemplum in alios volentes perfectè viuere deriuantes, nihil*

nihil iure proprietatis, & dominij ſeu iuris proprij in ſpeciali, & in communi habuerunt, non eſt hereticum, ſed ſanum, catholicum & fidele, &c. Hactenus Michaël in conuentu Peruſino, nihilque aliud hic docuit, aut ſuppoſuit pro fundamento, quàm hoc genus paupertatis Chriſti, & Apoſtolorum exemplo probari licitum, eâ determinatione, quâ idem declarauit Nicolaus Papa. Hoc manifeſtum eſt ex obiectione 2. & 4. quibus ad Nicolai authoritatem pro defenſione prædictæ paupertatis recurritur. Idem confirmant 5. 6. 8. 9. ſed præ cæteris ſeptima obiectio, non aliter ſcilicet loquutos fuiſſe de paupertate ſiue Apoſtolorum, ſiue Franciſcanorum, quàm iuxta ſenſum Nicolai in decretali, *Exiit.* imò hoc ipſum concedit aliquoties non obſcurè author reſponſionis, qui Nicolao proinde in hoc errorem impingit eundem cum opponentibus per totam reſponſionem, & maximè reſponſione ad obiectionem 13. in qua concedit in decretali, *Exiit.* erratum eſſe in doctrinâ, & vitâ Chriſti, & Apoſtolorum. Diſſertatio ergo Michaëlis, & Ochami pro declaratione Nicolai fuit, & eâ paupertate, quam illa docuit: reductâ autem primâ obiectione ad limitatam decretalis ſententiam, eandem cum ipſa veritatem, & fidem meretur, ac proinde in eâ limitatione nec hæreſim, nec errorem aſſerit, vel infert; vera enim eſt Pontificis ab vniuerſali Eccleſia recepta, & à multis ſucceſſoribus approbata definitio, vt ſuperiùs diſſeruimus, eiuſdem decretalis authoritatem firmantes.

Adiicio vlterius in ea etiam generalitate intellecta obiectio, ſi excludat dumtaxat ciuile dominium, & proprietatem ab Apoſtolis; non eſſe hæreſim, vel errorem, ſed probabilem & fundatam doctrinam plurium Doctorum, Aluari Pelagij lib. 2. de planctu cap. 56. Sanderi de viſibili Monarch. ad annum 1316. Nau. apol. de redit. quæſt. 1. monit. 10. & ſeqq. ac aliorum, qui paſſim occurrent lectori.

Reſponſio Cardinalis.

Ad illud reſpondet Dominus Benedictus, & dicit, quod prædictum fundamentum hereticum eſſe declaratum eſt: prout in decretali, Cùm inter nonnullos. *continetur: quia (vt diligenter conſideranti apparet) contrariatur diuinæ ſcripturæ, ſanctorum Patrum doctrinæ, & conſuetudini totius Eccleſiæ.*

Cenſura.

Hæc reſponſio quoad primam partem manifeſtè eſt falſa. Prædictum porrò fundamentum iuxta ſententiam decretalis, *Exiit.* (qui fuit verus Ceſænatis intellectus) non fuit damnatum per extrauagantem, *Cum inter nonnullos.* vt ex concordia vtriuſque decretalis per plures, & nos ſuperiùs facta, conſtat. Quoad ſecundam partem maiorem meretur notam, maximè ſi attendatur reſpondentis ſenſus erroneus in ſequentibus expreſſus. Æquiualet porrò huic; Pontifex determinauit aliquid

in quæſtione fidei, & morum, & acceptauit Eccleſia, quod contrariatur diuinæ Scripturæ, & Sanctorum Patrum doctrinæ, quæ eſt aſſertio omnium opinione hæretica, ſi enim deficeret fides Petri, portæ inferi præualerent aduerſus Eccleſiam tali errore ſeductam. Id de facto contigit ex mente reſpondentis, nam Pontifex determinauit Chriſti, & Apoſtolorum paupertatem ſeu expropriationem tam in particulari, quàm in communi fuiſſe, eamque meritoriam & ſanctam: *Dicimus,* inquit, *quod abdicatio proprietatis huiuſmodi omnium rerum tam in ſpeciali, quam etiam in communi propter Deum meritoria eſt & ſancta, quam & Chriſtus viam perfectionis oſtendens verbo docuit, & exemplo firmauit, quámque primi fundatores militantis Eccleſiæ, prout ab ipſo fonte hauſerant in volentes perfectè viuere, per doctrinæ, ac vitæ ipſorum alueos deriuarunt,* &c. Hæc determinatio acceptata ab Eccleſia, confirmata per ſucceſſores Nicolai tanquam vera, Apoſtolica, vt aliàs oſtendimus: eam tamen contrariari Scripturæ, & Sanctis Patribus criminatur author Reſponſionis, cui non eſt inconueniens infra Pontificem, & Eccleſiam ſeduci in fide errore iudiciali, modò non adſit peruerſitas voluntatis: peruerſum ſanè dogma.

Secunda obiectio.

Secundò dicunt, quod prædictam paupertatem fuiſſe Chriſti, & Apoſtolorum determinauit Dominus Nicolaus Papa III. in §. Porrò abdicatio proprietatis omnium rerum, &c. *in conſtitutio.* Exiit.

Cenſura.

Id euidens eſt ex verbis iam præmiſſis. Hæc ergo ſiue obiectio ſiue aſſertio dicenda ſit, omni notâ hæreſis, & erroris libera eſt.

Reſponſio.

Reſpondet quod licèt illud in conſtitutione dicta continetur, tamen ex Scriptura diuina verum eſſe non oſtenditur, ſed ſolummodò narratur, & tamen iam nos oſtendimus, quod contrarium haberi poteſt ex ſcripturâ Apoſtolicâ, & Euangelicâ: ex quâ ſcripturâ motus Dominus noſter Papa declarauit dictam aſſertionem (ſi pertinax eſſet) hereticam eſſe ſicut contrariam diuinæ Scripturæ. Nec hoc aſſerit ſimpliciter, & determinatè Dominus Nicolaus, qui dictam conſtitutionem fecit, ſed ſolummodò hoc dicit incidenter, & narratiuè. Poſito etiam quod determinatiuè diceret non obſtat, cùm contrarium inueniatur in Scripturâ diuinâ, ſi diligenter attendatur, & nunc eſt per Eccleſiam determinatum, & patet ex ſupradictis in tractatu prædicto. Hactenus reſponſio.

Cenſura.

Cenſura.

Reſponſio quatuor integratur partibus, quarum prima partim imperitiam notat authoris, partim falſa eſſe conuincitur: *Illud*, inquit, *in conſtitutione continetur: tamen ex ſcripturâ diuinâ verum eſſe non oſtenditur, ſed narratur.* Quaſi deciſio, ſeu definitio Pontificis in diſcurſu non authoritate fundaretur; diſcurſiuè concipi, non aſſertiuè deberet. Licèt porrò definitio ſupponat Inquiſitionem veritatis, per varias Doctorum collationes, in his tamen non firmatur eius certitudo, ſed in Pontificis authoritate per Spiritus Sancti infallibilem aſſiſtentiam directâ, & confirmatâ. Nec rationes, ſi quando adducuntur, ad formulam definitiuam ſpectant, nec eandem cum ipſa firmitatem, robur, aut veritatem ſortiuntur, niſi aliundè id ipſis contingat. Nonnullæ enim quandoque ſunt topicæ, nonnullæ incertæ, vt apud omnes eſt in confeſſo; hinc illud vulgare: Decretum obligare ſubditos, non rationem decreti, perinde in hoc locum habet, ſicut in aliis, vt rectè docet Canus de locis lib. 6. cap. 8. ad 4. argumentum. Idem exemplis confirmans, doctrináque hæc ab omnibus recepta eſt: ergo obeſt definitioni Nicolai ſeu declarationi, quod ex ſcripturâ eam non probauerit (hoc doctoris eſt) cùm per modum ſententiæ, authoritatiuè ex cathedra; & præceptiuè promulgari debuit, ſubditos ad eam ligando. Quid porrò operæ præter hæc in ſuâ conſtitutione præſtitit ipſe Ioannes, qui definitionem non probat, ſcripturam in qua fundatur dumtaxat ſupponens: idem ſtylus eſt Nicolai, qui peruia, & clara ſcripturæ teſtimonia ſuppoſuit iam nota, & in ſenſu præmiſſo declarauit. Declarationem autem hanc vocare narrationem, nec grammatica, nec veritas permittit, nec vſus, nec ſtylus.

Conſulatur præ aliis Francofordienſe, & epiſtola Adriani Papæ.

Secunda pars Reſponſionis nihil ingerit præter errorem iam ſæpiùs reprobatum, quaſi Nicolaus errarit, & contrariam ſententiam definierit Ioannes.

Tertiam partem falſam eſſe ſuperiùs oſtendimus, cùm de authoritate declarationis ageretur.

Quarta pars ſupponit errorem, quem inferiùs docet, nempe Pontificem determinare poſſe aliquid contra ſcripturam, & veritatem in quæſtione fidei.

In hac reſponſione ſequentia dogmata continentur.

Primum. Contrarium eius, quod declarauit Nicolaus, haberi ex ſcripturâ Apoſtolicâ, & Euangelicâ.

Secundum. Aſſertionem decretalis ſeu Nicolai damnatam eſſe, vt hæreticam à Ioanne, & contrariam ſacræ Scripturæ.

Obiectio tertia.

Tertiò dicunt quod in his quæ pertinent ad fidem, vel mores determinatum ſemel per Summum Pontificem non poteſt per alium reuocari: talis autem

autem eſt aſſertio Domini Nicolai de Chriſti , & Apoſtolorum paupertate.

Cenſura.

Demus minorem huius argumenti vel dubiam eſſe, vel falſam, ſcilicet Nicolaum aliquid definiuiſſe : non eſt error contra fidem, ſed interpretatio decreti præter mentem Pontificis inuenta. Sed minor ſcrupupulum non ingerit reſpondenti : negat porrò illam maiorem. Hæc tamen aſſertio tam eſt de fide, quàm quod Pontifex habeat in ſeipſo immediatam, & infallibilem aſſiſtentiam Spiritus ſancti de finiendis quæſtionibus fidei, & morum conceſſam. Vnanimis ſcholæ ſententia, à qua pauci admodum, & de oppoſito notati, recedunt. Eam docet Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 1. artic. 10. Walden. lib. doct. fid. cap. 47. Turrecrem. lib. 2. cap. 109. Hoſius lib. 2. contra Brentium. Caiet. opuſc. de poteſt. Conc. cap. 9. Ecchius lib. 1. de primatu cap. 18. Driedo lib. 4. de Eccleſiaſticis dogmat. cap. 3. Ioannes à Louanio libro de perpetua cathedra Petri, protectione, & firmitate cap. 11. Canus lib. 6. de locis cap. 7. Valentia 2. 2. diſput. 1. punct. de Romano Pontifice lib. 4. cap. 3. id probat latiſſimè variis Sanctorum Patrum, &, Pontificum teſtimoniis. Suarez contra Regem Angliæ lib. 1. cap. 5. & latius lib. 3. & multi alij, quos breuitatis cauſa omitto. Quæſtionem diſputare non eſt huius loci, in quo breuitati ſtudemus, ſufficiat oſtendiſſe obiectionem præmiſſam receptæ ſententiæ adhæſiſſe.

Reſponſio ad tertiam obiectionem.

Reſpondet, quod falſum eſt : nam Petrum, qui non ambulabat rectè ad veritatem Euangelij, reprehendit, & correxit Paulus, vt patet ad Galat. 2. & tamen non erat illi par, ſed inferior. Item, Stephanus Papa determinauit, quòd nullus baptizatus per quoſcumque hæreticos veniens ad Eccleſiam Catholicam rebaptizaretur : Sanctus autem Cyprianus cum multis Epiſcopis in Africa celebrans Concilium, determinauit oppoſitum : videlicet, quod baptizati à quibuſcumque hæreticis, ſi ad Eccleſiam Catholicam veniant, ſunt baptizandi, reprobans in hoc Stephanum Papam, vt patet ex Cypriani epiſtolis ad Tubaianum, ad Stephanum, & Pompeium. Concilium autem Nicenum vtramque opinionem Sancti Cypriani, & Stephani Papæ correxit, determinando, quòd baptizati ab hæreticis non ſeruantibus formam Eccleſiæ, venientes ad Eccleſiam baptizentur, vt non ſit contra articulum fidei, & vnum baptiſma, &c. Poſtquam autem per alia exempla (quibus ſuperſedeo) aliis Pontificibus errorem impingit, hæc ſubiicit : *Ex quibus conſtat, quod illud, quod circa fidem, & mores malè determinatum eſt per vnum Papam, vel Concilium, poteſt per alium, perſpectâ melius veritate, corrigi, & emendari. Ideo non eſt mirum, ſi Dominus Ioannes diligenti deliberatione cum multis peritis in Theologia, & in vtroque iure habitâ, reuocauit,*

reuocauit, quæ malè dixerat Dominus Nicolaus de Chriſti, & Apoſtolorum paupertate.

Cenſura.

Reſponſio expendenda eſt quoad ſingula aſſerta, & quoad ea, quæ ſimul ſuppoſuit, vel ex ea colligi poſſunt. Inter Catholicos verò nihil non reprehenſione dignum continet. Prima aſſertio eius eſt; falſum eſſe, quòd vnus Pontifex non poſſit reuocare, quæ alius in quæſtione fidei, & morum definiuit, ſeu determinauit, quod ſupponit Pontificem in publico fidei iudicio, de quo proculdubio loquuntur obiicientes, errare poſſe, alioquin eius definitio nequiret reuocari, cuius oppoſitum Dominicus Bannes cenſet pro traditione Apoſtolicâ ſeruandum: *Et quidem*, inquit, *vt talis haberetur ab omnibus Chriſtianis niſi à tempore Concilij Conſtantienſis in agro Domini inimicus homo, id eſt, diabolus zizaniam ſuperſeminaſſet: Etenim vſque ad illa tempora ſoli Græci errabant in hac parte.* Eadem eſt cenſura Cani loco citato cap. 7. ad finem, hæreſis notâ perſtringentis contrarium, vtpotè damnatum à Sixto IV. decretali contra Petrum Oxonienſem, cuius ſeptima propoſitio fuit, Eccleſiam Romanam poſſe errare in fide, damnatus proinde hæreſis à Concilio Complutenſi, & à Sixto IV. palynodiam emiſit, quam refert Canus ibi, & Bannes concluſ. 5. Damnata etiam à Leone X. contra Lutherum, & à Martino V. in calce Concilij Conſtantienſis. Franciſcus Pitiagenes Summæ diſput. 25. quæſt. 2. artic. 4. conſentit. Adiri poſſunt authores, quos citauimus in præcedenti ad obiectionem cenſurâ. Pitiagenes.

Pergit tamen author obniti, & ſuæ reſponſionis fidem argumentis fulcire. Ita probat definitionem vnius Pontificis in quæſtione fidei & morum reuocari ab alio: *Nam & Petrum*, inquit, *qui non ambulabat rectè ad veritatem Euangelij, reprehendit & correxit Paulus, vt patet ad Galat. 2. & tamen non erat illi par.*

Hæc ratio in ſe futilis eſt, & impertinens ad propoſitum ſi expendatur ſecundùm veritatem; ſi verò torqueatur ad ſenſum reſponſionis, quo eam probare poſſet, facit erroneum intellectum, nempe Petrum in fide definiendo erraſſe contra illud, *Rogaui pro te, ne deficiat fides tua*, & Paulum eam definitionem reuocaſſe, & quod amplius eſt ſupponit definitionem Pontificis non modò à pari, ſed ab inferiore poſſe reuocari, quod clariùs infrà docet aſſerens Cyprianum in Concilio Africano reuocaſſe definitionem, ſeu determinationem Stephani Papæ. Hæc omnia abſurdiſſima ſunt, & ab omnibus vt errores reiecta. Petri factum reprehendit Paulus, non fidem, altero Iudæorum, altero ſcandalum metuente conuerſorum ex gentibus. Petrus infirmitatem Iudæorum expertus, ſuperuenientibus Ieroſolymâ fratribus ſe adiunxit, conuictu abſtinens gentium, ne illos legis tenaces, & ceremoniarum, offenderet. Paulus verò, ne hæc ſimulatio neceſſitatem ſtatueret obſeruandorum legalium, aut gentes exemplo Petri ad Iudaiſmum transferret, id non approbauit, neuter autem in fide quidpiam definiuit.

Tertio loco ſubiicit Stephani Papæ definitionem reprobatam eſſe à Cypriano in Concilio Africano, vtrumque mox correctum per definitionem Concilij Nicæni. Hæc ſecunda ratio pro ſuâ reſponſione adducta, peccat in doctrinâ & peccat in hiſtoriâ.

Primus error reſponſionis. Primus error eſt, aſſerere Stephanum quidpiam in hoc definiiſſe, vt ſupponit reſpondens, ſi ad ſcopum ſuæ reſponſionis collimat; aut fuiſſe loquutum in generalitate, neminem, ſcilicet, ab hæreticis quomodocumque baptizatum, eſſe denuò baptizandum, ſi illi debitam formam non obſeruarent. Mandauit dumtaxat nihil innouandum circa traditionem Apoſtolicam. Res ita fuit; Agripinus Carthaginenſis Archiepiſcopus eam nouitatem induxit, vt reſipiſcentes ab hæreſi in gremium Eccleſiæ non reciperentur, niſi mundati prius lauacro baptiſmi. Putans ſicut nec fidem, ita nec verum baptiſma extra Eccleſiam inueniri, quem ſequutus eſt in hoc Cyprianus, & quidam Africani, & nonnulli etiam in Aſiâ. Nouitatem correxit Stephanus mandans teſte Vincentio: *Nihil innouandum, niſi quod traditum eſt*, id ipſum confirmat pluribus in locis Auguſtinus, vt lib. 5. de baptiſmo cap. 23. *Apoſtoli quidem*, inquit, *nihil exinde præceperunt, ſed conſuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano* (ſupple, à Stephano) *ab eorum traditione exordium ſumpſiſſe, credenda eſt, ſicut ſunt multa, quæ vniuerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta benè creduntur, quamquam ſcripta non reperiuntur.* Stephanus ergò conſuetudinem ab Apoſtolis receptam, & conſeruatam vniuerſim per Eccleſiam teneri voluit, nunquam opinatus baptiſma ſiue intra, ſiue extra eandem cum defectu ſubſtantiali formæ, aut materiæ poſſe miniſtrari; illud verò ſegmen epiſtolæ Stephani, quod apud Cyprianum legitur, in epiſtolâ ad Pompeium, alium ab hoc ſenſum non facit.

Vincentius Lirinenſis. Auguſt.

Verba Stephani. *Si quis ergo*, inquit, *à quacumque hæreſi venerit ad nos, nihil innouetur, niſi quod traditum eſt, vt manus illi imponatur in pœnitentiam*, &c. Præterquam enim, quòd ſenſus eius clauſulæ dependeat ab antecedentibus (vt notat particula illatiua) in quibus neceſſum eſt, probatam fuiſſe traditionem de non baptizandis hæreticis, & de veritate ſacramenti, hæc ipſa, quæ ſequuntur, generalitatem loquutionis ad verum reſtringunt ſenſum, vt de iis intelligatur Stephanus, qui ſubſtantiam ſacramenti obſeruabant: *Nihil innouetur*, inquit, *niſi quod traditum eſt*, &c. circa eos ſcilicet, *qui à quacumque hæreſi redeunt ad Eccleſiam*: ſolum monens ſeruandam traditionem: traditio autem nunquam docuit eos non eſſe baptizandos, quibus verum ſacramentum non fuit collatum, cùm id manifeſtæ ſcripturæ contrarietur: *Niſi quis renatus fuerit*, &c. Ioan. 3.

Euſebius. Idem confirmat Euſebius lib. 7. cap. 3. 4. *Cyprianus*, inquit, *Eccleſiæ Carthaginenſis paſtor, primus inter homines eius ætatis, non aliter, quàm per lauacrum baptiſmatis hæreticos erroris maculis, ante ablutos, in Eccleſiam admittendos exiſtimauit: Verùm Stephanus nihil noui, aut alieni à traditione, ex Apoſtolorum temporibus deriuata moliendum arbitratus, hac de re animo vehementer commotus eſt*, &c.

Secundus error. Secundus error eſt, quod dicat Stephani determinationem ſeu definitionem (vt ex ipſius ſenſu loquar) correctam, & reprobatam fuiſſe

per

per Cyprianum, & Concilia Africana: Hoc nempe indicat lapſum fuiſſe Stephanum, & inferiores, qualis fuit Cyprianus, & dicta Concilia, authoritatem habere corrigendi, & reprobandi definitionem Pontificiam, vel etiam examinandi; quod ſchiſmaticum eſt. Econtra ergò accidit: nam errantem Cyprianum cum Africanis, Firmilianum, & Cappadoces reduxit Stephanus, reiecta fuit nouitas, & communi conſenſu reſumpta traditio, quam nec omnes etiam Africani intermiſerunt; multi enim Cypriani collegæ à veritate ſtetêre, negantes rebaptizandos hæreticos cum Stephano; cui & multa Epiſcoporum millia adhæſiſſe docet Auguſt. lib. 3. contra Creſconium cap. 1. cùm Donatiſtæ eius erroris ſectatores non magis ſeptuagintavnum Africanos, Orientales verò, quinquaginta Epiſcopos in patrocinium aduocare, aut numerare poſſint, qui mox omnes, excuſſo errore, veritatem ſequuti, Stephanum receperunt. Audi Vincentium. *Quis ergo*, inquit, *tunc vniuerſi negotij exitus? quis vtique niſi vſitatus, & ſolitus: retenta eſt ſcilicet antiquitas, & exploſa nouitas.* & infrà: *Poſtremò*, inquit, *ipſius Concilij Africani ſiue decreti quæ vires? donante Deo nullæ, ſed vniuerſa tanquam ſomnia, tanquam fabulæ, tanquam ſuperflua, abolita, antiquata, calcata ſunt.* Hieronymus in dialogis contra Luciferianos refert Afros veniſſe tandem in Stephani ſententiam: *Denique illi ipſi*, inquit, *Epiſcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo ſtatuerant* (ſupple, Cypriano) *ad antiquam conſuetudinem deuoluti nouum emiſere ſtatutum.* Hoc idem feciſſe Orientales author eſt Auguſt. lib. 3. contra Creſconium cap. 2. & 3. idémque de Cypriano benignius præſumit: *Sed fortaſſe*, inquit, *factum eſt, vt ſuam correxerit ſententiam, ſed neſcimus: neque enim omnia, quæ eo tempore inter Epiſcopos geſta ſunt, memoriæ litteriſque mandari potuerunt; aut omnia, quæ mandata ſunt, nouimus.* Vincentius. Hieron.

Hanc reconciliationem Eccleſiarum tam in Oriente, quàm in Africa ſcripſit Euſebius loco citato, ex litteris Dionyſij Alexandrini, cuius verba ſunt: *Iam ſcito, frater, omnes Orientales Eccleſias, quæ anteà fuerant propter errorum peruerſitatem nonnullâ diſſenſione diſtractæ, ad concordiam denuò eſſe reductas. Demetrianum dico Antiochiæ Epiſcopum, Theoctiſtum Cæſareæ, Moſabanem Æliæ, Marinum Tyri, mortuo Alexandro, Epiſcopum, Helenum Tarſi, & cunctas Ciliciæ Eccleſias, Firmilianum etiam & totam Cappadociam illuſtriores Epiſcopos nominatim perſtrinxi, ne vel litteræ videantur aliquanto prolixiores vel nominum enumeratio lectori ſatietatem, & moleſtiam afferat. Syria porrò vniuerſa, & Arabia, quibus veſtrâ, doctrinâ, & conſilio ſemper magno adiumento fuiſtis, & quibus etiam modò ſcripſiſtis epiſtolas, Meſopotamia quoque, Pontus, atque Bithynia, & ne in longum faciam omnes, vbique gaudio exultant, & vno animorum conſenſu, ac fraternâ charitate Deo gloriam impertiunt.* Hactenus Dionyſius. Euſeb. Dionyſius Alexandrinus.

Ergo non Cyprianus Stephanum correxit, ſed Stephanus Cyprianum, ad quem non modò reliquæ Eccleſiæ & vniuerſus orbis, ſed etiam qui pridem Cypriano adhæſerunt, vnanimiter congregati tanquam ad paſtorem concurrerunt.

Tertius error eſt, Conciliū Nicenum correxiſſe Stephani opinionem. Conſuetudinem Eccleſiæ obſeruauit Stephanus, nouam non induxit opinionem: eam conſuetudinem Concilium confirmauit (ſiue illud fuerit Nicenum, ſiue aliud) vt author eſt Auguſt. lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 9. *Conſuetudinis robore*, inquit, *tenebatur orbis terrarum, & hac ſola opponebatur inducere volentibus nouitatem, quia non poterant apprehendere veritatem. Poſteà tamen dum inter multos ex vtraque parte tractatur, & quæritur, non ſolùm inuenta eſt, ſed etiam ad plenarij Concilij authoritatem, robúrque perducta, poſt Cypriani quidem paſſionem, ſed antequam nos nati eſſemus. Hanc autem fuiſſe conſuetudinem Eccleſiæ, quæ poſteà multis diſcuſſis ambagibus perſpectâ veritate. plenario Concilio, confirmata eſt, oſtenditur ex ipſius Beati Cypriani verbis*, &c. Vide eum etiam lib. 1. cap. 18. lib. 2. cap. 4. & alibi ſæpe. Hoc Concilium vniuerſale de quo ſæpe Auguſtinus, Nicenum fuiſſe probabilius eſt, licèt ipſa definitio in terminis iam non extat: veſtigia quædam eius ſunt Canon. 19. quo mandatur baptizandos Paulianiſtas, & Cathaphryges, qui veritatem formæ ſacramentalis reſpuerunt, & Canon. 9. quo præcipitur Nouatianorum in ſuo gradu receptio. Hinc Hieronymus dialogo contra Luciferianos ait Concilium Nicenum recepiſſe omnes hæreticos reſipiſcentes in ſuo gradu, exceptis ſolis Paulianiſtis. Ex dictis ergo eliquata eſt veritas, tantúmque abeſt, vt Concilium reuocarit, aut correxerit aliquod decretum Stephani, vt ſententiam eius confirmarit, robur definitionis vniuerſalis totius Eccleſiæ, quam is tenuit, conſuetudini adiiciens.

Auguſt.

Hieron.

Ad concluſionem præfatæ reſponſionis nihil attinet dicere, cùm in idem vertatur, ſupponens Concilium & Pontificem quæſtionem fidei determinando errare poſſe, & priorum per poſteriores definitionem corrigi, ſicut de facto Ioannes Papa reuocauit dictum Nicolai Papæ de paupertate Chriſti, & Apoſtolorum. Quæ quantum cum communi & ſanâ doctrinâ conueniant, æquus iudicet lector.

Obiectio quarta.

Quartò dicunt, quòd ſi contenta in prædicta decretali, Exiit. *ſint falſa, & hæreticalia, ſequitur quod Papa Nicolaus errauit in fide Catholicâ, & hæreticus fuit*, &c.

Cenſura.

Nihil clarius quàm hîc nullum adſeri errorem, aut doceri hæreſim; argumentum eſt ab inconuenienti: Antecedens conditionale ex doctrina reſpondentis ſuppoſitum. Conſequentia bona: nam falſitati in quæſtione fidei, præter errorem iudicialem, ſuperaddit *hæreticale*, articulum expreſsè eſſe definitum, & quidquid aliud requiritur ad conſtituendum hæreticum. Qui ergo falſa, & hæreticalia docet in fide, ſequitur quod

quod ſit erroneus in fide, & hæreticus à formali cauſa in ſubiecto ad effectum.

Reſponſio ad quartam obiectionem.

Reſpondetur. *Quod non, quia dum voluntas non ſit in crimine, ſi ex defectu humanæ intelligentiæ error contingat, non eſt ſimpliciter culpabilis error, taliter quod deberet pro errore damnabili reputari, vt patet in Petro, quem Paulus reprehendit, & in Cypriano martyre quem Auguſtinus ſic excuſat lib. de Baptiſmo contra Donatiſtas. Item quia dicit Auguſtinus in epiſtola ad Heſychium: Error vitandus eſt, quantum ab homine vitari poteſt, ſed mihi quiſquam non videtur errare, cùm aliquid neſcire ſe ſcit; ſed cùm putat ſe ſcire quod neſcit. Nicolaus autem faciens decretalem,* Exiit. *non videbatur quod putaret ſe contra veritatem fidei, ac morum determinare certitudinaliter, quod ſcientia requirit, quia dixit quod ſi aliquod dubium in ſuâ declaratione inſurgeret, non per quoſcumque ſed per Romanum Pontificem declarari haberet: multum autem dubitabile erat id quod dixerat de paupertate Chriſti & Apoſtolorum, & an vſus in omnibus rebus poſſit ſeparari à dominio, & proprietate: Ideò potuit ac debuit Dominus Ioannes illud dubium declarare cùm contrarium ex Scriptura diuina & legali poſſit deduci. Et ſic Dominus Nicolaus non errauit in fide ſimpliciter, quia non putauit, vel putabat ſe ſcire quod neſciebat; ſed putabat ſe ſcire quod non ſciebat: Alioquin fruſtra & ſine cauſa, ſi crederet ſe ſcire prædicta, aliquem correctorem, vel emendatorem vellet habere: cùm illud quod veraciter ſcitur ſic eſſe, ſit impoſſibile aliter ſe habere: & ita ipſe non errauit perniciosè, nec Eccleſia ſequens eum, quia ſub declaratione, & correctione authoritatis Apoſtolicæ Sedis, illa, quæ dixit, aſſeruit; propter quod eius error venialis & humanus fuit, nec error ſimpliciter debet dici, vt patet per dictum Auguſtini ſupra inductum, & ſimiliter diſputans excuſat Beatum Petrum.*

Cenſura.

Summa reſponſionis eſt Nicolaum excuſari ab errore damnabili, qui ſit peccatum, non verò ab errore iudiciali, qui fuit venialis & humanus, quia neſciebat ſe errare aut contra Scripturam diuinam & legalem determinare, nec errauit proinde perniciosè, nec Eccleſia eum ſequens. Concedit ergo Nicolaum docuiſſe contra Scripturam, & erraſſe in fidei quæſtione, & ſic de Eccleſiâ eum docentem ſequente; ob ignorantiam autem tam illum, quàm hunc excuſari à peccato, ſeu ab errore pernicioſo; ne autem quiſpiam ambages, aut pro excuſatione reſpondentis hanc eius doctrinam ad quæſtiones alias, quæ fidem, & mores vniuerſim non concernunt, transferat, id imprimis aduertat obiectionem cui reſpondetur ad fidei tantùm doctrinam ſpectare: *Si contenta* inquit, *in prædictâ decretali,* Exiit. *ſint falſa* (ſupple, in fide, vt ſupponit illatio) & Doctrina pernicioſa.

hæreticalia, ſequeretur, quòd Nicolaus erraret in fide Catholicâ, & eſſet hæreticus. De errore etiam in fide loquitur manifeſtè ipſe reſpondens: *Nicolaus autem*, inquit, *faciens decretalem*, Exiit. *non videbatur quod putaret ſe contra veritatem fidei ac morum determinare certitudinaliter*, &c. & infrà. *Et ſic Nicolaus non errauit in fide ſimpliciter, quia non putauit ſeu putabat ſe ſcire quod neſciebat*, &c.

Sententia ergo reſpondentis eſt tam Pontificem docentem, quæ fidei ſunt, quàm Eccleſiam eum ſequentem errare poſſe, errore, inquam, iudiciali. Hæc meritò doctrina ab omnibus reiicitur, vt ſequentem reſponſionem tractantes oſtendemus.

Interim rationes illæ ex Petri, & Cypriani exemplis petitæ non faciunt ad propoſitum, vt ſuperiùs manifeſtum eſt. Tertium inſuper, quod adiicitur falſum eſt, & ſine fundamento adſertum; nihil enim Nicolaus ſub correctione aſſeruit, aut aſſerere potuit ex cathedra decernens in doctrinâ fidei & morum, cùm periculum erroris nullum ſubſit, nullum agnoſcat in terris ſuperiorem: hæc verba ſunt decretalis: Falſa interpretatio. *Et ne Sedem prædictam contra detractores huiuſmodi oporteat vlterius laborare, vniuerſis, ac ſingulis cuiuſcumque præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus diſtrictè præcipimus, ne contra prædictam regulam, & ſtatum prædictorum fratrum, ſeu contra præmiſſa per nos ſtatuta, ordinata, conceſſa, diſpoſita, decreta, & decreiata, ſuppleta, & approbata, & etiam confirmata dogmatizent, ſcribant, determinent, prædicent, ſeu prauè loquantur, publicè vel occultè: Sed ſi quid penes aliquem in his ambiguitatis emerſerit, hoc ad culmen prædictæ Sedis Apoſtolicæ deducatur, vt ex authoritate Apoſtolicâ, ſua in hoc manifeſtetur intentio, cui ſoli conceſſum eſt in his ſtatuta condere, & condita declarare.* hactenus Nicolaus. Quid porrò hîc deprætenſa ſubmiſſione, aut correctione dictorum legi poteſt? nihil omnino, imò & contrarium manifeſtè. Nempè decretalem ex authoritate Apoſtolicâ, & quidquid in ea deciditur, editam eſſe. *Et ne Sedem prædictam*, inquit, *contra detractores huiuſmodi oporteat vlterius laborare*, &c. *præcipimus*, &c. demonſtrans ſe ex eadem authoritate hactenus proceſſiſſe, omniàque ſuperiùs ordinata, & declarata ſtatuiſſe, & ſicut prohibuit gloſſas alias fieri, ſiue in regulam, ſiue in ſuam decretalem præter grammaticales, ita nunc ſimiliter inhibuit obloquia ſiue publica, ſiue priuata: dubia ſuborta ad Sedem Apoſtolicam interpretanda referri mandat, cui hoc tantum conceſſum eſt in iis quæſtionibus ſtatuta condere, & condita declarare, nihil ergo hîc aſſerit Nicolaus ſub correctione Sedis Apoſtolicæ, cui reſeruat dumtaxat interpretationem ambiguorum (cùm id de iure ei ſoli debeatur) non eorum quæ expreſsè, & clarè definita ſunt.

Obiectio quinta.

Quintò aſſerunt; quod dicta decretalis, Exiit. *fuit per vniuerſalem & Sanctam Eccleſiam approbata, & in Concilio Generali Viennenſi confirmata.*

Reſponſio.

Reſponſio.

Reſpondet quòd nunquam fuit approbata per vniuerſalem Eccleſiam aliter, niſi vt communes conſtitutiones Papales: nec fuit approbata, vel improbata in prædicto Concilio, nec Dominus Clemens V. in decretali, Exiui de paradiſo. *dixit quod decretalem,* Exiit. *Concilium Generale approbauerit, vel confirmauerit.*

Cenſura.

Tam obiectio quàm reſponſio aliena ſunt à doctrina fidei, ac proinde ab omni hæreſi, & errore. Verſantur enim in quæſtione, quam vocant, facti. Falſitas tamen reſponſionis ſuperiùs demonſtrata eſt, vbi de authoritate ipſius conſtitutionis agitur: & inferiùs oſtendetur reſponſione ad decimamquintam obiectionem.

Obiectio ſexta.

Sextò dicunt, quòd ſequitur totam Romanam Eccleſiam multis annis in fide erraſſe, quod eſt contra articulum fidei: Credo in vnam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, &c.

Cenſura.

Sequela iſta ſupponit antecedens illud quartæ obiectionis ex quo deducitur. Hoc eſt argumentum: *Si contenta in prædicta decretali,* Exiit. *ſint falſa, & hæreticalia, ſequitur totam Eccleſiam Romanam multis annis in fide erraſſe.* Sequela eſt euidens ſuppoſitâ acceptatione decretalis, quam aliàs probauimus. Nulla ergo hac obiectione hæreſis aut error defenditur, ſed ex tanto inconuenienti verius impugnatur: nam dicere, quod Eccleſia vniuerſim acceptarit & confirmarit doctrinam in fide falſam, & hæreticam, blaſphemum eſt & hæreticum; Eccleſiam enim vniuerſim errare non poſſe in fide certum eſt.

Reſponſio.

Reſpondet quod non eſt imputandus error Eccleſiæ Catholicæ, ſi aliquid definiat Papa vel Eccleſia, ſeu Concilium Generale non pertinens ad fidem & mores, quod pro tunc quando definiebatur, non factâ plenâ diſcuſſione fuit definitum: quod tamen poſteà per diligentem inquiſitionem factam apparet contrarium eſſe veritati. Frequenter enim contingit, quòd multa prius determinata per Concilia, & per Papam ſunt poſteà reuocata, ſicut patet per ſupradicta: & maximè in talibus, vbi ſacra Scriptura non loquitur

omninò

omninò clarè, & expreſsè: vnde in talibus licet abſque notâ hæreticæ prauitatis opinari contraria ante Eccleſia determinationem ſub articulis fidei poſitam. Vnde ſicut in Domino Nicolao non fuit error pernicioſus, ſed venialis ex cauſis ſupradictis: ita nec in ſequentibus eum ante determinationem Domini Ioannis. Quod autem fuerit peccatum veniale in Eccleſia circa præſentem materiam, vel aliam, non eſt inconueniens, nam cùm dicit Apoſtolus ad Epheſ. 5. quod Chriſtus exhibuit ſibi Eccleſiam non habentem maculam, neque rugam, debet intelligi de Eccleſia triumphante, non de militante, vt dicit Auguſt. lib. retractationum.

Cenſura.

In primis aduertendum eſt illam particulam, ***non pertinens ad fidem & mores***, &c. vel debere intelligi de fide explicitâ, quæ ſupponit determinationem ſub articulis fidei poſitam, vt idem paulò inferiùs loquitur, vel certè adiectam eſſe à quopiam ad reſpondentis vanam excuſationem, cuius expreſſa ſententia tam hîc quàm alibi nihil clarius ſonat, quàm hanc quæſtionem fidei,& morum eſſe, eamque definitam à Ioanne tanquam de fide in ſenſu contrario, ab eo quem Nicolaus docuit, hunc proinde erraſſe, non tamen pernicioſè,ſed ex ignorantiâ, obliquè ergo & contra mentem,& verba reſpondentis interpretatur Penna eum loqui tantùm de quæſtione à fide & moribus alienâ; hoc enim nec intentum, nec formam obiectionis attendit; nec in ipſam reſponſionis doctrinam ſpecietenus quadrat: Concedens porrò non eſſe inconueniens Papam, Concilium, & Eccleſiam in definiendo errare, id probat (iuxta doctrinam reſponſionis tertiæ ad quam ſe remittit) quia determinata per Pontifices & Concilia ſæpius fuerunt poſtmodum reuocata, *& maximè*, inquit, *in talibus, vbi ſacra Scriptura non loquitur omninò clarè & expreſsè: vnde in talibus licet abſque notâ hæreticæ prauitatis opinari contraria ante Eccleſia determinationem, ſub articulis fidei poſitam.* Ergo loquitur de veritate reuelatâ, & ſacræ Scripturæ, quæ capax eſt definitionis ſub articulis fidei. Vnde ſicut excuſat inferius Nicolaum ab errore in fide pernicioſo, ita etiam & ſequentes eum, *ante*, inquit, *determinationem Domini Ioannis.* Supponens poſt eam determinationem errorem eſſe pernicioſum, ſeu hæreſim cum Nicolao amplius ſentire. Item reſponſione ad quartum contrarium eius, quod determinauit ex Scriptura diuina poſſe deduci affirmat; eadem eſt eius ſententia, reſponſione etiam ad ſecundum & ad primum. Reſponſione verò ad tertium ita habet: *Ex quibus conſtat, quòd illud, quod circa fidem & mores malè determinatum eſt per vnum Papam, vel Concilium, poteſt per alium perſpectâ melius veritate corrigi, & emendari.* Conſtans ergo doctrinæ reſpondentis eſt Papam, Concilium, & Eccleſiam definiendo, ſeu determinando quæſtionem fidei, & morum errare poſſe errore iudiciali, nihilque aliud in præſentiarum intendit, aut aſſerit.

Pennæ gloſſa reiicitur.

Ad reſponſionem igitur regreſſus eam in ſua diſtribuo membra, vt ſingulis ſtudioſius perpenſis lector ob oculos habeat integrâ monſtroſi

corporis

corporis effigiem, & informia lineamenta totius ſcholæ penicillo iam pridem notata.

Primum aſſertum. *Non eſt imputandus error Eccleſiæ Catholicæ, ſi aliquid definiat Papa, vel Eccleſia, ſeu Concilium Generale, quod pro tunc quando definiebatur, non factâ plenâ diſcuſſione fuit definitum: quod tamen poſtea per diligentem inquiſitionem factam apparet contrarium eſſe veritati:* omiſi illam clauſulam: *non pertinens ad fidem & mores*, vt quæ ad ſententiam, & intentum reſpondentis non faciat, vt præmiſi: habenda proinde inter non adiecta, & impertinentia, niſi intelligatur de pertinentibus ad fidem formaliter tanquam poſitum ſub articulis definitis & declaratis. Errores reſponſionis.

Secundum aſſertum. *Frequenter contingere multa determinata per Concilia, vel Papam eſſe poſtea reuocata, maximè in talibus vbi ſacra Scriptura non loquitur clarè, & expreſſè.*

Tertium aſſertum. *Sicut in Nicolao non fuit error pernicioſus, ſic nec in ſequentibus eum ante determinationem Domini Ioannis.* Perſequentes Nicolaum intelligit Eccleſiam ad intentum argumenti, vt ſequens etiam adſertum declarat.

Quartum aſſertum. *Quod fuerit peccatum veniale in Eccleſia circa præſentem materiam vel aliam non eſt inconueniens.*

Summa doctrinæ in hoc reducitur, vt tam Papa, quàm Eccleſia, quàm Generale Concilium definiendo errare poſſit in fide, errore, quem vocat, iudiciali contrarium ſcripturæ & veritati reuelatæ aſſerendo, id ſæpius contigiſſe, ſcripturâ obſcurius rem declarante, hoc errore implicitum fuiſſe Nicolaum, & Eccleſiam, quæ cum eſt ſequuta.

Hæc doctrina plurima eaque maxima habet inconuenientia, quorum aliqua curſim adnotare magis libet, quàm ſtudioſius (ne quid extra ſcopum ferar) impugnare. Inconuenientia aſſignatæ doctrinæ.

Primum inconueniens eſt, quòd tollat aſſiſtentiam perpetuam & infallibilem Spiritus ſancti promiſſam Eccleſiæ: tollit nempe ſubiectum ipſius aſſiſtentiæ: ſi namque Papa, Concilium Generale, & Eccleſia definiendo quæſtionem fidei, errare poſſint, nullum huius aſſiſtentiæ ſubiectum manet iuxta fidem Catholicam; aliud enim ſtatuere hæreſis eſt; vana ergo eſt promiſſio illa Chriſti, nec dum exaudita oratio: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis*, Ioan. 14. Item. *Paracletus autem Spiritus ſanctus ille vos docebit omnia & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Item. *Cum autem venerit Spiritus veritatis, docebit vobis omnem veritatem, quem vos cognoſcetis, quia apud vos manebit.* Quomodo autem cognoſceret Eccleſia Spiritum veritatis apud ſe manſiſſe, ſi errorem definire, & ſequi poſſit in ſuo vniuerſim capite & membris? quomodo Spiritus veritatis ſuggeret omnia, quæ dixit Chriſtus, ſi in ſcripturâ non loquente clarè, & manifeſtè errare poſſit tota Eccleſia docendo?

Oppoſitum autem huius doctrinæ ſuſtinetur tanquam de fide ab omnibus Catholicis, nam licèt quidam varient de ſubiecto proximo

 aſſiſten-

aſſiſtentiæ; conueniunt tamen infallibilem eſſe, & indefectibilem, quoad vniuerſum corpus, provt includit caput, & membra, vt nec vniuerſim ſeduci, nec docendo & definiendo poſſit ſeducere.

Secundum inconueniens ſequitur non modò fallibilem, & defectibilem eſſe eiuſmodi aſſiſtentiam, ſed de facto defeciſſe multis Pontificibus, & Conciliis, potiſſimùm Nicolao III. & Eccleſiæ eius erroneam definitionem contra Scripturam Euangelicam, & Apoſtolicam ſequentem contra prædicta, & alia Math. *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Fruſtra alioquin Paulus monet Timotheum, *vt ſciat quomodo eum oporteat conuerſari in domo Dei, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis.*

Tertium inconueniens eſt quòd errare poſſit tam Eccleſia, quàm Pontifex in Scripturæ ſacræ intelligentiâ non clarè, & expreſsè loquentis.

Quartum eſt quòd per eam tollatur nobis firmitas noſtræ fidei, nam ſi Eccleſia, Concilium Generale, & Pontifex errare poſſit in doctrinâ reuelatâ definiendo falſum, non deerit nobis occaſio formidinis, anxietatis, & dubitationis, an hac vel illâ definitione errarit.

Quintò tandem non vanam ſchiſmatis, & rebellionis materiam hæc doctrina miniſtrat, inquirendi ſcilicet decreta fidei, per Pontifices, & Concilia ſtabilita, ſi vera ſint, aut falſa; quid plura? Eccleſiam errare poſſe & de facto erraſſe hæreſis eſt omnibus nouatoribus communis, qui in hoc eam erroris condemnant, in quo ab ipſa damnantur, vt rectè

Bannes. præter alios adnotauit Bannes 2.2. quæſt. 1. artic. 10. dub. 3. cuius cenſuram, quia breuis & clara, hîc ſubiicio.

Pro huius expoſitione ſupponendum eſt hoc commune & generale eſſe omnibus hæreticis Eccleſiæ infallibilitatem impugnare, & negare, quo ſuos errores eius doctrinæ contrarios ſtatuere poſſint; ita fecit vt refert Euſebius lib. 5. cap. 15. Montanus quidam Phrygius ortus vico, Ardaba nomine, temporibus Commodi Imperatoris, & Soteri Papæ circa annum Domini 181. qui Eccleſiam ſæpè errare aſſeruit; & Ioannes de Vueſſalia, ſiue (vt alÿ dicunt) Vueſtphalia tempore Caroli V. Imperatoris, & Clementis VII. Summi Pontificis circa annum Domini 1533. cuius error Moguntiæ damnatus eſt, & Neſtorius Epiſcopus Conſtantinopolitanus circa annum Domini 427. tempore Theodoſÿ iunioris Imperatoris, & Cæleſtini Pontificis Romani. Docuit idem Ioannes Vuitclef, & Lutherus, qui circa noſtra tempora exorti conſtanter affirmant paſſim Eccleſiam errare, maximè in hoc, quod contra Chriſti inſtitutionem ſub vnâ tantùm ſpecie laicis miniſtrat Euchariſtiam. Et in eo, quòd Paulo prædicante opera non eſſe neceſſaria ad ſalutem, ſed tantùm fidem, ipſa econtrario ſentiat. Imò authore Auguſtino epiſtolâ 48. 50. & 161. Donatiſtæ, & Rogatiani Eccleſiam errare affirmabant in hoc, quod ſe toto orbe diffuſam putaret, cùm ſolùm in Africa reperiendam eſſe ipſi docerent. Omitto alios quàm plures qui huc accerſiri poterant: nullus enim eſt hæreticus qui hanc ſententiam non teneat. Nam cùm ipſe ſentiat (quicumque ſit ille) contra Eccleſiæ determinationem, & putet ſuum ſenſum eius definitioni præponendum, neceſſarium eſt, vt illam exiſtimet errare, ne ſe decipi credat. Hactenus Bannes.

Obiectio

Obiectio ſeptima.

Septimò dicunt in decretali, Exiit. *contineri, quod in rebus temporalibus eſt conſiderare proprietatem, paſſionem, vſumfructum ius vtendi, & ſimplicem vſum facti, & vltimò tanquam neceſſariò eget vita mortalium, licèt aliis carere poſſit: quia nulla poteſt eſſe profeſſio, quæ à ſe vſum neceſſariæ ſuſtentationis excludat? qui, inquam, vſus non iuris, ſed facti tantummodo nomen habens, quod facti tantùm eſt in vtendo prebet vtentibus, nihil autem iuris.*

Reſponſio.

Reſpondet vnò quod non valet: quia quoad illa, dicta decretalis eſt correcta, & emendata rationabiliter per illum qui poteſt; & ita cùm ex ſtatuto correcto, & emendato, quoad illa quæ ſunt correcta, & emendata, arguant, eorum dicta non concludunt.

Cenſura.

Neque obiectio, neque reſponſio ad fidem, aut mores directè ſpectant: quæſtio enim iuris agitur, quæ ad doctrinam fidei reducta habet rationem facti, in quo non eſt inconueniens Pontificem errare, niſi quando error redundat in veritatem doctrinæ, vt contingit in Sanctorum canonizatione, quæ ab inquiſitione facti dependet. Cæterùm Nicolai ſententia prælata eſt à ſucceſſoribus non modò confirmata à pluribus Pontificibus & Concilio Viennenſi: ſed reuocatum mox ab aliis, quidquid aduerſus eam Ioannes ſtatuit, de quâ reuocatione ſuperiùs actum eſt.

Obiectio octaua.

Octauò dicunt, quod multi Romani Pontifices in rebus temporalibus vſu conſumptibilibus & non conſumptibilibus vſu, quæ fratribus Minoribus offeruntur, dantur, vel conceduntur, dominium Rom. Eccleſiæ ſeruauerunt, vſu tantummodò ſimplici facti fratribus derelicto.

Reſponſio.

Reſpondet, quod hoc fecerunt alij Summi Pontifices de rebus quæ non conſumuntur vſu: Dominus autem Nicolaus fecit hoc de omnibus rebus, ſupponens tamen dictum ſuum correctioni Romani Pontificis: & ſic Dominus Ioannes tam ex authoritate iuris, quàm ex authoritate eidem reſeruatâ, per dictum ſuum prædeceſſorem, contrarium multis rationibus oſtendit, & determinat.

Cenſura.

Eiuſdem notæ eſt hæc tam obiectio, quàm reſponſio cum præcedenti; ad fidem & mores non ſpectant: ideo nec hæreſis, nec erroris contra fidem notam, aut periculum vllum incurrunt. Attamen reſponſio ridicula eſt, & falſa: Nicolaus enim nihil ſub correctione dixit: nec in ea ſententia ſolus inceſſit, vt ſuprà fuſiùs probauimus: ſubiungam dumtaxat teſtimonium Clementis in Viennenſi Concilio Clement. *Exiui de paradiſo. Proinde*, inquit, *cùm vir ſanctus paupertatis premiſſa in regula modum exprimens dixerit in eadem, fratres nihil ſibi approprient nec domum, nec locum, nec aliquam rem, ſed tanquam peregrini, & aduenæ in hoc ſæculo, in paupertate, & humilitate domino famulantes, vadant pro eleemoſyna confidenter: ſicque declaratum extitit per nonnullos prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices, hanc expropriationem intelligi debere tam in ſpeciali, quàm etiam in communi, propter quod & rerum omnium conceſſarum, oblatarum, & donatarum fratribus (quas, & quarum vſum facti ſcilicet ordini vel ipſius fratribus licet habere) proprietatem & dominium in ſe & Romanam Eccleſiam receperunt, dimiſſo ipſis fratribus in eis tantummodò vſu facti ſimplicis*, &c. Non vnus ergo Nicolaus, ſed nonnulli Clementis prædeceſſores dominium omnium rerum conceſſarum, oblatarum, donatarum, quibus vti per regulam licuit, ſiue mobilia, ſiue immobilia fuerint, quoad proprietatem in ſe, & Romanam Eccleſiam aſſumpſerunt, ſolo facti vſu relicto fratribus. Hoc idem confirmat Clemens, & declarat, abuſus, qui in detrimentum tantæ paupertatis induci ferebantur, cum puritate, & vera eius obſeruantia non poſſe conſiſtere.

Clement. Exiui de paradiſo.

Obiectio nona.

Nonò dicunt, quod Romanus Pontifex definiuit carentiam talis dominij eſſe ſanctam & meritoriam, & quod Chriſtus & Apoſtoli viam perfectionis oſtendentes, abdicationem huiuſmodi dominij docuerunt, & quod carentia talis dominij non eſt infructuoſa domino, cùm ſit meritoria ad æterna, & profeſſioni pauperum opportuna.

Cenſura.

Obiectio hæc litteraliter deſumpta eſt ex decretali, *Exiu.* eiúſque eſt expreſſa definitio, ſeu ſententia ab Eccleſia recepta, & confirmata: ergo nec hæreſis, nec error eſt.

Reſponſio ad nonam obiectionem.

Reſpondet, quod illud, quod hic dicunt, correctum eſt rationabiliter per illum, qui hoc corrigere poterat, & debebat oſtendendo eſſe impoſſibile in

talibus rebus vſum facti ſeparari à dominio, & quod ſi ſepararetur dominium, eſſet verbale, ſimulatum & ænigmaticum.

Cenſura.

Hæc reſponſio ſupponit errorem ſuperiùs iam ſæpiùs deſignatum, nimirum definitionem vnius Pontificis per alium poſſe corrigi, & Nicolaum ideò correctum à Ioanne, quæ erronea ſunt & falſa.

Obiectio decima.

Decimò dicunt, quòd veniens contra determinationem Papæ & Romanæ Eccleſiæ eſt hæreticus cenſendus, propter quod non licuit alicui definire contrarium determinationi Domini Nicolai.

Cenſura.

Obiectio loquitur de Papæ & Romanæ Eccleſiæ determinatione in fidei & morum quæſtione: fundatur in certo, & infallibili iudicio eorum cui error ſubeſſe nequit. Veritas eſt recepta cuius exemplum habes in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 13. vbi condemnat vt hæreticos, qui dixerint Eccleſiam errare in conſuetudine adminiſtrandi populo Euchariſtiam ſub vnâ ſpecie tantùm, & Martinus V. in Bulla approbationis Concilij eoſdem definit tanquam hæreticos, vel ſapientes hæreſim coërcendos, qui hoc Eccleſiæ inſtitutum damnant; id confirmat Lucius Papa ad Epiſcopos Galliæ, & Hiſpaniæ 24. quæſt. 1. cap. A recta fide; ideo etiam Ioannes de Weſtphalia, & Petrus Oxonienſis, vt ſuprà præmiſimus, hæreſis damnati ſunt, quia errorem determinationibus Papæ & Eccleſiæ adſcribebant.

Reſponſio ad obiectionem decimam.

Reſpondet quòd illud non eſt verum niſi determinatio Eccleſiæ contineatur in Scripturâ diuinâ, vel ex ipſa euidenter & neceſſariò concludatur: vel niſi Eccleſia expreſſè determinet, quòd tale quid ſit tenendum ſicut pertinens ad fidei articulum, determinans, quod dicentes, & tenentes contrarium ſicut hæretici ſunt habendi. Quod autem dixit Dominus Nicolaus de Chriſti paupertate, & ſeparatione dominij, &c. non continetur in Scripturâ diuinâ, nec poteſt concludi ex ea, nec fuit poſitum ſub articulis fidei.

Cenſura.

Determinationem Nicolai in ſcripturâ contineri fuſiùs oſtendimus. Reſponſio ergò hoc negans falſa eſt, nec eâ etiam parte ſubſiſtit, quâ

ad definitionem fidei requirit, vt Eccleſia etiam *determinet, quod tale ſit tenendum ſicut pertinens ad fidei articulum determinans, quòd dicentes & tenentes contrarium ſicut heretici ſunt habendi.* Nam eo ipſo, quod Eccleſia authoritatiuè aliquid definiat iudicialiter procedens in eiuſmodi quæſtionibus, deciſio eſt irrefragabilis & de fide, licèt expreſsè non declarentur pro hæreticis oppoſitum docentes, nec adiiciat eiuſmodi formulam: ſufficit nempe, vt ſententiam ferat ad quam fideles vniuerſim liget certo, & firmo decreto. Exempli gratiâ proponamus definitiones Concilij Florentini, in quibus nec prædicta formula exprimitur, nec adiicitur vlla in vniuerſum pœna (quin & Marcus Epheſius contra ſentiens toleratus eſt) hæreticus tamen eſſet, qui obſtaret. Nicolaus autem non modò certo, & firmo decreto proceſſit de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſed pœnas inſuper adiecit in contradictores, & eos, qui decretalem ipſam aliter, quàm littera permittit, in ſuum ſenſum torquerent. *Cùm igitur*, inquit, *ex prædictis, & aliis per nos cum multâ maturitate diſcuſſis, regula ipſa licita, ſancta, perfecta, & obſeruabilis, nec vlli patens diſcrimini euidenter appareat: illa & omnia ſupraſcripta per nos ſtatuta, ordinata, conceſſa, diſpoſita, decreta, declarata etiam, & ſuppleta de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine approbamus, & confirmamus, & volumus exiſtere perpetuæ firmitatis*, &c. ſubiicit deinceps pœnas.

Obiectio vndecima.

Vndecimò dicunt, quod Dominus Ioannes ſeipſum condemnat reprobando, & reuocando, & contrarium faciendo eorum, quæ de Christi, & Apoſtolorum paupertate decretalis Exiit, *continet: quia ipſe anteà pronunciauerat decretalem*, Exiit, *&* Exiui, *ſalubriter editas, lucidas, multaque maturitate digeſtas, prout in conſtitutione per eum edita, quæ incipit,* Quorundam. *deprehenditur euidenter.*

Cenſura.

Obiectio hæc notam hæreſis non incurrit, nec fidem tangit, & rectè fundatur: Ioannes porrò vtramque illam decretalem confirmauit extrauag. *Quorundam.* ergò rectè infertur ſeipſum damnaſſe ſi illas à ſe receptas & approbatas mox reprobarit: argumentum ſupponit errorem reſpondentis, mordicus enim defendit Ioannem ita feciſſe.

Reſponſio ad obiectionem vndecimam.

Reſpondet, quod non valet, quia Dominus Ioannes in conſtitutione, Quorundam. *quæſtionem de Christi, & Apoſtolorum paupertate, & inſeparabilitate dominij ad vſum non accepit determinandam: ſed ſolùm duos articulos, ſcilicet de veſtibus fratrum, & de congregando blado, vino, & aliis*

aliis neceſſariis in granariis, & cellariis, & in iſtis duobus articulis dicit, quod vult declarationes indubias addere declarationibus Dominorum Nicolai III. & Clementis V. & ſic verba generalia, quæ in prologo dictæ conſtitutionis, Quorundam. *premittuntur, ad certos articulos in narratione reſtringuntur, vt patet intuenti eam. Et poſito etiam, quod iſta verba, quæ iſti ponunt, tunc dixerit, quantum ad omnia contenta in dictâ conſtitutione,* Exiit. *quando nondum quæſtio de Chriſti paupertate erat ventilata, non eſt inconueniens, ſi poſtea diligentiùs veritate quæſitâ, & reperto fore verum contrarium eorum, quæ dixerat Dominus Nicolaus, Dominus Ioannes dictum ſuum correxerit aſſerendo, & determinando contenta de paupertate Euangelica in decretali,* Exiit. *non eſſe ſolida, nec vera. Sic enim & ſancti, quod prius dixerant, frequenter poſterius correxerunt, quando veritas magis incœpit per diſputationes & collationes ſcripturarum eis apparere: nec erubuerunt ſua dicta corrigere, vt patet per Auguſtinum in libro retractationum, & in ſecunda epiſtola ad Marcellinum.*

Cenſura.

Prima pars reſponſionis in eo verſatur, vt confirmatio illarum decretalium per Ioannem facta ad duos tantùm articulos, qui ad ſcopum extrauagantis faciebant, referri debeant. Verba Ioannis eam non admittunt gloſſam. *Nos*, inquit, *poſt prædeceſſorum noſtrorum*, &c. *Nicolai III. & piæ memoriæ Clementis V. Romanorum Pontificum ſuper intellectu & obſeruantiâ regulæ Ordinis fratrum Minorum declarationes, ſalubriter editas, ſolidas quidem, & claras, & lucidas, multáque maturitate digeſtas*, &c. *noſtras declarationes adiungamus*, &c. En & Pontifex extenſiuè loquitur de hiſce declarationibus, prout ſuper intellectu, & obſeruantiâ totius regulæ ſunt editæ, ac proinde confirmatio ipſius referenda eſt maximè ad ea, quæ ex ſcopo cuiuſque decretalis ſunt intenta, & deciſa, talis eſt autem ſtatus paupertatis, in conſtitutione, *Exiit.* Deinde vt reſpondentis oſcitantia in voluendis decretalibus magis commendetur, aduertere licet nihil à Nicolao in ſpecie quoad præfatos duos articulos eſſe diſpoſitum. Si ergo teſte Ioanne declaratio Nicolai eſt clara, lucida, multáque maturitate digeſta, non debet id intelligi de iis, quæ ſubticentur, nullâ omninò factâ mentione eorum in ipſa decretali.

Secunda pars reſponſionis eò ſpectat, vt pro nihilo ducat Ioannem correxiſſe vel ſuam, vel prædeceſſoris in hac parte determinationem: perpetuus eſt authoris error. Sed nullus æquo animo ferat quod Pontificem aliis quantumuis ſanctis Doctoribus parem in hoc faciat; quaſi verò eadem vtrinque certitudo, eadem ſit Spiritus ſancti aſſiſtentia.

Obiectio duodecima.

Duodecimò dicunt, quòd ſi Papa Ioannes potuit reuocare prædicta determinata per Dominum Nicolaum, eadem ratione Summus Pontifex poteſt

omnes

omnes definitiones ſuorum prædeceſſorum reuocare, & contrarium conſtituere: ex quo totius fidei, & authoritatis Eccleſiæ deſtructio ſequeretur.

Cenſura.

Nihil hic aſſertum repetio contra fidem, & mores, argumentum eſt ab inconuenienti, ſi non rectè ſequatur, peccatum eſt diſcurſus, non hæreſis. Sed de conſequentia ſuo loco.

Reſponſio ad duodecimam obiectionem.

Reſpondet, quod non valet, quia non ſequitur, ſi aliqua definita inconſulte in materia abſolutè non pertinente ad fidem, & ad mores poſſunt, & debent reuocari; ergo omnia: cùm arguatur a particulari ad vniuerſale, quod fieri non debet: quia vniuerſalis concluſio non ſequitur niſi ad præmiſſas vniuerſales. Item ea quæ euidenter, & manifeſte continentur in ſacra Scriptura, vel ex ea de neceſſitate concluduntur, ſunt omnia inconcuſſa ſtabilitate firmata: nec reuocari poſſunt, nec eorum contraria ſtatui per quemcumque, vt dicit Auguſtinus in 2. lib. de Baptiſmo; & Gelaſius Papa in epiſtolâ ad Epiſcopos Dardaniæ: de numero autem talium, non ſunt ea, quæ dixit de paupertate Nicolaus Papa: nec vnquam pertinuerunt ſimpliciter ad fidem, vel ad mores, cùm contrarium eſſet verum, & Catholicum, vt in ſuis determinationibus Dominus Ioannes Papa euidenter oſtendit.

Cenſura.

Hic iterum recurrit eadem clauſula, quæ ſuperius reſponſione ad ſextam obiectionem inſeritur, quid verò intelligat reſpondens per materiam non pertinentem abſolutè ad fidem, & mores, facile ex calce huius reſponſionis deprehenditur, hoc nempe ſolum velle, quod pertinere ad fidem explicitam, quæ manifeſtam ſcripturam, aut neceſſariam concluſionem ex ea deductam ſequitur: *De numero*, inquit, *talium non ſunt ea, quæ dixit de paupertate Nicolaus Papa, nec vnquam pertinuerunt ſimpliciter ad fidem, vel ad mores, cùm contrarium eſſet verum, & Catholicum, vt in ſuis determinationibus Dominus Ioannes Papa euidenter oſtendit.* Non negat ergo reſpondens quæſtionem præſentem ad materiam fidei ſpectare (cùm alteram eius partem deciſam fuiſſe à Ioanne concedat) vel capacem eſſe definitionis: negat ergo tantùm, ſpectare ad fidem explicitam, ac proinde hic replicat eundem errorem aliquoties in prioribus expreſſum: Nicolaum definiendo erraſſe; quæ dixit nec in ſcriptura contineri, nec ex eadem deduci; Definitionem Pontificis correctioni, & errori ſubeſſe poſſe; hæc de materia. Diſcurſus autem legitimus eſt & bona conſequentia non à particulari ad vniuerſale, vt malè reſpondens interpretatur, ſed à ſimili, quod rectè & vniuer

vniuerſaliter tenet: *Nam ſi in aliquo ſimilium ſic ſe habet & in aliis ſimilibus*, inquit Philoſophus; & hoc maximè quando in vno & pluribus eadem ſeruatur proportio, eadem cauſa, ſicut in propoſito, eadem nempe eſt materia, quæſtio fidei, eadem poteſtas, & gradus definientium, eadem aſſiſtentia Spiritus ſancti: Nec aliter diſcurrit Gelaſius citatus: cuius verba ſunt; *Quapropter ſtultitiam reſpuentes inanium querelarum, perquirere vos oportet ab ipſis Beatis Apoſtolis, & conſiderare prudenter, quoniam Patres noſtri, Catholici videlicet, doctique Pontifices in vnaquaque hæreſi quolibet tempore ſuſcitatâ, quidquid pro veritate, pro communione Catholicâ, atque Apoſtolica ſecundùm ſcripturarum tramitem, prædicationémque maiorum, factâ ſemel congregatione ſanxerunt, inconuulſúmque voluerunt deinceps, firmúmque conſtare, nec in eadem hac cauſa denuò quæ præfixa fuerunt,qualibet recenti præſumptione permiſerint, ſapientiſſimè peruidentes quoniam ſi decreta ſalubriter cuiquam liceret iterare, nullum contra ſingulos quóſque prorſus errores ſtabile perſiſteret Eccleſiæ conſtitutum, ac ſemper iiſdem fauoribus recidiuis omnis integra definitio turbaretur*, &c. Nec aliter diſcurrit Auguſtinus de certitudine & veritate ſacræ Scripturæ pluribus in locis, vt epiſtola 19. ad Hieronymum,lib. 1. de doctrina Chriſtiana cap. 37. de Ciuit. Dei lib. 11. cap. 3. & lib. conf. cap. 15. epiſt. 7. ad Marcell. & alibi ſæpe. Nota.

Obiectio decimatertia.

Tertiodecimò dicunt quòd ſecundùm hoc in decretali, Exiit. *erratum fuit in doctrinâ, & vitâ Chriſti, & Apoſtolorum.*

Cenſura.

Hæc obiectio ſupponit reſpondentis opinionem, ſeu errorem, proinde bona eſt conſequentia.

Reſponſio ad obiectionem decimamtertiam.

Reſpondet, quod verum eſt, non tamen errore pernicioſo, cùm adhuc ad plenum veritas diſcuſſa non fuiſſet, ſicut nunc eſt, ſed errore veniali: ſicut Auguſt. declarat de Cypriano, & de Petro per Paulum correcto; non enim fuit voluntas in crimine, ſed defectus humanæ intelligentiæ.

Cenſura.

Hæc reſponſio eiuſdem eſt erroris, vt conſtat,cum præmiſſis.

Obiectio decimaquarta.

Quartodecimò dicunt, quòd ſequeretur, quod in approbatione ſtatus regulæ fratrum Minorum Eccleſia erraverit.

Cenſura.

Proculdubiò, ſi errauerit Nicolaus declarans paupertatem eius ſanctam eſſe,& meritoriam. Hîc ergo nulla hæreſis aut error defenditur.

Reſponſio ad obiectionem decimamquartam.

Reſpondet, quòd non ſequitur, tum quia ante conſtitutionem, Exiit. *ſtatus Minorum fuit approbatus, tum quia regula eorum non dicit, quod nihil habeant in proprio, nec in communi: nec dicit, quod non habeant aliquod ius vtendi; nec dicit, quòd ſolùm ſint contenti ſimplici vſu facti, ad quæ eos reſtringit conſtitutio,* Exiit. *quæ oſtenſa eſt quantum ad hoc impoſſibilis & irrationabilis per Dominum Ioannem in ſuis conſtitutionibus: ſed dicit regula prædicta quod viuant ſine proprio, & quod nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem. Quæ verba poſſunt verificari, ſi habeant in communi: nam ſolummodò prohibet quòd fratres habeant proprium ſicut regulæ Baſilij, Auguſtini, & Benedicti.*

Cenſura.

Reſponſio eiuſdem cum aliis farinæ eſt, nec veritatem continens, neque doctrinam, cuius prima ratio tam longè à propoſito diuagatur, vt ne violenter quidem poſſit reduci. Quid porrò refert regulam approbatam fuiſſe ante decretalem, *Exiit?* certa namque eſt, & conſtans eius approbatio quoad eum intellectum & obſeruantiam quam Nicolaus expreſſit in ſuâ conſtitutione iam præfata, quæ ab Eccleſia recepta, & à ſucceſſoribus confirmata ab anno 1278. ad annum vſque 1323. (quo tam Ioannes ex ſenſu aduerſarij falſo, & erroneo eam reuocauit) quinquaginta quinque annis plenum authoritatis robur obtinuit. Ergo rectè infert obiiciens, Eccleſiam erraſſe per approbationem ſtatus, & regulæ Franciſcanæ, ſi erronea eſt decretalis Nicolai, quoad articulum de paupertate Franciſcana, qui ſolus in dubium vertitur, ſed & cap. 7. tractatu ſuperius præmiſſo, reliquos Pontifices eundem cum Nicolao tenuiſſe ſenſum probauimus, vt inde rectè etiam ſequatur, hoc errante, omnes vniuerſim erraſſe. Deinde quod ſubiicit regulam nequaquam præſcribere expropriationem tam in communi, quàm in particulari, inſignis eſt proteruia contra tot Pontificum declarationes, contra expreſſam litteram, & communem ſenſum Eccleſiæ, contra fundatoris & ſequacium manifeſtum exemplum, & confirmatam totius religionis praxim. Nec minoris arrogantiæ & contemptus eſt, quod ſequitur; nempe decretalem Nicolai quoad eam partem, quâ paupertatem illam docuit, & declarauit eſſe *irrationabilem & impoſſibilem,* quibus verbis olim reſpondit Ioannes à S. Paulo Cardinalis Sabinenſ. *Si quis,* inquit, *intra*

Euangelicæ

Euangelicæ perfectionis obſeruantiam, & votum ipſius dicat contineri aliquod & irrationabile vel impoſſibile ad ſeruandum; contra Chriſti Euangelij authorem blaſphemare conuinciuur, &c. Loquitur autem de paupertate expreſſa in regula Franciſcana, & quam aliqui Cardinales, vt arduam nimis, & inobſeruabilem putantes, confirmandam pauperi Euangelico Franciſco negabant. Hoc damnatum eſt per Clementem VII.

Obiectio decimaquinta.

Quintodecimò dicunt ſequi, quod in Concilio dictam decretalem approbante erratum fuit.

Cenſura.

Conſequentia illa bona eſt, vt in aliis ſupra expreſſis, & ſimilibus oſtenſum eſt, nulla ergo hîc aſſeritur hæreſis, aut error.

Reſponſio ad obiectionem decimamquintam.

Reſpondet, quod in nullo Concilio Generali decretalis, Exiit. *fuit confirmata, vel approbata: nec hoc poterit oſtendi: & maximè cùm conſtitutio*, Exiui de paradiſo. *non fuerit facta in Concilio Generali Viennenſi, ſed poſt Concilium in Auinione, vt habet fide digna multorum relatio.*

Cenſura.

Falſitas huius reſponſionis manifeſta eſt ex authoribus. Aluarus Pelagius lib. 2. de planctu cap. 55. circa initium; *Clemens*, inquit, *V. in ſuâ declaratione in Concilio Viennenſi edita*, &c. Anton. 3. part. hiſtor. tit. 24. *Anno verò Domini*, inquit, 1314. *concluſum eſt in cauſa prædicta, quæ vertebatur inter fratrem Vbertinum cum ſuis ſequacibus, & Ordinis communitatem in Conſiſtorio ſecreto primo, & ſequenti die, ſcilicet in feſto Sancti Gregorij ſolemniter, & ſententialiter promulgatum in vltima ſeſſione Concilij Viennenſ. quòd modus viuendi fratrum, qui accuſabatur, erat licitus, & adiecta noua declaratio ſuper regula*, &c. idem docet Marian. lib. 4. cap. 4. citans antiqua Chronica 24. Generalium, & recollecta fratris Iacobi de Tundo. Marcus Vlyſſiponenſ. 2. part. lib. 7. cap. 20. author vetuſtus, & contemporaneus libri, qui inſcribitur de ſex tribulationibus religionis, tribul. 6. & quod exceptione maius eſt, id docet Leo X. in bulla, quæ vnionis dicitur, incipitque: *Ite vos in vineam meam.* agens de Ordinis reformatoribus, qui per diuerſa tempora à Deo miſſi ſunt: *Poſt eos*, inquit, *veluti hora ſexta prodierunt ſpiritu feruentes fratres nonnulli, qui à ſacro Viennenſi Concilio tanquam à Deo miſſi, & confortati eneruatam penè diſciplinæ cenſuram ad ſua principia reuocarunt*, &c.

Aluarus Pelagius. Anton. Marian.

Concordant iuris impreſſiones, & interpretes potiſſimùm ea quæ ad normam exemplaris Romani correcta ſuæque reſtituta eſt integritati. Idem confirmat, præfixo hoc titulo, *Clemens in Concilio Viennenſi.*

Obiectio decimaſexta.

Sextodecimò dicunt, quòd ſecundùm hoc errauit Eccleſia aliquos ſanctos de Ordine Minorum, qui in hac vitâ & doctrinâ diem clauſerunt extremum, canonizando pro ſanctis.

Cenſura.

Obiectio nec hæreſis, neque erroris notam meretur, quidquid ſit de illâ ſequelâ: bonitas tamen conſequentiæ manifeſta erit, ſi exprimatur antecedens, quod poſitum eſt in obiectione quarta tale: *Si contenta in* Trid. ſeſſ. 6. *decretali,* Exiit. *ſint falſa & hæreticalia*, &c. Quorum ergo vita & profeſſio fuit doctrina falſa, & hæreticalis, videtur fides nequaquam integra extitiſſe: ſine fide autem impoſſibile eſt placere Deo: eſt enim fundamentum & radix totius iuſtificationis.

Reſponſio ad obiectionem decimamſextam.

Reſpondet, quod nec illi, nec alij errabant ſimpliciter errore damnabili: ſed ſecundùm quid errore veniali, conſtitutione, Exiit. *nondum correctâ per eum, qui poterat: ideò canonizari, aliis ſuffragantibus meritis, potuerunt: ſicut dicit Beatus Auguſtinus de Sancto Cypriano lib. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 17. & 18. quòd ille vir ſanctus aliter de Baptiſmo ſentiens, quàm res ſe habeat, quod poſteà diligentiſſimâ deliberatione retractatum eſt, in Catholicâ permanſit, & charitatis vbertate compenſatum eſt, & paſſionis falce purgatum. Et conſimiliter dici poteſt de ſanctis Ordinis fratrum Minorum canonizatis, ſi doctrinam decretalis,* Exiit. *tenuerunt antequam per Eccleſiam correcta, & emendata fuiſſet.*

Cenſura.

Reſponſio eâ in parte reprehenſioni ſubeſt, quod errorem in fide adſcribat Nicolao in ea decretali, *Exiit.* nec ad intentum argumenti collimare videtur: hæreticalia enim ſectari ex fine obiicientis aliquid amplius ſonat, quàm ſit ſimplex error. Sed hoc nihil refert, nec inficias eo dari poſſe ignorantiam inculpabilem alicuius particularis articuli, ſeu errorem, qui cum fide compati poteſt citra diſpendium aliquod iuſtitiæ, vel religionis.

Hactenus nos tenuit reſponſio ad obiectiones Ceſænatis: hæc doctrina eius, Pontificem errare poſſe in quæſtione fidei & morum definiendâ, vnius definitionem per alium corrigi poſſe, & reuocari, idque ſæpius factum, Stephanum Papam erraſſe circa hæreticorum baptiſmum, & Nicolaum III. in ſuâ declaratione de paupertate Chriſti, Apoſtolorum, & Franciſcana, docens contra ſcripturam, & ſanctos Patres. Concilium Generale definiendo errare poſſe, ac tandem non eſſe inconueniens, vt tam Pontifex in ſua definitione, quàm Eccleſia eam acceptans admittant errorem iudicialem, vtrumque de facto in vita Chriſti & Apoſtolorum eo errore fuiſſe multis annis ſeductum. Hæc, inquam, doctrina potiſſima illius reſponſionis, quam ſanam, doctam, veritati tuendæ atque vindicandæ, pro dignitate Pontificiâ, ſuſceptam prædicauit Bzouius. Luculentam adiicit Eymericus velut nox nocti (veriùs noctua noctuæ) indicans ſcientiam.

Econtra hæ ſunt hæreſes, & errores obiectionum: nempe, *quod in his, quæ pertinent ad fidem vel mores determinatum ſemel per Summum Pontificem non poteſt per alium reuocari.* Quod Pontifex Concilium Generale, aut Eccleſia in fide errare non poſſint aliquid definiendo; *quod veniens contra definitionem Papæ & Romanæ Eccleſiæ eſt cenſendus hæreticus.* Quod ſi definitiones fidei à Pontificibus factæ reuocari poſſunt, tollatur ſtabilitas, & authoritas Eccleſiæ. Quod Pontifex Nicolaus III. & Eccleſia eum ſequens nec errarit, nec errare potuit in doctrinâ, & vitâ Chriſti & Apoſtolorum. Quod Eccleſia errare non poſſit in approbatione ſtatus religioſi, nec in canonizatione Sanctorum: Hæ, inquam, ſunt hæreſes, & errores dictarum obiectionum, hæc doctrina, quæ Eymericum, & Bzouium faſcinauit, vt Catholicam pro hæreſibus, & erroribus, è contra hæreſem & errorem pro ſanâ & Catholicâ vano commutarint, ludibrio magis quàm lucro. Si hoc certum, & ſyncerum de veritate iudicium eſſe poſſit, iudicet lector. Ego quidem illius ſum opinionis, falſò adſcribi hanc reſponſionem vlli Eccleſiæ Cardinali, ne dicam Furnerio viro doctiſſimo. Opinionem confirmat inſcitia eius (vt obuios paſſim errores omittã) indigna Theologo, ſtylus vilis, diſcurſus liber, impertinens, non fundatus, & quod nihil minus ſtatuat, nihil magis impugnet, quàm authoritatem Pontificis, & Eccleſiæ cui fulciendæ, & defendendæ concepta dicitur; vel ergo corrupta eſt, vel ſuppoſita.

Obiectiones veras eſſe oſtendi penè omnes, ita vt iis refragari non liceat, eas, quæ ad fidem aut mores non ſpectant, ſaltim probabiliores; è contra reſponſiones omnes falſas, vel erroneas. Id etiam obiter aduertendum præfatas obiectiones eò paſſim tendere, vt defendant decretalem Nicolai ſuper regula Minorum errorem, aut hæreſim non continere, atque in ſolâ Eccleſiâ & Pontificis indeficiente authoritate, quam ad res fidei, & morum definiendas habent, conſiſtere. Quod argumenti inſtar erit benigno lectori, authores dictarum obiectionum nihil minus hîc tentaſſe quàm Pontificis aut Eccleſiæ eneruare poteſtatem; quidquid proinde contra hoc inuentum eſt, à Bzouio, & complicibus, vero carere fundamento.

Vt ad reliqua tandem properem ſuperuacaneum duxi falſationes, & corruptelam in præfatam reſponſionem à Bzouio præter fidem, & regulas ſynceræ hiſtoriæ commiſſam notare. Obuiam fient lectori peregrino ſchemate intertexta ſegmenta, quæ pertuſa non occulunt, non ſarciunt lacera, falſam doctrinam non corrigunt, inter antecedentia & conſequentia velut inæqualibus limbis magis hærent, quàm in rectam coëunt commiſſuram, idque vnum præſtant, vt Bzouio fidem detrahant hiſtorici, Theologi non concedant lauream. Sed interrogare lubet an tanti laboris fuerit ſimul tranſcripſiſſe notulas Franciſci Pennæ, quæ etſi Eymerico eiúſve authori, quantum licuit citra veritatis offenſionem, indulgeant, errorem tamen caſtigant? quid (ſi lectori conſulere lubuit) omiſſum porrecto veneno antidotum? negligentiam fuiſſe iudico, aliud non interpreter, niſi Annales Bzouij plurimum debere amanuenſi, qui obuia ſine delectu plura congeſſit, neceſſaria omiſit, dormitante Homero. Non deerit fortè naſutulus quiſpiam rem acriùs, & ſeueriùs iudicaturus vitiatam legens reſponſionem, admirans non correctam, eamque quæ adhibita eſt, non dico caſtigationem (vt quæ errorem non tollit) ſed corruptelam in prætermiſſi erroris, veram confirmationem transferet; ſed de hoc ſatis. Victoriam certè huius concertationis author Franciſcanis inuidit magis, quàm ſuæ laudi, & æſtimationi prouidit: reſpondeat alioquin quo fundamento diffamet præfatas obiectiones, quæ ſanam & Catholicam doctrinam continent ſub titulo hæreſum, & errorum; è contra verò reſponſionem doctam aſtruat, quæ in nullo eſt vera, in pluribus erronea?

Eodem anno num. 4.

BZOV. *Ad eum modum, cùm olim inter purpuratos Patres Iacobus adſcriptus pro dignitate Ioannis Pontificis XXII. reſpondiſſet: ad Pontificatum euectus & nomine Benedicti XII. ab vniuerſali Eccleſiâ conſalutatus, diras contra Fratricellos ſeu Beguinos eorúmque complices ab Ioanne prolatas innouauit, adeóque aggrauauit: quod ab his erroribus fomenta execrandi ſchiſmatis Ludouico Bauaro ſubminiſtrari intelligeret.*

Nempe pro dignitate Pontificis reſpondit, qui definitionem eius in fidei & morum quæſtione corrigi poſſe affirmat, & in errorem fidei definiendo totam Eccleſiam poſſe ſeduci & ſeducere? id vnum præſtare videris, ſeu videri conaris, ne latum vnguem à reſponſionis præfatæ doctrina abſcederes, verùm eius ſectatorem te profitereris. Ideo porrò veritatis aſſertores tibi errones vocantur. Sed cùm ex aliquo authore narraueris fomenta ſchiſmatis Ludouico Cæſari ab iis ſubminiſtrata eſſe, reſpondebimus, ſæpius enim oſtenſum eſt ſchiſma illud ortum babuiſſe ante præfatorum defectionem, quam abundè fouit hinc inde dominationis libido, & æmula mutuæ poteſtatis altercatio, quæ nullum concordiæ medium inuenit, vel inuentum acceptauit. Omnia

præter

præter ceſſionem ſpondebat Ludouicus, nihil præter ceſſionem voluit Ioannes. Hæc ſchiſmatis origo, ſola radix, & fomentum: hæc vnicum pacis obſtaculum fuit. Aliam tu infra memoras Groildonis, qui à ſcriniis Imperatori præfuit, perfidiam, de quâ mox. Sed interim, vt id non prætermittam, coniectura mea eſt Bzouium incidiſſe in decretales ſuperius tranſcriptas, quæ Ioannis ſententiam in Fratricellos confirmant, eaſque pro affectu contra Franciſcanos interpretatum fuiſſe.

Numero 16.

BZOV. *Circa hunc annum Vlricus Groildonis*, &c. *fatis functus eſt*, &c. *præfecerat illum Ludouicus ſcriniis, atque Cancellarium delegerat, quâ ille poteſtate abuſus, cùm iniquior Romano Pontifici Ioanni fuiſſet, quaſi ex induſtriâ, inter hunc, & Ludouicum Bauarum ſemina diſcordia ſeminauit.*

In fidem eorum, quia priorem narrationem labefactant, produco ipſum Ludouicum Cæſarem eâ inſtructione, quam legatis ad Benedictum miſſis dedit articulo 22. *Reperitur*, inquit, *quod notarius qui hoc fecit* (ſupple, appellationem) *ſcilicet Vlricus Groildonis malitiosè, & in vindictam contra nos dicendo ſe per nos fuiſſe leſum, iſtam appellationem de conſilio aliquorum volentium talem diuiſionem ſeminare, quod nunquam valeret eam aliquis reparare, fieri procurauit, & hoc confeſſus eſt in morte, vt à pluribus aſſeritur*, &c. idem docet continuator Vincentij & Redderfius.

BZOV. *Sunt qui aſſerunt Vlricum in litteris*, &c. *multa temerè & preter ſenſum Ludouici Bauari inſeruiſſe*, &c. *ſuſcitando, fouendóque ſchiſmati, à Ludouico Bauaro, Regiis, Imperatoriíſque ſpiritibus inflato, atque à Petro Corbario Antipapa, & quàm plurimis Minoritanis ad probrum Chriſtiani nominis excitato*, &c.

Quàm plurima finguntur ad Chriſtiani & Eccleſiaſtici hiſtorici ludibrium, & contemptum? nónne ſchiſma multis annis ſuſcitatum fuit, antequam vel in Italiam Ludouicus deſcenderit, vel Petrum Corbarium aut iſtos Minoritas vnquam viderit? anno 1323. execrationi ſubiectus eſt à Ioanne Ludouicus, eodem is appellauit, vel vt tibi placet, ſequenti, quatuor annis ante intruſionem Corbarij, & fugam Ceſænatis & complicum, qui iactâ pridem aleâ ſuperuenerunt; plurimos item Minoritanos Ludouico adhæſiſſe fallax commentum eſt, vt ex ſuperioribus conſtat.

Anno 1336. num. 3.

BZOV. *Quamobrem Benedictus Pontifex nihil tunc conceſſit, ſed oratores reuerti iuſſit, Ludouicúmque admonuit, vt actus ſuos in melius dirigeret,*

dirigeret, Vvilhelmum Ochamum hereſiarcham, eiúſque collegas, & ſocios Minoritas, Bonagratiam Bergomatem, & Michaelem Ceſanaticum Sedi Apoſtolicæ dederet, decreta aduerſus Ioannem XXII. Vicarium Chriſti retractaret, acta reſcinderet, opprobria recantaret, neminem Cæſarem eſſe, aut vocari, priuſquam Sedes Apoſtolica electionem cognoſceret atque probaret.

Ex inſtructione hæc vera eſſe cognoſcemus, ſi verum eſt, quod author numer. 4. ſubiicit: *Obediuit*, inquit, *monitis Ludouicus, & datis die 28. Octobris litteris miſſiſque oratoribus*, &c. *hac quæ exactiùs ex datis eius litteris cognoſci poterunt, maximâ cum ſubmiſſione egit.*

Quid porrò habet, ſeu diſponit inſtructio circa perſonas Ceſænatis & Ochami? certè nec eas dedidit, nec dedere promittit, ſed extirpare, niſi vnà ad obedientiam Eccleſiæ, & Pontificis redire feſtinarent. Videatur articulus 39. vel ergo Ludouicus non obediuit monitis, vel nihil tale monuit Pontifex, ac proinde non ex ſententiâ litterarum Ludouici præfatur iſthæc Bzouius. Si etiam integrè ipſas litteras tranſcripſerit dubito: ſcrupulum porrò ingerit in præfato articulo mentio proinde habita Marſilij de Padua, ac ſi ſuperſtes eſſet, quem vitâ functum omnibus malæ imprecationis opprobriis proſequutus eſt ipſe Bzouius ad tumulum anno 1328. in quem etiam mortem eius reiicit Villanus.

Numero 8.

Non deerant Fratricelli, qui Ludouicum Bauarum in eam ſocietatem cum Eduardo ineundum impellerent. Quod enim ſibi vehementius metuerent, ne Eccleſiaſticâ diſciplinâ propter errores acrius percellerentur, inflammare Ludouicum, atque à tantâ ſubmiſſione, quantam in litteris oſtenderat, dehortabantur: putida mendacia contra Ioannem XXII. Pontificem & dicentes, & ſcribentes, & aſſerentes. Quamobrem Benedictus, vt hac quoque fomenta bellorum, ſeditionis, & ſchiſmatis extingueret, Archiepiſcopis & Prælatis aliquibus, vt fratres Minores illos conſtitutionibus Apoſtolicis detrahentes ac famam Ioannis XXII. denigrantes ad Sedem Apoſtolicam ad cauſam dicendam euocarent, commiſit epiſtolâ 212. eodem anno 4. Kalend. Febr. decretalem, qua incipit: Benedictus Deus in ſanctis ſuis. Pro Ioanne Pontifice ſeu magis pro dogmate de viſione animarum euulgauit neceſſariam, quæ hic inſeratur, ita habet epiſtola 23. &c.

Velut in tuâ ipſius arenâ iugulas Bzoui confugiens ad latibula Archiuij, ad quæ nobis acceſſus negatur: fidem ergo ſequamur authorum.

BZOV. *Non deerant Fratricelli, qui Ludouicum Bauarum in eam ſocietatem cum Eduardo ineundam impellerent.*

Froſſardus. Alias cauſas impuliſſe Ludouicum memorat Froſſardus: *Quod autem*, inquit, *Cæſar Ludouicus à Bauaria tanto honore* (ſupple, Vicarij imperij)

imperij) *Anglum augebat, præcipua fuit cauſa, vt hac occaſione inter cæteros tumultus bellicos recuperari poſſet Cameracum, quæ quidem Ciuitas, cùm ſit imperio coniuncta, tamen a Gallis fuit occupata bello.* Accipe aliam ex Pigna cauſam: *Cum terrâ, marique in tantâ rerum mole ſupremum virium ſuarum conatum editurus præſidia contraheret Eduardus, quo faciliùs vim propulſaret, Cæſaris animum demeruit; is Franciſco infenſus, quod vetuiſſet, ne Pontifex aquæ, & ignis interdictione pulſum gregi piorum reſtitueret, amicitiam cum Anglo iunxit.* Eandem etiam cauſam allegat fuiſſe Ioannes Villanus lib. 11. cap. 54. Maſſonus lib. 4. hiſtor. Franc. ſubindicat Argentinenſis. Pigna. Villanus. Maſſonus. Argent.

B z o v. *Quod enim ſibi vehementiùs timerent, &c. inflammare Ludouicum atque a tantâ ſubmiſſione, quantam in litteris oſtenderat, dehortabantur.*

Hæc ex coniecturâ agis, non ex fide alicuius probati authoris, & vel in eo falſa deprehenduntur, quod conſtet Ludouicum litteris, & promiſſis ſtetiſſe, & quantum potuit, & licuit pacem, & communionem Sedis Apoſtolicæ procuraſſe, quam præfati authores Philippum Regem turbaſſe miſſis ad Curiam legatis ferunt, quibus accedit Meierus & fuſius Argentinenſ. tum præſens. Argumento etiam eſt, quod eâ conditione mox Cæſarem Philippus Rex in ſuas partes ab Angli traxerit ſocietate, quâ reconciliationem eius cum Pontifice in ſeipſum ſuſceperit. Ergo nec Ludouicus retroceſſit, nec eum in hoc impulerunt dicti Franciſcani, quos familiari impoſturâ Bzouius appellat Fratricellos. Meierus.

B z o v. *Putida mendacia contra Ioannem XXII. & dicentes, & ſcribentes, & aſſerentes.*

Non ignoro iniurios fuiſſe in Ioannem Pontificem, quid hoc tamen ad præſentem Ludouici ſpectat ſeductionem, vt cui cum Benedicto res fuit, eiúſque gratiam pulſans ambiuit, non Ioannis?

B z o v. *Quamobrem vt hæc quoque fomenta bellorum ſeditionis & ſchiſmatis extingueret, Archiepiſcopis & Prælatis aliquibus, vt fratres Minores illos conſtitutionibus Apoſtolicis detrahentes, ac famam Ioannis XXII. denigrantes ad Sedem Apoſtolicam ad cauſam dicendam euocarent, commiſit.*

Is ſcilicet proceſſus eſt; & ordo rectus iuſtitiæ, vt ad cauſam dicendam quis latâ iam ſententiâ euocetur? meminiſti ſuperiùs te authore innouatas eſſe cenſuras contra Franciſcanos præfatos à Benedicto, idque non ſemel commemoras. Nec fuit, quod Pontifex culparet tantopere Franciſcanos, ſi obſequiũ in te gratâ præſtiterunt, fœdus Ludouici cum Anglo procurantes. Succenſuit enim te narrante Pontifex Regi Galliæ, quod deſerto ſacræ militiæ Anglicũ bellum ſuſcepiſſet. Id diſertè refert Abſurditas calumniarum.

 Villanus

Villanus. Villanus lib. 11. cap. 54. *Rex Franciæ*, inquit, *valdè reprehenſus, & vituperatus fuit ab omnibus Chriſtianis, à Papa, & ab Eccleſiâ Romanâ, quod tam magnum, támque altum promiſſum opus reliquerit, quam erat ſancta illa trans mare profectio, vt bellum ex ſua parte iniuſtum cum ſuis vicinis Chriſtianis inciperet, quare Papa omnes ſubſidium decimarum Chriſtianitatis exceptis decimis regni Franciæ reuocauit, & detraxit*, &c. Quin & Iacobus Moguntinus. Nauclerus. Nauclerus ex Iacobo Moguntino ſynchrono illius ætatis hiſtorico aſſerit lætatum ſeu contentum fuiſſe Benedictum ex coniunctione Imperatoris cum Eduardo. Verba etiam Benedicti ſunt apud Argentinen. *Iſte* (ſupple, Rex Philippus) *pacem noluit, & elongabitur ab eo.*

Numero 10.

Bzov. *Tamen morte prauentus* (ſupple, Ioannes) *illud perficere nequiuit* (ſupple, definitionem quæſtionis de viſione animarum) *admirabili ſanè Dei prouidentiâ in hac re circa Sedem Apoſtolicam apparente, quod non paſſus fuerit decretum aliquod falſum in cauſa fidei orthodoxæ, à Vicario ſuo forſan nimium in alteram partem inclinante, interponi, ſed potius morte hominis honorem Sedis Apoſtolicæ ſtabiliuit.*

Nempe iſta confirmant doctrinam ſuperiùs traditam, & à te laudatam, quæ Pontificem in definitione fidei errare poſſe aſtruit. Hæc tua ſententia de Spiritus ſancti aſſiſtentia, & firmitate Petri in fide?

Anno 1337. num. 3.

Non deerant, qui tunc veterem cantibellam de paupertate Chriſti tum Ludouico Bauaro, tum politicis magiſtratibus in Italiâ repeterent, poteſtatémque Pontificiam infrà Imperatorem deijcerent. Ex eorum numero die 3. Iulij huius anni combuſtus eſt Venetiis Fr. Franciſcus Piſtorienſis Ordinem Minorum profeſſus, quod ſe decretis Apoſtolicæ Sedis de paupertate Euangelica oppoſuiſſet, & plurimos aduerſus Romanos Pontifices concitaſſet. Richardus Ciſtercienſ. in Benedict. XII.

Multa mihi huius narrationis fidem in dubium vertunt. Primò, quod ſtylus Bzouij ſit (vt luce clarius apparet) nunquam in Franciſcanos blandus; non alicuius veteris. Deinde quia apud authores nullam huius Richardi, quem citat, inuenio memoriam. Conſulendi Bellarminus in ſcriptoribus, Poſſeuinus in apparatu, Geſnerus in bibliothecâ, Cleſſius in Elencho, Trith. Eyſengrenius, Senenſis; potuit fuiſſe talis, quem proprio ore loquentem magis audire placebit, quàm Bzouio interprete. Accedit quòd noſtra monumenta hac in re ſilent, alioquin ſyncera, nec omnino negligentia. Si enim is fuerit dictus Franciſcus, vt multos aduerſus Pontifices concitarit, prætereri non potuit eius memoria, ſeditione

tione & ſcelere probè celebris. Quid autem velit Bzouius per veterem cantibellam de paupertate Chriſti facilè deprehenditur, collimare in eam, quam decretalis, *Exiit.* docuit. Quâ id autem moderatione audet, quâ reuerentiâ? nam de veritate, quid quæram? de eâ nihil habet penſi.

Numero 9.

B Z O V. *Ferè per idem temporis Benedictus Pontifex multa pro reformatione aulæ Palatinæ ordinauit, inter quæ fuit, vt Capellani ſui horas Canonicas cum notis recitarent, & in vno dormitorio omnes dormirent, nec alios reditus, quàm menſæ Pontificiæ victum & veſtitum haberent. Conſiderans verò à multis religioſis ſanctorum ſtatuta primum, & ordinum regulas ex inſolentiâ, vel deſidiâ negligi, humeriſque ſuis ſentiens reformationis eorum onus incumbere, more galli ſeipſum prius alis excutiens antequam cantaret, & à perfectâ charitate non diſcrepans Sancti Benedicti, & Ciſtercienſum, nec non Diui Franciſci Ordines reformandos ſuſcepit, & conſtitutiones nonnullas eorum Ordini valdè accommodas ad perpetuam rei memoriam ordinauit. Magnum Chronicon Belgicum.*

Rectè, ni fallor ex ignoto authore Bzouium aduerſus Franciſcanos propriis verbis deponentem reicei: nam & Chronicon Belgicum omnibus peruium in eos torquet: Torquet, inquam, ſeu verius fallat, ſicut in ſequentibus Auentinum, ita porrò author Chronici: *Ciſtercienſes & Sancti Benedicti Ordines ex dictâ negligentiâ reformandos per quaſdam conſtitutiones ſuſcepit*, &c. Nulla hic mentio Franciſcanæ religionis, quam præterire indignum iudicauit Bzouius, magnus & feruens inſtituti Minoritani, eiúſque reformandi zelator, malens hoc fœnore autographum rependere, quàm fratres Franciſcanos inter eos, qui *Sanctorum ſtatuta Patrum, & regulas ex inſolentiâ, vel deſidiâ neglexerunt*, velut degeneres amplius pigritare. Habes ergo lector ex Chronico Belgico apud Bzouium inſtitutam Franciſcanæ religionis, vt aiunt, reformationem, vt intelligas tandem hactenus deformatam, à profeſſæ regulæ voto, & perfectione eam non tam neglectim claudicaſſe, quàm ſeriò deuiaſſe. Si oculum ad ſuperius dicta paulatim reflectas, hoc minus eſt: honoris enim loco ducimus, quod ex hæreticorum claſſe tot errorum ſordibus hactenus pollutâ, iam tandem inter ipſas deformatas (vt cum illo loquar) veram tamen fidem ſequentes, locum hunc in annalibus obtinuerit Bzouianis, velut ex ſentinâ in ſterquilinium tranſlatâ, vbi facilius emaculari, & mundari poteſt. Nihilne ergo Benedictus circa alias religiones? aut ſoli Franciſcani inter mendicantes incudi, & malleo reſtituti? tacet Bzouius, & ſicut authoris ſui narrationem præter fidem auxit, ita & maturiùs adiecto puncto terminauit, ſeu violenter exciſo filo abrupit.

Chronicon namque Belgicum amplius productâ clauſulâ & narratione, hoc ſubiiciens connectit: *& niſi mors eum* (vt Domino placuit) *praue*

præueniſſet , cæteros mendicantium Ordines , velut iſtâ negligentiâ non parum deformes iuſtâ iudicij limâ, ſimiliter reformaſſet. Prudenter hoc ſubticuit Bzouius, ne quam ſuo inſtituto ſub communi etiam mendicantium appellatione notam imprudenter admiſſam intentaret; omnem proinde ſiniſtræ opinionis, vel leuem ſuſpicionem maturâ occupatione anteuertens ſtylum torquet in Pontificem, vt qui præpoſtero conſilio Dominicanæ religionis deformationem, pristini rigoris detractione, & inuerſione, non autem reformationem mouerit. Ita deſcribit conatus Benedicti in ſequentibus.

Numero 10.

BZOV. *Conabatur & Prædicatorij Ordinis leges, inſtituta, & conſuetudines mutare, & rigorem eius religionis nonnihil temperare, vel potius inuertere. Quod enim illi hactenus nullas poſſeſſiones in agris, & facultatibus terrenis obtinerent, ſed ex paupertatis voto, non niſi quotidianâ hominum pietate viuerent: & ea propter pro temporalibus ſpiritualia rependentes, opidatim, & vicatim concionibus dicendis, & ſacris confeſſionibus excipiendis operam darent: in maligniores quoſdam ex clero, hæreſis ab Alexandro IV. damnatæ, ſectarios incurrerunt, quibus ex veterato odio viſum, vt fratres Dominicani clauſtris perpetuis modico aliquo reditu contenti viuerent, nec vſpiam prodirent, nec ſalutem animarum curarent, neque negocia fidei aut tractarent, aut tuerentur. Tantum verò apud Benedictum Pontificem nitebantur, vt vel hæc ſaltem ſtatuerit: ne conciones ad populum promiſcuè haberent, ne pœnitentiæ ſacramentum adminiſtrarent; ne mendicatò paſſim victum quærerent; ne in poſterum niſi paucos, quibus alendis, certi vniuſcuiuſque monaſterij redditus ſatis eſſent, ad religionem admitterent: néve præter deſignandum in quocumque monaſterio numerum, alios fratres ſuſciperent. Præerat tum temporis ſodalitio Dominicano Magiſter Generalis Hugo Campanus, qui ſupplicationibus publicis, priuatiſque in vniuerſo Ordine indictis, multiſque ſui inſtituti Patribus doctiſſimis Auinionem hoc anno euocatis, tantum apud Benedictum omnia extrema Ordini comminantem, egit, vt is ne quicquam grauius aduerſum ſe, aut ſuos fratres decreuerit.* Michaël Pius lib. 2. de vir. illuſtr. Ord. Prædic.

Numero 11.

Valentiam prius ad Comitium Generale confluxerant Patres Dominicani, vt in commune conferrent, quid Benedicto, inuerſionem Ordinis cogitanti, proponerent. Inter eos adfuit Pater Mathias Cracouienſis Prouinciæ Poloniæ, qui vel ſolus zelo ardentiſſimo inflammatus, nonnullos in mutationem ſtatus religioſi inclinantes, tum rationibus, tum authoritate, tum omnibus conatibus a ſententia reuocauit, exque decreto Capituli Generalis, Auinionem ad Benedictum Pontificem deſtinatus, præpoſteram curam illum ſuſcipere, atque curare oſtendit. Manuſc. liber Prouinc. Pol. Ord. Prædic.

Reformationis aliorum eximius Encomiaſtes eſt Bzouius, propriam non refert, neſcio quâ ſenſus illuſione agitatus idem nunc ei turpe eſt, nunc pulchrum, nunc ſapit, nunc inſipit: onera grauia, & importabilia Franciſcanis deuotus, & promptus alligat, quæ digito ſuo mouete nollet. Quamdiu Benedictus Pontifex verſatus eſt in aulæ Palatinæ rectâ compoſitione, ordinatione, & reformatione, quamdiu incubuit reſtaurandæ intermiſſæ, ſeu neglectæ ab aliis regularibus Benedictinis, Bernardinis, & Franciſcanis diſciplinæ, more galli ſeipſum excutiens, nihil à verâ charitate diſcrepauit, reformandoſque ſuſcepit prædictos conſtitutionibus nonnullis eorum inſtituto valde accommodis. Cùm verò eodem zelo manus extendit in Dominicanæ familiæ, ſi qui fuerunt defectus, aut exceſſus, Bzouius velut ad limam indignatus, horrendum ſtridet, exclamans deformatorem non reformatorem, vt qui leges, inſtituta & conſuetudines mutaret, rigorem nonnihil temperaret, vel potiùs inuerteret, omnia extrema Ordini comminaretur, eius inuerſionem agitaret præpoſteram curam ſuſcipiens, & quod amplius eſt conſilium ſectariorum hæreſis ab Alexandro Pontifice damnatæ (gratiæ eſt quod eam expreſſè Benedicto non adſcribat) tantum in eo præualuiſſe, vt ſtatuerit ne conciones haberent, nec confeſſiones audirent, nec mendicatò viuerent, vt recipiendos ad certam prouentuum, & redituum menſuram arctarent, vt deſignando in ſingulis conuentibus fratrum numero eſſent contenti, nec illum liceret tranſgredi. Et hæc omnia narrat Bzouius ex ſuo Michaele Pio, apud quem nullum eiuſmodi ſtatutum reperitur Benedicti Pontificis, ſicut nec apud alios, quos legerim, præter minas, & conatus, qui in eo duntaxat vim ſuam expreſſerunt, quod anni ſequentis Generale Capitulum mandato eius intermiſſum fuit, quòd Generalis tantis impar religionis ferendis anguſtiis vitâ deceſſerit, quod Patres, qui negotio præfuerunt, detinuerit in Curiâ, quòd ſucceſſoris prohibuerit electionem, quòd omnes tandem conatus ſuperueniens mors Pontificis exciderit. Conſulendus de hoc Hernandus de Caſtillo 2. p. c. 50. Sed citra cuiuſpiam indignationem liceat mihi non ad iniuriam, aut vindicationem illud replicare Saluatoris: *qui gladio percutit, gladio peribit, eadem menſurâ quâ menſi fueritis, remetietur vobis:* In mentem reuoca, Bzoui, quantum pertulit ſub prædeceſſore Benedicti religio Franciſcana pro ſui ſtatus defenſione, & quoſnam potiſſimum habuit impugnatores. En ſanguis eius exquiritur. Sed vt ad Benedictum tandem redeamus, id certum omnia ex æqui, & boni affectu tentaſſe, & quæ tum circa paupertatem inſtituti Prædicatorij diſponere conatus eſt, vſu paulatim, & ſucceſſorum indultis, ex conſenſu ipſius religionis partim impetratis, partim admiſſis, ac tandem ex ordinatione Tridentini Concilij eſſe introducta. Dicat iam Bzouius, ſi id inuertere eſt, aut omnia extrema Ordini inferre? negaret rectè Antoninus. Nos interim vnũ hoc Bzouianæ artis ſtatuimus monumentum: refert ille plurima, eáque grauia ſtatuta fuiſſe à Benedicto contra Ordinis profectum, & vtilitatem, vt ex præmiſſis conſtat, & refert ſimul nihil grauius ſtatutum fuiſſe, opponente ſe Hugone Generale, *qui ſui inſtituti Patribus doctiſſimis Aui-*

Caſtillo.

nionem hoc anno euocatis, tantum apud Benedictum omnia extrema Ordini comminantem egit, vt is nequicquam grauius aduerſus ſe, aut ſuos fratres decreuerit. Mirandum ſanè ex eodem calamo tam manifeſta ſibique vnius narrationis contextu ſuccedentia contradictoria effluxiſſe. Quidnam eſt plura ſcribendi ardor, omnia ſecum trahens & mentem & manum.

Anno 1338. num. 6.

B Z O V. *Quæ cùm vbique rata magis haberentur, ipſe inops conſilij aliquos ex fratribus Minoribus dudum ab eodem Ioanne Pontifice anathemate damnatos conſuluit, & ex eorum veſano ingenio decretũ quod adiungo in Cõcilio Francofordienſi ſub ſigillo ſuo edidit & contra proceſſus Ioannis Pontificis euulgauit. ita habet ad perpetuam illius infamiam apud Mutium lib. 24. Germani Chronici, & apud Nauclerum gen. 45.*

Non ita authores tui, quos lectori exhibere lubet incorruptos. Mutius ita refert. *Cùm autem excommunicatio Ludouici, quam aduerſus eum Pontifex Ioannes XXII. promulgarat, iam rata magis haberetur, quàm vnquam anteà, Imperator inops conſilij vbique quærebat conſilium, conſulebat autem etiam monachos, qui apud principes ob doctrinam, & probitatem adhuc in pretio erant. Conſulentibus igitur quibuſdam monachis Ordinis diui Franciſci, conuocat Francofurdiam Principes, & illinc ex comitiis decretum ſub ſigillo ſuo edidit, & promulgauit contra proceſſus XXII. Pontificis*, &c.

Conuocatos Principes Francofurdiam ex conſilio quorundam Franciſcanorum ait tantùm Mutius, editum verò ex comitiis decretum, ſi iiſdem, ſi aliis authoribus, tacet. refert Nauclerus de eorum conſilio promulgatã, nihil in eos ſeuerius ſtatuens? addit tamen Bzouius veſanum ingenium ad laudis cumulum. Decretum verò præfatum ex Principum electorum, & reliquorum ad comitium accedentium conſenſu fuit, inter quos præter Minores plurimi fuerunt iuris vtriuſque & ſanctæ Theologiæ Doctores: nec hodie ſuis patronis, adſertoribus, & defenſoribus caret in vtraque ſchola, à quibus meritò Bzouij perſtringenda erit teme ritas, qui eam opinionem hæreſis appellatione indigitat num. 8. audiamus interea ex Crantzio, ſi ſoli Franciſcani, vel quinam authores fuerint eius decreti: ita ille in ſuâ Saxoniâ: *In Germaniam Ludouicus reuertitur, conuentúque regni conuocato permagnifico in Francofurdiam, ad quem etiam vocauerat Reges Imperio non parentes. Venerat Rex Angliæ, imperio nihil debens, aderat Rex Bohemiæ Ioannes Henrici VII. filius, cæterique regni tam ſpirituales, quàm ſæculares Principes. Ibi conſtituta ſunt multa, quæ ex dignitate Imperij tum ſunt viſa: inter alia verò, quod electus à Principibus, aut à maiore, aut ſaniore parte, adminiſtrationem habeat citra aſſenſum Pontificis: nam ea quæ præter hæc introducta ſunt, nec diuino iure nec vlla patrum ordinatione, ſed blandâ quorundam aſſentatione, & Romanorum ſpontaneâ ingeſtione Pontificum prouenerint, electus inſinuetur Roma-*

no

no Pontifici, quod ſit Princeps Catholicus, iuſtus, Imperio dignus, petaturque coronatio, quæ (niſi obſtiterit manifeſta cauſa) ſi negatur, ſumatur conſecratio à quouis Catholico Principe: nam omnes illæ ſolemnitates per Eccleſiam introductæ fuerunt. Quis enim Romanus Pontifex conſecrauit Conſtantinopolitanos Imperatores? & ante Conſtantinum, Ethnicos quis ſacrauit Imperatores? deinde ordinatum eſt quod Imperator præſtabit Pontifici & Eccleſiæ defenſionis, deuotionis, & humilitatis, non fidelitatis, homagij aut ſubiectionis iuramentum: quia temporalis dominij Papa Imperatori nihil tribuit, imò Eccleſia ſumpſit omnia illa ab Imperio. Gladius enim vterque nihil habet commune, quum alter animam, alter ſolum corpus conficiat, ibique decreto confirmatum eſt, quod vacantis Imperij adminiſtrationem Pontifex habeat, nulla ſcriptura, nulla ratio, ſed ſola vſurpatio introduxit. Hæc tum Principibus in cœtum Imperij congregatis viſa fuere in rem Chriſtianam obſeruanda, &c. Hactenus Crantzius. Vide Bzoui omnes Imperij Principes tam ſpirituales quàm ſæculares in eam iuiſſe ſententiam duobus etiam Regibus Angliæ & Bohemiæ præſentibus, quorum ille non obſtantibus ſententiis à Ioanne contra Ludouicum latis vicariam Imperij tanquam à legitimo Imperatore collatam poteſtatem conceſſam exercuit.

Numero 22.

BZOV. *Hoc anno in Germania Dominicani, eò quòd Pontificias partes deſerere, neque Ludouico Bauaro adhærere, neque eodem iubente contra Pontificia ſacris operari vellent, multa perpeſſi ſunt: nam vel eleemoſynæ, ne eis à fidelibus darentur, neve eis alia pietatis Chriſtianæ officia exhiberentur, Ludouicus edixerat: vel eos vrbibus, & monaſteriis excedere præceperat: vel quibuſdam vt cœnobia diriperentur, inflammarentúrve permiſerat.*

Bzouio plura debet narratio, quàm Auentino, quem authorem eius ſubiicit: in primis, non hunc ſed ſequentem perſecutionis Dominicanæ is annum deſignat. Quod edixerit Ludouicus ne eleemoſynæ & pietatis officia exhiberentur Dominicanis teſtis eſt Bzouius, non Auentinus. Quod item monaſteriis & vrbibus exire præceperit hyperbole Bzouiana eſt, cui Auentinus tria tantùm contribuit monaſteria Argentoratenſe, Francofurten. & Landeshutenſe. de quibus ſolis loquitur. Quod cœnobiorum etiam inflammationem & direptionẽ aliis permiſerit in Bzouio legitur, Auentinus tacet: expedit tamen audire, quid particulatim de hac inflammatione Bzouius, quid verò recenſet Auentinus.

Bzou. *Lanſhuta quidam* (ſubiicit) *Satraparum de Deck facul is ardentibus ad contubernium eorum prouolans, niſi templum incontinenti aperirent, atque rem diuinam, vti priùs, facerent ſeſe igne illud cum eis concrematurum vociferatus ad ſacrificandum eos coegit.*

Auentinus ita rem deſcribit: *Dominicani, qui Lanſutæ habitabant, cùm Imperator Henrico bellum indixiſſet, demum templum ſuum clauſere, rem diuinam in contumeliam Cæſaris gratificati Principi ſuo Henrico, facere*

ſuper

ſuperſedere : & ne inconſtantiæ argui poſſent , vt qui omni vento doctrinæ circumferrentur , hactenus cùm etiam in gratiam Principis rediſſent defuncto etiam Hainrico in propoſito perſeuerabant. At vbi Imperator Landſutam venit pertæſi ſolitudinem vltro amicitiam Cæſaris ambiunt, fallaciam ne leuitate notarentur , concinnant , Satrapam de Deck clanculum orant , ſibi concilians , quid fieri in eo velint , edocent. Is ex compoſito faculis poſtridie, primâ luce , ardentibus ad contubernium mendicantis religionis prouolat, niſi ædes actutum aperiatur , res diuina , vti prius , fiat, ſeſe igne fanum cum Monachis concrematurum ſimulat . vociferatur, clamitat , altercatur , obedienter , atque lubenter Dominicani huius fallaciæ fabri ſuâ voluntate coacti obtemperant , aperto templo , nemine repulſo , ſacra palam , quod ante recuſarant, faciunt. Hæc Auentinus. Lectorem appello; iudicet ſi Auentini abbreuiator Bzouius, ſi interpres, ſi ſectator, ſi tandem corruptor.

B z o v. *Franciſcani ſoli , vel ſoli illi, qui Gulielmo Ochamo , & Michaëli Ceſænati auſcultabant , ne quicquam Pontificiam maieſtatem aut poteſtatem metuebant: ab authoribus ſceleris docti , & ſacris operabantur, & veſanæ paupertatis opinatores facti, in Pontificem Ioannem indigna plura vomebant.*

Benigna correctio. Porrò inter Franciſcanos ſolos, & ſolos illos, qui Ochamo & Ceſænati auſcultabant magnum eſt diſcrimen , & tantum, quantum inter Bzouium , hæc ex Auentino ſuo referentem , ipſumque Auentinum quem profuſo , & liberali commento adauxit. Ne verbum quidem hoc loco Auentinus de Franciſcanis. Sequamur tamen fidem ipſius Auentini , vt Bzouianam ex vero fonte diluamus , ille tria dumtaxat inſtituti Dominicani in vniuerſum contubernia ſacris abſtinuiſſe refert, Argentoraten. Francofurten. & Landeshuten. addo Reginoburgenſe ; vel ergo tria hæc, aut quatuor Monaſteria vniuerſitatem familiæ Dominicanæ per imperium complexa ſunt, vel non ſoli Franciſcani (quibus reliqui acceſſere Dominicani) ſacris operati : quo zelo autem Landeshutenſes portas occluſerunt, quà arte aperuerunt iam ex Auentino præmiſi : aperuerunt tamen ipſi ianuas , & ſimul Francofurtenſes reliquæ multitudini aggregati. De his ita Auentinus : *Dominicani Flaminicas partes (nam Benedictus Pontifex maximus amicus Cæſari erat) deſerere , ad Imperatorem deſciſcere , niſi vrbo excedere maluiſſent , publicè rem diuinam facere coacti ſunt.* Ergo cum Franciſcanis hæc duo Monaſteria , de quibus hic Auentinus , concurrunt. Ergo non ſoli Franciſcani ſacris operati, *ne quicquam Pontificiam maieſtatem aut poteſtatem metuebant.* Sed & pedem referamus paululum ad Conuentum Ratiſponenſem , in quo Imperialibus comitiis olim contra Ioannis ſententiam communi ſententiâ itum eſt,& declaratum, inane eſſe & irritum, quidquid contra Ludouicum , & imperij iura ex æquo, vel iniquo ſtatuerit; vbi hæc Auentinus : *Franciſcani , aliique omnes Sacerdotes & Monachi, Epiſcopi , Cæſaris , Principúmque decreto ſteterunt , ſoli Dominicani modò Cæſaris , modò Pontificis quocumque vtilitas inuitabat , rebus ſtudebant.*

Argentorati.

Argentorati quod diu publicè rem diuinam feciſſent demum pecuniâ coëmpti detrectarent, vrbe pulſi ſunt. Reginoburgij atque Landshutæ è diuerſo primò ſacrificiis publicis aliquandiu ſuperſedere, huiuſcemodi ceremoniis abſtinuere, mox pertæſi ſolitudinem ſponte templa aperuerunt, paſſimque, ne egeſtate perirent, ſacra fecerunt. Nam Ludouicus clementiſſimus naturâ, atque Princeps beneuolentiſſimus neminem ad ſacra publica adegit. Hæc Auentinus. Vides lector non Franciſcanos modò (vt refert Auentinus) ſed & omnes Sacerdotes, Monachos, Epiſcopos, ac tandem Dominicanos diuina frequentaſſe. Eſtne hoc ſolos Franciſcanos ſacris operari, teſte Auentino? veritas hiſtoriæ conſtat ex dictis, & colligi poteſt ex litteris Principum electorum ad Benedictum Pontificem, duabus etiam aliis conſtitutionibus Imperatoris & Principum, quos hoc anno eſt reperire apud Bzouium.

BZOV. *Vaſanæ paupertatis opinatores facti.*

Quid porrò authoris ſui corruptor amplius ad infamiæ profectum adiicere potuit, quàm de corruptela prouehi gradatim in blaſphemiam, vt qui humana, cum fraude & iniuriâ, tractat, diuina etiam ſacrilego contemptu profanet. Nam ſi vxſana eſt paupertas, quam opinati & profeſſi ſunt Franciſcani, quid reſtat niſi confirmantes eam Pontifices, & Eccleſiam à veritatis, in vertiginis & væſaniæ ſpiritum deſiuiſſe, regulam Franciſcanam eiúſque profeſſores, illius paupertatis aſtrictos voto, damnare væſanos? hæc audire abhorrent Catholicæ aures: ſcriptis conſignare delectat Bzouium, ne quod in Franciſcanos beneuolentiæ argumentum prætermittat. Plura de hac paupertate ſuo loco. Dictis tamen non grauabor adiicere teſtimonium Leonis X. in eâ conſtitutione, quam vocamus vnionis; ita ille de religione Franciſcana: *Hæc eſt religio ſancta & immaculata, in quâ per ſpeculum ſine maculâ redemptoris contemplatur præſentia, vita Chriſti & Apoſtolorum inſpicitur forma, per quam priorum Eccleſiæ fundatorum ante oculos Chriſtianæ plebi reducitur norma,* &c. accedit ſuper hoc decretum Clementis VII. decretali quæ incipit: *Dum vberes fructus,* &c. Data eſt 30. Maij 1525. Pontificatus anno 2. ita habet: *Necnon regulam ipſam per Sanctum Franciſcum pro fratribus Ordinis Minorum inſtitutam obſeruabilem, meritoriam, vel inobſeruabilem ſeu ſacro Euangelio repugnantem eſſe, in hoc aſſertionem huiuſmodi non eſſe tenendam, nec admittendam authoritate, & tenore præmiſſis decernimus ac volumus ac mandamus,* &c. in hanc conſtitutionem proculdubiò incurrit Bzouius væſanam aſſerens paupertatem regulæ, quæ ex declaratione Clementis fundata eſt ſuper Euangelio.

Ex Monumentium Ord. & Speculo.

Anno 1347. num. 36.

BZOV. *Sex menſibus ante Ludouici Bauari obitum, ex hac etiam vitâ migrauit Monachij ille omnium incentor malorum VVillielmus Ocham*

Angliâ ortus in adito templi Franciſcanorũ vnà cum conſectariis Bonagratia, Bergomate, & Michaële Ceſenatico hereticis & ſchiſmaticis tumulatus. Conradus Maidenburgenſis Parochus, & myſta Reginoburgenſium, illius, & Luupoldi Bambergenſis Epiſcopi peſtilentiſſimis libris reſpondens, multa ad Carolum IV. Imper. præfatus, Vvilielmum authorem ſcelerum, cultorem tenebrarũ, hæreſiarcham, & deprauatorem tum Philoſophiæ tum Theologiæ nuncupauit, qui ſuis argutiis ineptiſſimus nobiliſſimæ ſimplicitati Ludouici Principis alioqui naturâ optimi impoſuerit: vt quidquid is in Romanam Eccleſiam peccauerit, authore, atque conſultore Ochamo commiſerit. Sathanæ calamo ea ſcripta, libenti oculo legunt, & impudenti temeritate, laudant omnes heretici. quod is hominum petulantiſſimus fidei Catholicæ, & modeſtiæ non tantùm religioſæ, verumetiam Chriſtianæ oblitus à nullo ſcurrilitatis, maledicentiæ & blaſphemiarum genere abſtinuerit, quo minus iis Pontificiam dignitatem proſcinderet. Franciſcanorum plurimi cùm illius ſcripta tutarentur religionem Minoritanam in tantum diſcrimen adduxerant, vt de illa quemadmodum ante aliquot annos Templariorum extinguenda Ioannes Pontifex ſeriò cogitauerit, nec niſi Diui Franciſci tam admirandæ ſanctitati, ne vniuerſam extirparet, conceſſit. Annales Boiorum lib. 7. & Annal. Franc. part. 3.

Vulnus obductum refricare non veretur Bzouius, vel ſepulchri ipſius pacem Ochamo concedat, hominem miris modis exagitans. Ita nempe toruus, & implacabilis animus, non aliter nec Chriſtiano more parentare conſueuit, poſtquam omnem humanitatis ſenſum, & pietatis dudum exuerit viſcera.

B z o v. *Sex menſibus ante Ludouici Bauari obitum, ex hac etiam vitâ migrauit Monachij, ille omnium incentor malorum Vvillielmus Ocham Angliâ ortus, in adito templi Franciſcanorum, &c. tumulatus.*

Noſtros primùm reducamus Toſſiniagnenſem lib. 3. hiſtor. Seraph. & poſt eum Henricum Willot in Athenis Franciſcanorum, qui nec diem, nec annum, nec locum mortis aut ſepulturæ Ochami ſunt aſſecuti; mortuum refert Capuæ & cum hoc epitaphio ſepultum: *Hic iacet corpus excellentiſſimi Doctoris & inceptoris Ocham, Anglici, Ordinis Minorum, qui obiit hic tempore Ioannis XXII. & Domini Regis Roberti, & compoſuit dialogum de poteſtate Eccleſiæ, obiit autem die 20. Septemb. 1320.* Ochamum conſtat ſuperuixiſſe 1328. quo anno fugit Auinione Piſas; deſignatum ergo tempus detrahit inſcriptioni: Nos autem Monachenſis ſepulchri & epitaphij ſequamur fidem, vt quæ rei, tempori, & perſonæ magis congruat. Ita habet: *Anno Domini 1347. 10. Aprilis obiit eximius Doctor ſacræ Theologiæ Fr. Gulielmus dictus Ocham de Angliâ.* Sepultus eſt in choro ad dexterum cornu altaris, non autem in veſtibulo ſeu adito Eccleſiæ, vt ſcribit Bzouius; reiiciendum proinde, quod apud Gonzagam legitur de ſepultura eiuſdem in Conuentu Carinolæ ſiue Caleni Prouinciæ terræ laboris.

Sed quo authore Ochamus incentor fuit omnium malorum? vnum ex malis fuit ſchiſma inter Imperatorem & Pontificem; hoc non incendit Ocham. Vnum ex omnibus malis teſte Bzouio etiam fuit, quod à Pontificis ſententia Ludouicus Imperator appellarit; hoc non incendit Ocham. Vnum ex malis fuit protectio Vicecomitum, & factionis Gibellinæ, hoc non incendit Ocham. Et vt omnia penè mala comprehendam, depoſitio & accuſatio Ioannis Pontificis, intruſio Corbarij, & quæcumque alia, quæ ſuo excidio vidit Italia ad annum vſque 1328. dormiente vel certè ignorante Ochamo contigerunt: hoc namque primùm anno is Auinione dilapſus extendit folles, accenditque fornacem accenſus ipſe imprudenti zelo, & indebitæ vexationis parum maturâ indignatione. Confiteare, ergo Bzoui, vel illa omninò mala non fuiſſe, vel quod emoti & ſtomachantis animi exceſſu in Ochamum euomuiſti ad ſobriam æqui ponderis & veritatis menſuram expurga.

BZOV. *Vnà cum conſectariis Bonagratia, Bergomate & Michaële Ceſenatico hereticis & ſchiſmaticis tumulatus.*

Hæreſes eos docuiſſe nondum probaſti, nec reipſa docuiſſe conſtat, quonam ergo pacto fuere hæretici? ſi iuris tantùm præſumptionem opponas, quod ij ſchiſmatici Pontifici non paruerint, quod cenſuris (quas nullas ipſi putabant) multis annis ligati, cedo; doctrinæ tamen contra fidem aſſertores, niſi probaueris, non permitto.

BZOV. *Conradus Maidenburgenſis parochus, & myſta Reginoburgenſium illius, & Luitpoldi Bambergenſis Epiſcopi peſtilentiſſimis libris reſpondens multa ad Carolum IV. Imperatorem præfatus Vvilhelmum authorem ſcelerum, cultorem tenebrarum, hereſiarcham & deprauatorem tum Philoſophiæ, tum Theologiæ nuncupauit*, &c.

Accipe teſtimonium Trithemij de Luitpoldo in catalogo virorum illuſtrium. *Luitpoldus*, inquit, *de Babendurgo Epiſcopus Bambergenſis Ioannis Andreæ Bononienſis quondam auditor, atque diſcipulus, Iureconſultus omnium laude celeberrimus, & tam in diuinis ſcripturis, quam in ſæcularibus litteris egregiè doctus, ingenio cautus, & promptus eloquio, ſcripſit quædam magnæ eruditionis opuſcula, quibus nomen ſuum immortalitati conſecrauit. Volumen inſigne de zelo & feruore Principum, & nobilium Germanorum pro fide Catholica, & Romanæ Sedis honore, atque præſulibus. librum vnum, item de iuribus Romani Imperij*, &c. Hunc librum Bzouius peſtilentiſſimum appellat, ſed audiat iudicium Illuſtriſſimi Bellarmini: *Luitpoldus*, inquit, *Bambergenſis vir eruditus*, &c. *ſcripſit librum de iuribus Imperij. in quo multa admiſcet ad hiſtoriam Eccleſiaſticam vtilia.* Quid de Ochamo dicam?

Si iudicio ſcholæ experiri nobiſcum Bzouio liberet, & depoſitâ acerbitate, & rancore ad ſubſellia Philoſophorum & Theologorum reuerenter expectare ſententiam, videret certè Ochamum velut eruditum, Excuſatur Ocham.

 & claſſi

& claſſicum authorem inter manus omnium verſari, quem velut magiſtrum ſuum, & venerabilem inceptorem ſchola Nominalium paſſim ſalutat, adire quæſo ne pigeat profundum, & copioſum Theologum Gabrielem Biel, is diſſeret, ſi Ocham *cultor ſit tenebrarum, ſi deprauator tum Philoſophiæ, tum Theologiæ.* nam Ochamum *deprauatorem eſſe Theologiæ* nec Conradus in Auentino, nec ex Conrado Auentinus, ſed Bzouius infidelis vtriuſque deprauator ſingulari impoſturâ, ſuiſque cordis abundantiâ deprompſit.

Cenſores librorum. Hæreſiarcham fuiſſe Ochamum non iudicant Theologi in Concilio Tridentino libris cenſendis præpoſiti, qui opus eius nonaginta dierum inſcriptum in ſecundã claſſem prohibitorum retulerunt, quæ non authores, ſed ſcripta recipit, vt præfatio claré præmittit. Negaret etiam

Sanderus. Sanderus de viſibili Monarchia lib. 7. cuius verba ſunt: *Licet autem iſte Ochamus contra Papam Ioannem ſcripſerit, tamen ſine omni controuerſiâ velut contra hominem non velut contra Eccleſiæ Romanæ fidem, authoritatémque ſcripſit; nam alioquin fidem ſuam de Romana Eccleſia apertiſſimè confitetur in prologo libelli, quem ſcripſit de ſacramento altaris,* &c. Hiſce per omnia conſentit Petrus Maturus in additionibus ad Antoninum part. 3. tit. 2. §. 11. & Gualterius ſæculo 14. verùm, ſi duorum vel trium minus ſit teſtimonium, ad obfirmatum Bzouij aduerſus hominem animum ſuperandum rem Theologorum omnium iudicio exponendam relinquo; quorum nemo hæretici, aut hæreſiarchæ excogitatam nomenclaturam Ochamo tribuit: quin collectores fidelium ſcriptorum, qui pro veritate teſtimonium dixêre, ſuáſque fidei, & Eccleſiæ lucubrationes dedicarunt, in claſſe Theologorum ſuo, neque infimo loco conſtituerunt Ochamum; conſulendi in hoc potiſſimum Bellarminus, Trithemius, Poſſeuinus, & alij, qui Ochami temeritatem & irreuerentiam in Ioannem XXII. commiſſam meritò caſtigant, non damnant fidem: errauit porrò ſtylo, non ſcopo, vt qui veritatis defenſionem ſuſcipere viſus eſt, ſtylum tamen idoneum non accõmodauit, atque in perſonam Ioannis XXII. inſaniuit magis, quàm aliquid in fidei ſubuerſionem prudens excogitauit. Id ergo conceſſerim debitæ ſubiectionis, temperantiæ, charitatis, reuerentiæ & obedientiæ leges præteruectum fuiſſe; Eccleſiæ tamen Romanæ fidem, & religionem certo tenuiſſe curſu, vt nec nouas contra eam hæreſes excogitarit, nec veteres & iam damnatas reſtaurarit, vnde hæreſiarchæ vel ſimul vel ſeorſim conſurgit appellatio, id, ſi particularius aliquantum in rei conſiderationem debitúmque veritatis ſcrutinium deſcendamus, fiet manifeſtius.

Quatuor ſpeciatim Ochamo obiiciuntur, quorum id primum & potiſſimum eſt (ſi doctrinam ſpectes) quod Concilium Oecumenicum ſupra Pontificem eſſe affirmauit, rectámque eſſe appellationem à Papa ad Concilium. Verùm hæc opinio licèt falſa ſit, oppoſitúmque eius damnatum quidam cenſent in Lateranenſ. ſub Leone X. & in Florent. ſub Eugenio: poſt Piſanum tamen, & Conſtantienſe in aliquorum animis ita fixim radices fecit, vt tolerandam magis quàm extirpandam

pandam iudicarit Eccleſia, illam defendunt Pariſienſes ſine hæreſis nota.

Secundò obiicitur & paſſim à Bzouio, quod defenderit Imperatorem ritè electum nullam Pontifici, aut eius confirmationi debere poteſtatem, ſuperiorem in temporalibus non habere temporalem, omne ius adminiſtrandi Imperij ei ſolâ electione conferri. Hæc eſt hæreſis, quam anno 1338. Bzouius damnauit in Luitpoldo Bambergenſi. Ea autem ſententia magnos præter Ochamum patronos habet, eóſque Catholicos, & doctiſſimos tam Theologos quàm Canoniſtas. Inſtar omnium vnus ſufficit Nauarrus releċt. cap. *Nouit.* de Iudiciis, not. 3. illat. 1. qui ſeptemdecim præmiſſis, in ſententiæ patrocinium rationibus, in eam tandem ſenex conuictus deſcendit, contrariam omninò deponens cuius olim adſertor fuit; cenſuram dumtaxat tranſcribo qua Bartholum ideo notat, quod hanc opinionem pro hæreſi damnarit. Ita ergo Nau. illat. 1.

Pro cuius reſolutionis defenſione, declaratione, ac argumentorum pro vtraque parte formatorum concordia, infero errare Barth. in l. 1. §. præſides. ff. de requirendis reis, dum ſignificare videtur hæreticam eſſe, quam elegimus opinionem & ob id quaſi damnatum fuiſſe Dantem Florent. Poëtam celeberrimum, & qui eam affirmant hæreticos. Tum quia hæreſis eſt dogma peruerſum fidei Chriſtianæ contrarium, iuxta cap. hæc eſt fides. 24. quæſt. 1. & gloſſ. fin. eandémque memorabilem Clem. 1. de hæret. quam commendat Panorm. in tract. de Concilio Baſilienſ. in 2. dubio. Hæc autem opinio licèt falſa eſſet, non eſſet tamen eiuſmodi, tum quia eius contradictoria neque ſacris litteris continetur, neque ab Eccleſia determinata eſt; tum quia non eſt hæreticus, qui hæreſim ſine pertinacia tenet, Clem. 1. iuxta gloſſ. in verbis, pertinaciter. de vſuris. & Clem. 1. §. porrò. iuncta gloſſa verbo pertinacia. de ſumma Trin. Pertinaciter verò is aliquid tenet, qui adeò firmat impudenter, vt ſit irreuocabilis, indocilis, & obſtinatus ſecundùm gloſſam in dicto §. porrò. vel certè, qui non credit illud, quod ſcit eſſe fidei Chriſtianæ. vt præclarè declarat Thom. de Vio. 2. 2. quæſt. 11. artic. 2. vel, vt ipſe addo, quod eſſe fidei debet ſcire. Quales non ſunt, qui hanc opinionem tenent, vel tenuerunt: quippe qui parati ſunt, & fuerunt corrigi, nec ſciunt, nec ſcire debuerunt id eſſe contra fidem Catholicam. Tum quia Pariſienſis ſchola nullatenus eſſet paſſa, vt ſui Doctores hanc partem libellis editis defenderent, ſi putaſſent illam hæreticam: quod tamen non ſolum paſſa eſt, & patitur quotidie: ſed etiam videtur eam comprobare. Hactenus Nau. Nauarri cenſura.

Cum Nauarro conſentiunt Anton. à Roſſellis de poteſt. Imperat. Ioannes Theutonicus in ſcholiis cap. quoniam. 10. diſtinct. & ſentit in cap. 1. 22. diſtinct. & in cap. verum. 96. diſt. Cardinalis in cap. nouit. de iudiciis. Ioan. Maior in 4. diſtinct. 24. quæſt. 3. & ſuper Matthæum cap. 16. Almainus in lib. de poteſt. Papæ. Coſmas in prooemio congregationis Gallicanæ. Baldus in rubr. Digeſtorum, dicens omnes legiſtas tenere pro maxima, Imperat. Roman. neminem habere in temporalibus ſuperiorem: licèt contrarium teneat Bartolus, Albericus pluribus in locis in l. cunctos C. de ſumma Trin. & in l. benè à Zenone. cap. de

quadrien. præſcript. his accedunt, Bzoui, Ioannes Pariſienſ. in lib. de poteſt. Papali & Imperiali, & Hieron. Baldus lib. de coronatione ad Carolum V. vterque Ordinis Prædicatorij. Hic autem adductis opinionis oppoſitæ argumentis, ait; *His inuolucris nobiſcum agunt, qui iura Imperij labefactare ſtudent*, &c. Additque ſuam eſſe omnium Iuris Cæſarei interpretum communem & fixam ſententiam.

Ad quorum confirmationem adiicere poſſet communem etiam Theologorum, quæ nullam poteſtatem temporalem Pontifici in quantum Pontifex eſt, attribuit directam; ſed indirectam, quæ de temporalibus in ordine ad ſpiritualia cognoſcere ſolum poteſt, & hæc quidem ſufficiens eſt, vt plenè de illis diſponat hic, & nunc incidente cauſa, & occaſione, qua finis ſpiritualis conſeruatio,& neceſſitas id exigit. Ita Henricus quodlibeto 6. quæſt. 23. Driedo lib. 2. de libert. Chriſtiana cap. 2. Turrecrem. lib. 2. cap. 113. Albertus Pigius lib. 5. Hierarch. Dominicus Soto in 4. diſtinct. 25. quæſt. 2. artic. 1. Sanderus viſib. Monarch. lib. 2. cap. 4. Caietan. in Apologia cap. 13. ad 6. Thomas Waldenſis lib. 2. artic. 3. cap. 76. & 77. & 78. Illuſtriſſ. Bellarm. lib. 5. de Roman. Pontif. cap. 4. vnde colligitur Imperatorem non habere ſuperiorem temporalem in terris, cum tali poteſtate careat Pontifex: non enim peioris eſt conditionis, quàm Reges, aliique abſoluti Principes, quibus quidem ſuperior eſt Pontifex indirectè quoad temporalia: nullam obinde ab eo poteſtatem recipiunt, quam integram & ſaluam habent iure electionis aut hæreditatis & ſucceſſionis.

His accedit praxis, per quam vſu euenit, vt electus non petità confirmatione vllâ Pontificis adminiſtrat Imperium. Ergo nec ſententia hæc eſt hæreſis, nec eam defendens Ochamus dici debet hæreticus.

Tertium obiici ſolet Ochamo, quod defenderit hæreſim Fratricellorum, eamque damnanti Ioanni XXII. ſe temerariè oppoſuerit, in hoc errauit Pitzeus & alij: nam per meram calumniam eiuſmodi deponuntur, vel ab æmulis, qui damnatum, & infamem hominem cupiunt, vel ab iis, qui aliorum fidem ſecuti, aut ex proprij ſenſus inuentâ coniecturâ id fabricantes facti veritatem non ſunt aſſecuti, quam nos fuſius in ſuperioribus per omnia penè contra Bzouium ſtatuimus: defendit ille paupertatem profeſſam ſui ſtatus, & regulæ Franciſcanæ, ſimul cum declarationibus Romanorum Pontificum, & deciſione Capituli Generalis Peruſini, quæ deſumpta eſt ex decretali Nicolai III. ſuper hoc promulgata, cap. *Exiit*. de verb. ſignif. in 6.

In quarto Ochamum non defendo quatenus ſine reuerentiâ, & ſobrietate impugnauit Ioannem XXII. Pontif. Max. de variis erroribus eum imprudenter, & impiè traducens, in quo velut arrogantem, rebellem, ſchiſmaticum ſuique ſenſus, affectatæ vindictæ, vel indiſcreti zeli ſpiritu percitum damno: ideòque ea, quæ in Ioannem ſcripſit rectè prohibita ſunt: doctrinam tamen vllam ab Eccleſia damnatam pro hæreſi, eum pertinaciter in his, aut aliis operibus aſſeruiſſe nequaquam reperio; docuit quidem aliquas opiniones minus probabiles, in quibus

tamen ſectatores habuit, & inoffenſo pede currunt in ſchola Theologorum eius placita ſine hæreſis, aut grauioris notæ cenſurâ.

Nec mouere quemquam debet, quod is, aliique complices in ſententiis contra eos latis appellentur hæretici, ſeu tales declarentur, hoc porrò ex eadem præſumptione, quâ Ludouicus Bauarus etiam hæreſis damnatus eſt, non ob aliquam doctrinæ hæreticæ adſertionem; quæ ſententiæ cum dumtaxat in hoc effectum ſortitæ ſunt, quem manifeſtatâ intentione & declaratâ, & ſatis probatâ veritate potuerunt habere & debuerunt: ſicut ipsâ compertâ veritate interiit præſumptio. Ac proinde Germaniæ pleræque vrbes formam iuramenti tranſmiſſam à Clemente ad Bambergenſem, & Pragenſem, quæ proponi deberet petentibus abſolutionem à cenſuris reſpuerunt, exemplo Baſilienſium, de quo conſulendus eſt Rebdorfius, Mutius, Argentinenſis. Verba Baſilienſium hæc ſunt apud Rebdorfium ex ore magiſtri ciuitatis.

Domine Bambergenſis, ſciatis, quod nec fateri nec credere volumus, quod quondam Dominus noſter Ludouicus Romanorum Imperator vnquam fuerit hæreticus. Quemcumque etiam nobis dederint Principes electores vel maior pars ex eis pro Romanorum Rege, vel Imperatore illum pro tali habebimus, etiamſi nunquam Papam requiret: nec quidquam aliud faciemus, quod ſit contra iura Imperij vllo modo, &c.

Addit Mutius: *Vrbes à Baſilienſium omnium ore cantatâ magnanimitate exemplum ſumpſerant, nec iurare, nec agnoſcere errores hæreſémve volebant: abſoluebantur autem pleraque ſine iuramento illo, & confeſſione, quam exigebat*, &c.

Impugnauit etiam Ochamus Pontificis conſtitutiones, in quo non modicæ ſuſpicionis præſumptio fuit: ſed vt ſuperiùs oſtendimus impugnationis origo fuit defectus intelligentiæ, ſeu veræ interpretationis conſtitutionum, non diuerſitas ſenſus, non diſpar ſententia, atque adeò impugnatio, quæ ſpecietenus & verborum ſtrepitu repugnare videtur, nec falſam doctrinam continet, nec contra veram decretalis ſententiam procedit, Nicolai & anteriorum Pontificum ſuſtinens conſtitutiones: alioquin probetur contrarium ex textu. Et ne quis ad appellationem hæretici lectam in Pontificis decretalibus, & ſententiis contra eum latis ſcrupuloſe ſubſiſtat, idem nouerit variis modis dici hæreticũ, duodecim enumerat Turrecremata in ſumma de Eccleſia lib. 4. part. 2. cap. 12. Tabiena in ſumma verb. hæreticus numer. 1. Zanchinus de hæreticis cap. 2. decem ponit, plurimos recenſent Carrerius tractat. de hæret. num. 6. Paulus Grillandus tract. de hæret. quæſt. 1. & Gondiſal. tract. de hæreticis quæſt. 1. Canones verò octo modis communiter hæreticum dicunt: videatur repertorium Inquiſitorum verb. hæreticus.

In primis quilibet excommunicatus hæreticus dicitur, 4. quæſt. 1. quod autem. Item Simoniaci, 1. quæſt. 1. quiſquis. Item qui aduerſus Romanam Eccleſiam agit. diſt. 22. cap. omnes.

B z o v. *Qui ſuis argutiis ineptiſſimis nobiliſſimæ ſimplicitati Ludouici Principis, alioqui naturâ optimi impoſuerit: vt quidquid is in*

Romanam

Romanam Eccleſiam peccauerit authore, atque conſultore Ochamo commiſerit, &c.

Schiſma quod multis iam annis inueterauit, vt cætera omittam, dic ſi te authore peccatum fuit in Romanam Eccleſiam? verum Pontificem deponere, idolum eius loco Petríque cathedræ inferre, peccatum fuit contra Eccleſiam Romanam? fortè Ochamus tum Auinione, atque ſub communione, & obedientiâ Ioannis exiſtens ſententiam contra Ioannem Romæ dixit, aut promulgauit? Corbarium Antipapam intruſit? alibi te memoria, alibi fides deſerit: hîc quidem, & memoria & fides; atque vtinam vel comes fieret pudor. Quid enim inuerecundius, quàm veritatem relinquere, ſua & aliorum placita renunciare, vt totus fingendis ſtrophis quis vacet, ne opportuna maledicentiæ commenta deſint? regredere ad ea, quæ anno 1327. 1328. & ſequentibus in Ochamum, & complices dictaſti, lege proceſſus, & ſententias in eos latas à Pontifice. Quid in iis potiſſimum crimini datur? quænam inſtituta actio, aut propoſita accuſatio? quod nempe Curiâ deceſſerint contra Pontificis mandatum, quod ad Ludouicum Pontificis magis quàm Eccleſiæ hoſtem, & Corbarium iam intruſum transfugerint, & eiſdem adhæſerint, eorum partes ſecuti, quod deinceps Pontificias impugnarint conſtitutiones, quod citati non comparuerint. Hæc magna, etſi grauia fuêre peccata: non omnia tamen vel quæ tu Ludouico adſcribis, vel is, ſiue irritatus, ſiue ex aliorum inſtinctu ductus in Eccleſiam commiſit, antequam viderit, aut cognouerit Ochamum: inter omnia autem grauiſſimum fuit piaculum Ioannis depoſitio, & Corbarij intruſio, quæ ante fugam Ochami iniquitatis ſuæ menſuram compleuêre.

BZOV. *Sathanæ calamo ea ſcripta, libenti oculo legunt, & impudenti temeritate laudant omnes hæretici, quod is hominum petulantiſſimus, fidei Catholicæ, & modeſtiæ non tantum religioſæ, verumetiam Chriſtianæ oblitus, à nullo ſcurrilitatis, maledicentiæ, & blaſphemiarum genere abſtinuerit, quominus iis Pontificiam dignitatem proſcinderet.*

Tu ſcilicet elinguis & hebes manum in ſinu abſcondens nihil rependis?

> ——— *An tibi Mauors*
> *Ventoſa in lingua pedibúſque fugacibus iſtis*
> *Semper erit?*

Perge, perge contribulis Ochamo adſcriptus, ſerua formam, ille quidem improbitatis ſuæ feces infelix iam bibit, tu fuſim propinas. Eſtne hoc mi Bzoui Pontificiam dignitatem contra Ochamum ſuſtinere? eſtne hoc verè belligerari, an potius verbigerari, maledictum maledicto excipere, petulantiam petulantiâ oblinire magis, quàm expungere? non deſultoriâ, aut detractoriâ arte, ſed maturè, conſtanter, rationibus non verbis, authoritate non linguâ Pontifices defendebat Baronius

cuius

cuius prouinciam adire placuit; quid dicam? Baronij ſanè veſtigiis inſiſtendum ſecutè erat.

B z o v. *Franciſcanorum plurimi, cùm illius ſcripta tutarentur, religionem Minoritanam in tantum diſcrimen adduxerant, vt de illa, quemadmodum ante aliquot annos Templariorum, extinguenda Ioannes Pontifex ſeriò cogitauerit: nec niſi Diui Franciſci tam admirandæ ſanctitati, ne vniuerſam extirparet, conceſſerit.*

Ad particularia deſcendamus, quinam illi plurimi Franciſcani? quænam Ochami ſcripta tutati, quorum patrocinium religionem Minoritanam in tantum diſcrimen adduxerat? in arenâ me ſiſto; ad manus tandem veniamus; iterum interrogo, quænam illa ſcripta Ochami tutati ſunt plurimi Franciſcani, cum tanta Pontificis indignatione, quæ extinctionem vniuerſi inſtituti parturiebant, tamque iniquum Ioanni ſuggeſſit animum? ea tandem oportet fuiſſe, quæ is aduerſus Ioannem contexuit, & in prohibitis habita ſunt ab Eccleſia: nec enim interpretari poſſum Ochami logicam, vel eiuſmodi alia, quæ ſine cuiuſpiam offenſione currunt, tam acerbè Ioannis ſtomachum miſcuiſſe: illa ergo ipſa ſint, cùm alia non ſuppetant. Sed illa tu aſſeris à plurimis Franciſcanis tutata? quinque ſolos Franciſcanos inſectatur Pontifex, variis contra eos promulgatis proceſſibus; horum quintus eſt ipſe Ocham, tertius, & quartus Michaël Ceſænas exauthoratus & Petrus Corbarius intruſus, quorum quiſque improbitatis ſuæ pondus ſuſtinens, in propriâ non alienâ culpâ vapulauit, reliqui duo Henricus Thalhemi, & Bonagratia Bergomas ſint tibi plurimi (modò id permittat Donatus cum turba Grammaticorum) qui Ochami ſcripta tutati ſunt; mirum tamen, vt id neſciuerit Pontifex; vel certè tacuerit, quos ideò damnauit, quia ſectatores facti Ceſænatis partes Ludouici Imperatoris ſequuti ſunt: quamquam & ſpeciali notâ Bonagratiam reprehenderit, quia Auinione contra præceptum, & iuſiurandum aufugit.

Argumento nempe eſt plurimos Franciſcanorum in tutelam ſcriptorum Ochami conuolaſſe, damnatum eum fuiſſe ab inſtituto totius Ordinis Vicario Beltrando Cardinale, prout deſignat proceſſus Capituli Generalis Pariſienſis. Argumento etiam eſt ea ſententia, quæ in Ochamum & præfatos complices promulgata eſt in comitiis totius Ordinis Pariſiis nomine, & authoritate vniuerſi corporis ann. 1329. quæ ſententia in Capitulo Generali Perpiniani celebrato non modò confirmata eſt, ſed vlteriori proceſſu & grauioribus edictis ac pœnis eſt adaucta, ampliata & extenſa ad ipſius doctrinæ condemnationem; eſtne hoc tutari ſcripta Ochami à plurimis Franciſcanorum?

Vide Bzouium ann. 1327. 1328. 1329. 1331. qui proceſſus ipſos tranſcripſit.

B z o v. *Ioannem ſeriò cogitaſſe de extinctione religionis Franciſcanæ.*

Rectè id probat quod anno 1328. 6. die Iulij depoſito Michaële Ceſænate inſtituerit Vicarium Ordinis Cardinalem Beltrandum, donec

conuocato Capitulo ſucceſſor communi ſuffragio eligeretur. Ita tradit
Marian. Marianus, quem ſequitur Marcus Vlyſiponenſ. De vicaria item pote-
Marcus. ſtate Beltrandi ſuper religione mentio eſt in proceſſu quem aduerſus
Ceſænatem & complices inſtituit in Capitulo Pariſienſi Gerardus ſuc-
Anton. ceſſor. De eod. Anton. 3. part. hiſtor. titul. 24. cap. 9. §. 15. & antiqua
Chron. eſtne ergo progreſſus ad corruptionem, ſeu extinctionem Ordinis conſtituere eius Vicarium vnum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, donec conuocato corpore Generalis Miniſter quiſpiam aſſumeretur? Sequenti item anno ſcripſit Pontifex litteras ad Capitulum Pariſienſe pietatis & affectus plenas, vt præfati authores referunt. De iis ita Antoninus: *Dominus Papa malitiam inuidorum ſuſurrantium & ſolemnitatem & innocentiam religionis perpendens, flexus ad eam tum ex compaſſione, tum afflixione* (fortè affectione) *litteras multum conſolatorias & fauorabiles miſit Pariſios Capitulo Generali & ad amorem priſtinum eſt reductus*, &c. Quænam hæc perdendæ religionis oſtentant ſigna, aut ſignant machinamenta?

B z o v. *Nec niſi D. Franciſci tam admirandæ ſanctitati, ne vniuerſam extirparet, conceſſerit*, &c.

Flexum refert Antoninus Ioannem ad priſtinum amorem, dum perſpectam haberet ipſius religionis ſolemnitatem, & innocentiam, ſuſurronum, & inuidorum malitiam. Aliqua ergo ſuffragia hæc fuêre præter Diui Franciſci ſanctitatem, nec infimi momenti in ſcrinio pectoris Pontificij. Quid enim magis iuſtificat reum, & inflectit iudicem, quàm dignitas & innocentia perſonæ, accuſatoris deprehenſa malignitas, & prætenſæ actionis denudata calumnia? Si ergo innocentem religionem expertus eſt Pontifex, ſi inuidorum fallaciâ dumtaxat laborantem deprehendit, quid aduerſus eam iure ſtatuere potuit, quod fundatoris intuitu prætermiſſum fuit, quaſi ex gratia fauori cederet, quod iuſtitia fieri prohibuit? Sed audire placet Antoninum, ſi quæ alia in religionis patrocinium affert, quæ meritò ad eius reuerentiam, & conſeruationem potuerant conferre: *Aſſumpti ad Cardinalatus precellentiam duo fratres Aquitanici viri vtique litterati, & ſuæ religionis Minorum feruentiſſimi zelatores, Fr. videlicet Vitalis de Furno, & Fr. Bertrandus de Turre, canum latrantium contra Ordinem clamoribus in facie Eccleſiæ reſpondent. Viuebat etiam tunc Dominus Infans Aragoniæ Patriarcha Alexandrinus qui ex magnâ deuotione ad Ordinem, deferebat habitum Minorum occultatum, qui iuuabat fratrum cauſam. Parum ante iſtam tribulationem præceſſerunt canonizatio Sancti Ludouici Epiſcopi Toloſani, qui in facie Eccleſiæ crebrâ miraculorũ coruſcatione refulgebat. Quis ad dilectionẽ Ordinis fortius efferbuit, quàm Rex Siciliæ Robertus Ludouici Sancti frater & domina Regina Sancia vxor eius? quæ pro defenſione Ordinis perſonam & potentiam ſuam obtulit, eam exponere parata & pro ſtabilitate Ordinis & regulæ parata immolari? multi quoque Reges ac Principes Ordinem in tanta tribulatione poſitum adiuuabant, in Curiâ Rex Franciæ, Rex Caſtellæ,*

Rex Aragoniæ, Rex Cypri, Rex Maioricarum. Intereà Dominus Eleazarus Comes Ariani deuotiſſimus, qui ſedecim annos cum vxore ſua, religioſa muliere Delphina nomine in virginitate abſque lecti ſeparatione vixerat, Pariſiis in manibus fratris Franciſci de Maronis ex hac luce migrauit, qui poſitus in extremis dixit: Gratias ago Deo, quia ſponſam meam Delphinam mente & carne virginem derelinquo, cuius mors eadem horâ ipſi vxori ſuæ in Prouincia Prouinciæ exiſtenti fuit diuinitùs reuelata. Hic cum habitu Minorum Pariſiis in Conuentu eorum fuit tumulatus, multis miraculis clarus. Magna pars dictorum Regum & Principum ſcripſit pro excuſatione & conſeruatione religionis ipſius cordialiſſimè Domino Papæ & magni magiſtri, & famoſi tunc erant, & ob hoc diuino inſtinctu Dominus Papa malitiam inuidorum ſuſurrantium, & ſolemnitatem & innocentiam religionis perpendens flexus ad eam, &c. Hæc idem antiqua religionis Chronica, Marcus & Marianus, & ſi fuſius argumentum proſequi nobis liceret, nullo negotio id probaremus, vt neque Pontifex iuſtam perdendæ religionis cauſam prætendiſſe, nec vnquam extinctionem eius inueniatur cogitaſſe, nec de facili potuerit effeciſſe. Authores tamen hiſtoriæ facit Bzouius Annales Boiorum lib. 7. & Franciſcanorum 3. part. ſed Franciſcani nihil agunt de hac controuerſia 3. part. Auentini autem, qui ex parte præiuit, fama poſthuma hoc apud Bzouium encomio celebratur anno 1338. num. 22. *Vt ſit mendaciorum architectus, homo omnium petulantiſſimus in conuitiis, mendaciſſimus in narrationibus, inconſtantiſſimus in iiſdem malè ſcribendis ex eodem ore calidum, & frigidum efflare*, &c. Idoneum tamen in Franciſcanos eum teſtem eſſe iudicat de quibus ea apud eum innata præſumptio inualuit, vt, quidquid de iis in malum dicatur à quouis tranſcribi & credi ſine exceptione vllâ poſſit.

Anno 1352. num. 19.

Aragoniæ quoque regnum per id temporis ſectariis non caruit; erant qui aſſererent ſanguinem Chriſti in paſſione effuſum, adorandum non eſſe latrenſi, quod exiſtimarent illum non amplius eſſe coniunctum diuinitati, quemadmodum cùm in viuente Chriſti corpore vniebatur. Fr. Nicolaus Roſelli ſupremus eodem in regno fidei Catholicæ quæſitor ex Ordine Dominicano aſſumptus hunc errorem doctiſſimis argumentis confutauit: Clemens verò VI. eundem ipſum errorem hæreſis damnauit, mirum vt ſit Pij II. Pontificis temporibus aliquos Franciſcanorum illum ipſum voluiſſe defendere, inque controuerſiam vocare ea, quæ Clemens Pontifex authoritate Apoſtolicæ Sedis condemnaſſet. Franciſcus Diagus lib. 1. hiſtor. Prouinc. Aragoniæ Ordin. Prædic. cap. 22. ex Directorio Inquiſitorum Eymer. part. 2. quæſt. 10.

Iſthæc tuorum eſt narratio, quam auxit Syluester in ſua Roſa aurea aſſerens Pium II. confirmaſſe Clementis ſententiam; in eundem proinde errorem quoſdam huius ætatis non infimæ notæ ſcriptores traxit,

Vaſquez. Suarez. inter quos Gabriel Vaſquez in 3. part. diſtinct. 36. cap. 4. Suarez diſpur. 15. 5. 6. fidem ſequuti Directorij, & Syluestri rem definitam non tam ſtatuere conantur, quàm ſupponunt ex eo proceſſu quem ſub Clemente Nicolaus Roſelli Inquiſitor Dominicanus in regno Aragoniæ inſtituit Barchinone contra quoſdam oppoſitum prædicantes, allegant etiam Syluestrum loco citato, qui ſub Pio II. renouatâ controuerſiâ damnatam refert opinionem, quæ à ſanguine effuſo in triduo vnionem remouebat hypoſtaticam, magiſque deferendum cenſet Vaſquez Eymerico, & Syluestro, quàm iis qui decretum Pij II. allegant, quo cautũ eſt ſub excommunicationis pœnâ ne alterutra quæſtionis pars hæreſis damnaretur; vel Dominico de Dominis illius temporis ſcriptori, & docenti proceſſum Barchinone factum authenticum non eſſe, neque vllis probatis conſtare teſtimoniis. Cæterùm nos oſtendemus non vſque adeò præfatis authoribus in propria cauſa fidendum, quin veritati, & aliis locus detur; incipiamus ergo ab ipſa controuerſia, provt ſub Pio II. originem, progreſſum, & terminum ſuum habuit.

Controuerſia de ſanguine Chriſti. Initium altercationis hoc fuit: B. Pr. Iacobus à Marchia, cuius virtutes, & merita paſſim celebrantur, anno Domini 1462. Dominica reſurrectionis 18. Aprilis ex ſuggeſtu concionem habens ad populum, aſſeruit, poſt Richardum de Media Villa, alióſque antiquos ſcholaſticos ſacratiſſimum Chriſti ſanguinem effuſum triduo remanſiſſe ſeparatum à diuinitate. Quidam verò Fr. Baptiſta Ordin. Dominicani Prædicator docuit ex pulpito id falſum eſſe, ac erroneum; horâ autem Completorij ſequentis diei Fr. Iacobus à Brixia eiuſdem Ordinis Inquiſitor Lombardiæ ſcriptis litteris ad eundem B. Iacobum hortatus eſt illum ad retractationem publicam, ne error auditorum cordibus inhæreret. Die autem 20. concione antemeridianâ B. Iacobus ex ſuggeſtu declarauit ſe nequaquam docuiſſe ſententiam falſam, erroneam, aut hæreticam, ſed clariſſimorum Theologorum receptam doctrinam nempe Franciſci Mayronis, Richardi de Media Villa, & B. Bonauenturæ Cardinalis, quam ex ipſorum libris in pulpito legit. His peractis eadem die eum citauit Inquiſitor de fide reſponſurum, cuius citatoriæ formam lectori hîc inſero.

Citatio B. Iacobi à Marchia. *Nos Fr. Iacobus de Brixia ſacræ paginæ profeſſor Ordin. Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquiſitor in Lombardia, & Riperia Ianuenſi à ſancta Sede Apoſtolicâ conſtitutus fratri Iacobo de Marchia Ordinis Minorum prudentiam ſectari: quia nobis relatu fide dignorum innotuit quod poſt monitionem, quã tibi inſinuauimus cum omni reuerentia minus catholicè dictum diuinitatem a ſanguine Chriſti in Cruce pendentis fuſo fuiſſe ſeparatam, hodiè verò proteruius id in populum ſpargere voluiſti, id etiam quod per Eccleſiam determinatum eſt contradictione dicis tui hæreticum appellans. Ideo tenore præſentium te requirimus, & monemus primo, ſecundo, tertio, & peremptorio. Nihilominus tibi in virtute obedientiæ, & ſub excommunicationis pœnâ mandamus, quatenus aut dictam ſententiam reuoces, vt erroneam, & hæreticam, antequam de hac ciuitate recedas, aut coram nobis de fide reſponſurus compareas cras in mane ante horam tertiarũ*

in

in Conuentu S. Dominici de Brixia reſidentiæ noſtræ aſſignantes tibi dictum terminum pro primo, 2. 3. & peremptorio termino, ac canonicâ monitione aſſignamus: alioquin ſi hæc mandata noſtra, quod non credimus, contempſeris, ex nunc prout ex tunc prædictâ trinâ canonicâ monitione præmiſſâ in & contra te prædictam excommunicationis ſententiam authoritate Apoſtolicâ, quâ fungimur, ferimus in his ſcriptis, & etiam promulgamus. In quorum fidem præſentes fieri iuſſimus, & regiſtrari, noſtrique ſigilli impreſſione muniri, de quarum præſentatione relationi cuiuſlibet Nuncij cum iuramento dabimus fidem. Datum Brixiæ die 20. Aprilis 1462.

Stephanus de Lorinis Notarius mandato Inquiſitoris ſcripſit.

Hactenus citatoriæ, in qua illa clauſula (*ſed etiam quod per Eccleſiam determinatum eſt, contradictione dicti tui hæreticum appellans* &c.) per calumniam ad fucum, & colorem irrepſit, ſolum enim defendit Beatus iniuſtè ſibi hæreſim imponi, vel talis damnari tot doctorum opinionem, vt infrà conſtabit. nec hæc ſola dicti Inquiſitoris fuit inuentio, ne dicam impoſtura.

Hæc ad ſtrepitum relata, indignationem, & tumultum populi excitarunt. Quamobrem Dominus Bartholomeus Maupetri Epiſcopus Brixienſ. vtriſque ad ſe vocatis, adſtante magnâ Doctorum, & nobilium coronâ, controuerſiæ ſeriem examinauit, & auditis hinc inde rationibus mandauit vtramque ſententiam prædicari immunem ab errore donec ſedes Apoſtolica deciſionem ſuam interponeret. Nam Inquiſitor nullum tranſumptum prætenſæ extrauagantis Clementinæ, nec originale exhibere potuit, nec alius, qui ab eo ſtetit. Hæc ex authenticis ſuper hac re factis inſtrumentis narraui, quas etiam in gratiam veritatis ſubiungo, ne quis fictioni locus ſit, aut ſuſpicio quenquam ſubuertat.

In Chriſti nomine &c. *Anno à Natiuitate euiſdem* 1462. *Indict.* 10. *die* 21. *menſis Aprilis in Ciuitate Brixiæ in epiſcopali Palatio Brixienſi præſentibus venerabili, & ſapienti Decretorum Doctore Domino Beneuenuto de Vaneio de Padua Canonico Brixienſi Generali Vicario infra nominati Reuerend. Domini D. Epiſcopi Brixienſis, & egregio, & ſapiente Iureperito Domino Laurentio de Patuſiis cauſidico Brixienſi teſtibus rogatis, & notis, venerabilis & religioſus vir dictus Fr. Iacobus de Brixia ſacræ Theologiæ profeſſor Ord. Prædicatorum hæreticæ prauitatis Inquiſitor,* &c. *in præſentia, & ad inſtantiam, & requiſitionem Reuerend. in Chriſto Patris & Domini D. Bartholomei Maupetri, Dei, & Apoſtolicæ ſedis gratiâ Epiſcopi Brixienſi,* &c. *dixit & ſponte confeſſus fuit, quod heſterna die ipſe dictus Inquiſitor reuocauit, & annullauit præceptum emanatum ex parte ipſius Domini Inquiſitoris Reuerend. P. D. Fr. Iacobo de Marchia ipſum præceptum fregit,* &c. *per quod quidem præceptum idem Dominus Inquiſitor mandabat Domino fratri Iacobo, quod reuocare deberet id quod dixerat Diuinitatem à ſanguine Chriſti in Cruce pendentis fuſo ſeparatam fuiſſe, aut quod cōparere*

deberet coram ipſo Domino Inquiſitore reſponſurus de fide, &c. vt latiùs in ipſo præcepto continetur, de quibus mandauit idem Dominus Epiſcopus per me Notarium publicum fieri inſtrumentum.

Ego Sthephanus filius Fauſtini de Lorinis de Claris Ciuis Brixien. publica Imperiali authoritate Not. & Epiſcopalis Curiæ Brixien. ſcriba præmiſſis affui mandatóque prælibati Domini Epiſcopi atque rogatus hoc inſtrumentum ſcripſi.

Aliud ex mandato Vicarij factum.

Vniuerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus, ad quos præſentes peruenerint, Benenenutus de Vaneio de Padua decretorum Doctor Canonicus Brixienſ. Reuerēd. in Chriſto Patris & Domini D. Bartholomæi Maupetri Dei & Apoſtolicæ ſedis gratiâ Epiſcopi Brixienſ. Ducis, Marchionis, & Comitis ad præſens in remotis agentis, Vicarius Generalis ſalutem. Rationi & honeſtati conſentaneum videtur ac ſæpenumerò expedit veritati teſtimonium perhibere, vt omnis tollatur falſa ſubmurmuratio, quæ fortè pias aures tum perturbauit. Hinc quod cùm Venerabilis Pr. Fr. Iacobus de Marchia Ord. Minorum de Obſeruantia verbi Dei clariſſimus, & Catholicus Prædicator, ac hæreticæ prauitatis à Sanctâ ſede Apoſtolicâ vniuerſalis Inquiſitor deputatus, qui hac quadrageſima decurſu maximo cum deuotionis feruore, & fructu non modico verbum dominicum in hunc populum Brixienſ. ſeminauit, in reſurrectionis Dominicæ ſolemnitate ſacratiſſima accommodatè populo prædicaſſet, quod à ſanguine Chriſti effuſo in paſſione diuinitas ſeparata fuiſſet ſecundùm ſacrorum Theologorum ſententias Dominorum Bonauenturæ, Richardi de Media Villa, & Franciſci de Mayrone omnium Ord. Minorum, cuius contrarium cùm prædicaſſet vir religioſus Ord. Fratrum Prædicatorum, dictus Frater Baptiſta eadem die, vel ſequenti poſt Nonas, idque intelligens venerabilis vir dictus Fr. Iacobus dicti Ordinis Prædicatorum hæreticæ prauitatis Inquiſitor in Lombardia, literas familiares ad ipſum venerabilem Patrem dictum Fratrem Iacobum tranſmiſiſſet, quibus monebat eum vt quod prædicauerat retractare deberet, tanquam erroneum, & damnatum per fel. rec. Dominum Clementem VI. ſummum Pontificem, & poſterâ die idem Dominus Inquiſitor in Lombardia literas citatorias ipſi Domino Fratri Iacobo de Marchia miſiſſet, quibus præcipiebat eidē ſub pœnis, & cenſuris Eccleſiaſticis vt dictam eius ſententiam tanquam erroneam, & hæreticam reuocare deberet, antequam de hac ciuitate recederet, aut quod coram ipſo Domino Inquiſitore compareret de fide reſponſurus, vt latiùs in ipſis literis continetur datis Brixiæ die 20. Aprilis proximè præteriti. Et cùm in populo ob eam rem murmur inualeſceret, ante dictus Ricardus Dominus Epiſcopus ad ſe vocatis Dominis Prædicatoribus, & Inquiſitore prædictis aſtante magnâ Eccleſiaſticorum doctorum, & nobilium concione, & intellectâ rei ſerie & veritate, auditiſque rationibus, & authoritatibus ipſorum Dominorum Fratrum Iacobi & Baptiſtæ, quia neque copia, ſumptum, aut originale ipſius extrauagantis Domini

mini Clementis antedicti apparebat: De conſenſu, & voluntate præfati Domini Inquiſitoris reuocantis dictas citatorias literas eaſdem lacerauit. Mandauitque idem Dominus Epiſcopus pro pace, & concordia hominum, & vt omne murmur, qui iam in populo pullulauerat, euaneſceret, quod in futurum proximâ prædicatione quilibet ipſorum Dominorum Prædicatorum Fratris Iacobi, & Baptiſtæ publicè ad populum prædicarent neutram prædictarum opinionum hæreticalem eſſe, ſed quod quilibet, quam opinionem vellet, ſectaretur, ſtantibus variis opinionibus ſacrorum Theologorum; donec & vſque quo per ſanctiſſimum Dominum noſtrum Papam eiuſque ſanctam ſedem Apoſtolicam, ad quam huiuſmodi dubietates dirimere ac decidere ſpectat aliud mandaretur, & ſtatueretur, ſicque cum pace & laude Dei actum eſt ſummo cum applauſu omnium. In cuius rei fidem & teſtimonium requiſitus has meas literas patentes ſigillo meo ſolito ſigillatas fieri mandaui. Datum in Epiſcopali palatio Brixienſi die vndecimâ menſis Maij 1462. 10. *Indictione.*

Stephanus de Lorinis Epiſcopalis Cur. Brixien. Not. & ſcriba mandato præfati Domini Vicarij ſcripſit.

Hucuſque initium controuerſiæ, deinceps progreſſum ſequamur, id tamen interrogare lubet, ſi Inquiſitori particulari contra Generalem (qualis noſter Iacobus ex plurium Pontificum conceſſione fuerit) procedere licuit? ſi denique ſine vllâ certitudine ſiue per originale, ſiue tranſumptum, ſiue per acceptationem, Pontificiæ conſtitutionis, quæ prætendebatur, licuit damnare opinionem ſolemnium authorum, & virum ſanctum, qui quadraginta ſeptem annos miraculis, vitâ & doctrinâ celebris prædicauit per vniuerſam Italiam, Dalmatiam, Boſnam, Hungariam & Alemaniam, quemque in maximis Eccleſiæ neceſſitatibus diuerſi Pontifices, ſiue prædicandæ contra infideles Crucis, ſiue in fidei negotiis expediendis, ſiue Principum Chriſtianorum paci inter primos deſignarunt, & à cæteris religionis ſuæ functionibus, & curis in hoc vnum liberum & abſtractum eſſe mandarunt? ſed quid tum accidit, audiamus ex ipſo ſancto, cui etſi in cauſa propria loquatur ea eſt ſanctitatis, & virtutis ſynceritas, ea prærogatiua, vt mendacio locum, aut ſiniſtræ opinionis fucum non admittat, nec ſibi ipſi etiam contra veritatem fauere, aut quod rectum comprehendit, proprij nominis lucro deſerere nouit. ita ergo in quodam ſuo opuſculo huc ſpectante ſcripſit ſanctus: *Prædictus Inquiſitor moleſtauit me in curiâ Romana volens me eſſe hæreticum, & ego nolebam, & Papa commiſit cauſam Domino Cardinali Auinionenſi Protectori Ord. Sancti Dominici, & Domino Niceno Cardinali Protectori Ordinis Minorum: auditis hinc inde oppoſitis, & reſponſis iterum fuit conuictus Inquiſitor pro calumniatore, & factâ ſibi aſpera correptione a Protectore ipſorum coram Richardo Magiſtro de Sauona tunc Miniſtro Ord. Minorum, nunc Cardinali & Fratre Ludouico de Vincentia Vicario Generali Fratrum pauperum S. Franciſci Ciſmontano & Fratre Iacobo de Aſculo Ordinis Minorum, & Magiſtro Gabriele Ord. Prædicat. præcepit ſibi, vt diceret ſuam culpam ante me, & ſic fecit.* Beatus Iacobus.

Ego

Ego elenaui illum genuflexum dicens : ſurge volo te in venerabilem patrem nieum, & poſt hæc miſit Barchinonem pro proceſſu falſo, & ſubreptitio, & fecit ipſum regiſtrari ſecretè in regiſtro Rom. Cur. & poſteà mortuus eſt in iſta opinione, cui Deus parcat, & manifeſtatâ malitiâ. Papa fecit bullam & breue, &c. alio autem in loco ita habet.

Cùm autem à 113. annis quidam frater Franciſcus Conuentus Barchinonenſis Ordinis Minorum publicè prædicaſſet ibidem ſanguinem pretioſum Chriſti in triduo paſſionis ſeparatum fuiſſe à verbo diuino, & ex hoc condemnatus fuit pro hæretico à quodam Inquiſitore, cum litteris cuiuſdam Cardinalis in quibus aſſerebat oraculo viuæ vocis, ſe habuiſſe à Papa Clemente VI. in Auinione exiſtente, vt procederet contra præfatum fratrem Franciſcum, tanquam de hæreſi, & proceſſus contra prædictum fratrem confectus ſecretè ſub ſilentio tectus eſt, vſque in hodiernum diem, vbi non erat ſubſcriptio manus Notarij aſſerens Domino noſtro propter longitudinem dierum ſubſcriptionem manus Notarij deletam eſſe. Et mirum eſt quod nec vna littera prædicti proceſſus decem, & octo foliorum deleta erat : ſed ſola ſubſcriptio Notarij : Sed cauſa fuit, quòd fratres Minores ſe oppoſuerunt contra prædictum proceſſum. Hinc eſt quòd Notarius noluit ſe ſubſcribere, & ſic noluerunt tunc Curiæ Romanæ prædictum proceſſum præſentare, qui proceſſus ſecretè & falsè regiſtratus eſt in regiſtro Curiæ Romanæ, & inuentâ malitiâ, ac denudatâ prædictus Papa Pius ſcripſit mihi fratri Iacobo de Marchia Ordinis Minorum ſolemne breue, cuius tenor eſt talis, &c.

Vitium proceſſus.

PIVS EPISCOPVS, &c.

Dilecte fili. Salutem, & Apoſtolicam benedictionem, &c.

SCripſiſti te valde anxiari propter materiam illam ſanguinis effuſi Domini, & Saluatoris noſtri, quæ in nonnullis locis vulgari dicitur, tanquam deciſa, & determinata à nobis contra tuam ſententiam, & prædicationes. Miramur de hoc, nec ſcimus, vnde talis fama ſurrexerit. Nos enim materiam ipſam hucuſque non determinauimus, nec propter varias occupationes determinare potuimus, ſed Deo dante id facere intendimus, cùm primò opportunior aderit occaſio, nec tot occupationibus erimus diſtenti. Ne autem exiſtimes nos honorem tuum, & famam negligere, quandoquidem ſcribis à Mediolano vſque Veronam publicè prædicatum te eſſe hæreticum: Volumus vt venerabili fratri noſtro Epiſcopo Veronenſi ſcribas, cui nos etiam præſentes mandamus, vt quæ in hac materià prædicata ſunt in ſcriptis redigat, ac in formâ authenticâ ad nos tranſmittat : nam ſi Prædicatores minus honeſtè in prædicatione ſe habuerint, & aliquid de te dixerint, quod dicendum non eſſet; oſtendemus eis id nobis diſplicuiſſe, nec eorum tranſgreſſio erit impunita. Quod autem attinet ad authenticationem illius ſententiæ ſeu proceſſus Barchinone celebrati factam per Prælatum illum cui

ea res

ea res à nobis commiſſa fuit, ſcias eam non ideo factam vt per ipſam fides aut authoritas adijceretur eiuſmodi ſententiæ ſeu proceſſui: ſed vt teſtimonium quoddam eſſet rei geſtæ, hoc eſt, vt non deperiret eius facti qualecumque eſſet notitia: nec enim fuit intentionis noſtræ propter commiſſionem confirmare, aut approbare ſententiam aut proceſſum. Cùm enim pro parte fratrum Prædicatorum nobis ſupplicatum fuiſſet, vt eos authenticari facere vellemus, negare non potuimus, quin cauſam committeremus. Commiſſarius verò indicauit quemadmodum iam vidiſti. Proinde non turbetur cor tuum, neque formidet, ſis animo quieto, nec ſcandalizetur ex hoc mens tua: nam ſynceram charitatem tuam nouimus, nec ignotus eſt nobis zelus tuus. Perſeuera in fide optimâ quam Deus ſcrutator cordium benè nouit: nec te moueant vulgi rumores, aut voces calumniantium. Satis eſt Deo conſcientia tua: poteſtque contentari quod nos paternam de te opinionem concepimus, & conceptam retinemus. Ad Capitulum tui Ordinis proximè celebrandum contenti ſumus vt accedas, & ea agas, quæ Deo placita ſunt, & honori Ordinis ac ſaluti animæ tuæ conducant. De acceſſu autem ad Ducem Venetiarum contentamus, & hortamur, vt accedas. Scimus enim eſſe principem bonum & Dei timoratum. Putamus non niſi ex bona, & honeſta cauſa te alloqui, & videre velle, tuúmque ad illum acceſſum vtilem fore exiſtimamus. Datum Macerati Senenſ. diœceſ. ſub annulo Piſcatoris die 28. Aprilis 1464. Pontificatus noſtri anno 6.

De hoc breui agit etiam Sixtus IV. in tractatu de ſanguine Chriſti; Lib. 5. cap. 34. inſertum habet Marianus de verbo ad verbum, regiſtratum eſt in proceſſu canonizationis ipſius Sancti inter alia Apoſtolica ſcripta, quæ ad eundem directa ſunt, illud exſcripſi ex tranſumpto authentico facto per Baptiſtam Notarium Imperialem, & iudicem ordinarium Fulginij coram Epiſcopo Gaietano eiuſdem Ciuitatis gubernatore, & ex eiuſdem mandato præſentibus aliis duobus Notariis publicis Franciſco Ioannis Germani, & Andrea Feliciani ſimul conferentibus tranſumptum cum ſuo originali, quibus acceſſit in eodem tranſumpto teſtimonium Priorum, & populi Fulginatis ſuper authoritate dictorum Notariorum Franciſci, & Andreæ die 27. Maij 1464.

Ex his ergò conſtat nec fidem, nec authoritatem huic proceſſui datam eſſe, nec vllam à Pio approbationem, aut confirmationem ei acceſſiſſe, nihil etiam in ipſa quæſtione pro tunc definitum. Inter alia dicti proceſſus vitia, non fuit manu Notarij ſubſcriptus. Deinde nullas continet litteras Apoſtolicas, aut tranſumptum aliquod cuiuſpiam Apoſtolicæ conſtitutionis à Clemente, aut alio quopiam factæ, & nunquam in hac cauſa fuit talis oſtenſa aut viſa. Excipit tertiò Franciſcus Cardinalis de Sauona dictus, poſtea Sixtus IV. quòd Cardinalis, qui dicitur oraculum Pontificis excepiſſe, fuerit inſtituti Dominicani, cui in hoc Minores credere non tenebantur; fuit nempe (vt in copia tranſumpti dicti proceſſus Tyburę facti lego) Ioannes tituli Sanctæ Sabinæ Preſbyter Cardinalis, qui apud Ciaconium dictus eſt Ioannes Metlandinus Lemouicenſis Vaſco, ſacri Palatij lector, Inquiſitor Toloſanus, & mox ex Generali Barchinone electo 1349. aſſumptus ad Cardinalatum.

Accedit quartò, quod præter ſtylum, & conſuetudinem ſit contra ſententiam plurium Doctorum authoritate probatam, quæ nec ſcripturæ, nec vlli Eccleſiæ determinationi aliàs factæ opponitur, ſolo viuæ vocis oraculo priuatim edito, definire, vel certè aſſertores eius hæreſis nullâ præmiſsâ definitione condemnare, quod iniquum, & iniuſtum eſſet. Quis neſcit Pontificem aliquando, vt priuatum propoſitæ quæſtioni poſſe reſpondere, aliquando ex cathedra vt doctorem fidei? quis inter priuatum hoc, & publicum arbitrium iudex diſcernet, niſi viſâ aliquâ conſtitutione, quæ omnes vniuerſim obligat, quam per priuata oracula proponi nec iuſtum eſt, nec expedit, nec conſueuit, nec neceſſaria inueſtigatio, & inquiſitio, quæ deciſioni fidei præmittitur, hoc permittit. Id ego conceſſerim in re pridem iudicatâ promulgatæ iam ſententiæ ſtandum, & ſine vlteriori ſtrepitu ad punitionem manifeſtæ tranſgreſſionis procedi poſſe, non ad examen deciſæ veritatis. Sed oſtendatur obſecro, quod Concilium, quis Pontifex definiuit ante Clementem, ſanguinem effuſum vnitum manſiſſe diuinitati, ex quorum decreto procedi coactiuè mandare potuit Clemens, nihil amplius circa ipſius quæſtionis veritatem decernendo? nihil tale ipſi aduerſarij proferunt, nec in tranſumpto dicti proceſſus, quod ad rei geſtæ memoriam factum eſt (Tibure ſub Pio II. 1363. Indict. 11.20. Auguſti, Pontificatus ann.5.) alia habetur Clementis conſtitutio præter litteras dicti Cardinalis, aut alia de ea mentio, ex quibus litteris Inquiſitor Barchinone tanquam ex conſtitutione Apoſtolicâ proceſſit, ipſæ verò litteræ ſolum mandatum ſpeciale Pontificis in hoc Cardinali factum exprimebant, non conſtitutionem, aut definitionem, vt ex ſupplicatione fratris Iacobi à Brixia tranſumpto præfixa conſtat, quâ authenticationem tam dictæ epiſtolæ quàm proceſſus expoſcebat: cuius verba ita comprehendit iudex: *Quandam litteram patentem commiſſionis per bonæ memoriæ Ioannem miſeratione diuinâ tit. S. Sabinæ S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, quam religioſo viro fratri Nicolao Roſelli Ordin. Prædicatorum ſacræ paginæ profeſſori in Prouincia Arragoniæ tunc hæreticæ prauitatis Inquiſitori contra prædicantes ſanguinem Chriſti in paſſione effuſum à deitate fuiſſe ſeparatum, & de expreſſo mandato fel. rec. Clementis Papæ V. facta*, &c. *examinari, videri, auſcultari, & collationari*, &c. *poſtulauit*, &c. ſupple, Iacobus præfatus.

Abſurditas prætenſi proceſſus.

Ex dictis apparet error Eymerici authoris Directorij aſſerentis Clementem ſuis patentibus litteris mandatum Inquiſitori tranſmiſiſſe. Minus ergo inconueniens iudicarem litteras haſce in dubium vocare, quam Clementem in quæſtionis non damnatæ, & probabilis adſertores hæreſis ſententiam pronunciaſſe, & præcepiſſe palinodiam, nondum iudicatâ causâ. Quamquam, & id ſciam Pontifices ex priuatâ opinione interrogatos nonnunquam reſpondere ad priuatas quæſtiones.

Error Eymerici.

Quintò tandem infirmat quæcumque acta ſunt Barchinone ſub Clemente, quod ſub Pio II. motâ demum quæſtione nullius fidei, roboris, aut authoritatis ſunt habita, nec ex eorum authoritate quidpiam in hac quæſtione eſt definitum id præmiſſum Pontificis breue, id alia, quæ ſequuntur,

ſequuntur, monſtrant. Prolata ſunt in diſputatione coram Pio ſuper controuerſia in feſtis natalibus habita, anno ſuperiore 1463. vt teſtis eſt Gobellinus, ſed quem ſortita effectum, aut fidem, facile ex Pontificis breui apparet, quod ſequentis anni menſe Aprili emanauit. Id tamen certum ex ea authenticatione, quæ Tybure pro rei geſtæ teſtimonio aliquo, quale quale fuit, emanauit, ſuæ gloriæ aduerſarios nonnihil ſtuduiſſe, nec defuiſſe, qui palmam ante victoriam vulgò decantarent; ad improperium Beati viri quod iam antea etiam factitaſſe Cremæ ſequentes litteræ declarabunt quas tranſcribere lubet ad confirmationem eius, quod Pius ex querela Beati Iacobi narrat, in præmiſſo breui.

LITTERÆ CIVITATIS BRIXIÆ ad officiales Ciuitatis Cremæ.

Mag^co^ & Generoſo Domino Poteſta & Cap^neo^ ac Spectabilibus præſidentibus magnificæ Ciuitatis Cremæ.

Magnifice & Generoſe Domine & Sp. fratres chariſſimi. His ſuperioribus diebus, & annis, multa intelligentes de ſingulari doctrinâ, & vita ſanctimoniâ clariſſimi Prædicatoris fratris Iacobi de Marchia, & litteris, & plurimis nunciis noſtris ſummo ſtudio, & diligentiâ inſtitimus vt Reuerendam paternitatem ſuam in Ciuitate noſtrâ haberemus, & tandem diuino numine, & eius clementiâ voti noſtri compotes effecti ſumus. Nam & nos viſere in Ciuitate noſtrâ in Quadrageſima prope decurſa ſanctè & catholicè prædicare dignatus eſt cum ſummâ laude, ac Omnipotentis Dei & huius populi noſtri conſolatione fructu vberrimo, & animarum noſtrarum ſalute. Intelligentes itaque cum diſplicentia quod in illo veſtro loco Cremâ publicatum fuerit, Reuerentiam ſuam hæreticam opinionem prædicaſſe, & tanquam confuſum à nobis diſceſſiſſe: Dignum nobis putauimus pro ſummâ noſtrâ & incredibili in eum obligatione, & reuerentiâ, Magnificentiæ & Sp. veſtris in teſtimonium veritatis rem ipſam paucis enarrare, vt ſi quid de eo nequiter dictum fuerit, veritas habeatur, & lingua maledicens ſupprimatur. In die Reſurrectionis Dominicæ cùm idem Reuerendus Pr. populo accommodatè in mane prædicaſſet in morte Domini noſtri Ieſu Chriſti quatuor factas fuiſſe ſeparationes, ſcilicet animæ à corpore, ſanguinis à corpore, diuinitatis ab humanitate, & diuinitatis à ſanguine effuſo, ſecundùm ſacrorum Theologorum ſententiam videlicet Dominorum Bonauenturæ, Richardi de Media Villa, & Franciſci de Mayrone & aliorum plurimorum: & Vener. Religioſus Fr. Baptiſta Ord. Prædicatorum in die illa poſt prandium contrarium prædicaſſet videlicet diuinitatem nunquam ſeparatam fuiſſe à ſanguine effuſo; Venerabilis Dominus Fr. Iacobus dicti Ordin. Prædicatorum hæreticæ prauitatis Inquiſitor in

Lombardiæ hoc ſentiens, eadem die per litteras familiares ipſum Reuerend. patrem monuit, vt dictam eius ſententiam tanquam erroneam reuocaret, & cùm pater ipſe, inhærens authoritatibus ſacrorum Theologorum, in opinione perſeueraret, idem Dominus Inquiſitor poſtridie litteras citatorias ipſi Reuerend. patri tranſmiſit, quibus eidem præcepit ſub pœnis, & cenſuris Eccleſiaſticis, vt dictam eius ſententiam tanquam erroneam, & hereticam reuocaret, antequam de ciuitate noſtra decederet, aut quod coram ipſo Inquiſitore reſponſurus de fide compareret, ex quo cùm maximum murmur in populo inualeſceret, Reuerendiſſimus Dominus Epiſcopus noſter ipſum R. P. & Vener. Inquiſitorem, & fratrem Baptiſtam prædictos, ad ſe aduocauit, & aſtante magnâ clariſſimorum virorum doctorum, & nobilium ciuium multitudine, intellectâ rei ſerie & veritate, & auditis rationibus & authoritatibus vtriuſque partis deductis, mandauit vtriſque pro pace, & quiete, & vt populi murmur ſubleuaretur, quod in die Sancti Georgij prædicarent, & prædicare deberent, vtramque opinionem teneri poſſe, donec, & vſquequo per Sanctiſſimum Dominum noſtrum quem in hac re conſulere decreuerat, & ad quem tales dubietates decidere ſpectat, aliud mandaretur, & ſtatueretur: ſicque cum laude Dei, & pace actum eſt, & de conſenſu ipſius Inquiſitoris littera illa citatoria, tanquam non rectè emanata, fracta, & reuocata fuerunt, & demum cum tantâ acceptatione, gratiâ, & beneuolentiâ, & reuerentiâ à nobis receſſit, vt hæc ciuitas noſtra dum erit nunquam eius reuerendæ paternitatis immemor eſſe poſſit. Brixiæ die 17. *Maij* 1462.

Communitas & Conſiliarij Brixiæ.

Hoc Brixienſes veritati, & grati animi teſtimonio ſcripſerunt contra eos qui maculam pij patris nomini inferre ſtudebant, cuius doctrina inter eos non proficua modò, ſed virtutibus & miraculis celebris euaſit. Vnum hîc ſubiiciam plurium authorum teſtimonio diuulgatum quod ex Thoma Boſio referre lubet de ſig. Eccleſ. lib. 7. ſig. 25. cap. 1. *Anno*, inquit, 1476. *defunctus Iacobus Picenus, cuius corpus Neapoli eſt ſepultum, laudéſque ipſius elegantiſſimis verſibus proſecutus eſt Iacobus Sanazarius; celeberrimâ famâ fuit in Italia, Germania, Boſna, Bohemia, Vngaria, Polonia, Dalmatia, propter admirabiles rerum ſacrarum conciones, ſanctitatémque diuinis operibus conteſtatam: obiit virgo, ac inter alia, quæ mirabiliter egit eſt illud Brixiæ. Iudæus puerum Chriſtianum ſtrangulauit, mortuúmque parieti incluſit; parentes eum quatuor dies quæſierunt, ſanctus, vbi eſſet, diuulgauit, deiecto pariete eduxit, viuúmque patri reſtituit. Brandeburgi cæco lumen, muto loquelam reddidit. In Bohemia multi hæretici petierunt ab eo, vt poculum veneno plenum, quod ipſi miſcuerant, biberet; ſic enim, dixerunt, credemus; bibit ille intrepidus maximâ multitudine ſpectante, nihilque eſt læſus. Neapoli defunctus, puellæ cœcæ lumen, mutæque vſum linguæ reddidit. In ea vrbe innumera viſuntur miracula in tabellis ad eius ſepulchrum depicta.*

Sed & hæc pauciora ſunt, nam & triginta trium mortuorum reſuſcitator, & vndecim millium miraculorũ exaudiente Domino patrator extitit,

extitit, vt meritò Iodocus Coccius in Theſauro tom. 1. lib. 8. art. 11. ait, *propter rerum ſacrarum conciones, ſanctitatémque diuinis operibus comprobatam in omni fere Europa fuiſſe celeberrimæ famæ.* Ei ſanè illius ætatis ſcriptores teſtimonium perhibent non obſcurum. Quibus tranſcribendis nec hoc argumentum inſiſtit, nec ſuadet otium. Hæc tantum commemorare licuit, vt dignoſcat lector Ioannem quendam Gobellinum authorem Commentariorum, qui ſub Pij II. nomine circumferuntur, non ſobriè, nec æquis oculis ſanctum virum reſpexiſſe aut hanc controuerſiam; quinimò eò intemperantiæ proceſſit, vt in Beatum virum palam iniurius ſit; dum acta prætereà diſputationis coram Pontifice ſuper hac materiâ ſanguinis inter noſtros, & aduerſæ ſententiæ defenſores, ſeriò promittat, in alteram partem lectorem fallens, abiuit, vt luce clarius liqueat vel librum vel authorem corruptum eſſe, qui tractatum leget Franciſci Ruer Cardinalis de ſanguine Chriſti, id facilè confirmabit, nihil à Gobellino pro hiſtorici actum ſinceritate & veritate: aliter enim is in præfato tractatu, aliter apud Gobellinum differit, vt alius non idem ſit; ſed infectam radicem quis facilè nudabit, modò aliqua in medium afferamus ſubuerſi animi intemperantiam & tumorem procul oſtentantia, quæ ex dictis falſa cognoſcuntur. Gobellinus in ſanctum iniquus.

Aſſerit in primis ætate iam decrepitâ Iacobum Marchianum pro concione ad oſtentationem doctrinæ pleraque dixiſſe, quæ fuerat vtilius intacta dimiſiſſe. Inter cætera pretioſum Chriſti ſanguinem in triduo paſſionis, dum iacuit in terra ſparſus, indignum fuiſſe latriæ cultu aſſeuerauit, quoniam fuſus, & à corpore ſeparatus hypoſtaticam Verbi vnionem protinus amiſiſſet.

Ecce vt vanitatem primùm obiicit, deinde imprudentiam, quâ plura præter articulum, de quo fuit controuerſia, expreſſit, quæ vtilius intacta dimiſiſſet. Hoc ne ipſi quidem aduerſarij carpere potuerunt. Mox Inquiſitorem zelo fidei tactum ſubinfert, qui diem de fide dixit, Iacobum verò impatientiſſimum, montem fumigantem, nominis cupidum, in ambone multa de ſeipſo ſine modeſtiâ locutum. Sed quid precor locutus? *Quod omnem*, inquit, *ætatem ſuam docendo populos & in Italia, & Hungaria* (adiecit Alemaniam, Boſnam, Dalmatiam) peregerit, *nec vnquam fuiſſet inuentus error in ore ſuo: vehementer ſe dolere ait quod iam in extremo ſenio tanquam hæreticus accuſaretur, ex eo quod ſanguinem Chriſti in paſſione fuſum diuinis honoribus aſſeruiſſet indignum* (hoc conſequens tantum fuit ad articulum principalem, quem aſſeruit, & quia auribus vulgi peius ſonat ſubſtituitur, ea dicendi formula, quæ licet Grammatico non ingrata, pietati tamen non cultum ſed contemptum præ ſe fert vt cui in diuinis rebus caſtè loqui magis placet, quàm ornatè) *non ſuum id eſſe inuentum, doctores magni nominis ita in ſcriptis reliquiſſe: produxítque libros Franciſci Maronei, ac Richardi, & aliorum, qui de ſanguine ea continebant, quæ à ſe fuerunt prædicata.* Eſtne hoc ſine modeſtiâ loqui præteritos labores, acceptationem, & iudicium commune tot populorum, Doctorum, Prælatorum, & Vniuerſitatum, in quibus eandem ſententiam ſine cuiuſquam offenſione docuit, allegare magis in

præſidium innocentiæ, quàm nominis commendationem. Fortè mi-
2. Cor. 11. nùs modeſtè contra detractores hæc Paulus: *Exiſtimo enim nihil minus me feciſſe à magnis Apoſtolis: nam etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientiâ: in omnibus autem manifeſtati ſumus vobis?* &c. *Iterum dico (ne quis me putet inſipientem eſſe, alioquin velut inſipientem accipite, vt & ego modicum quid glorior) quod loquor, non loquor ſecundùm Deum, ſed quaſi in inſipientiâ in hac ſubſtantiâ gloriæ*, &c. *Hebræi ſunt, & ego; Iſraëlitæ ſunt, & ego; ſemen Abrahæ ſunt, & ego. Miniſtri Chriſti ſunt (vt minus ſapiens dico) plus ego, in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum*, &c. non licuit ergo noſtro Iacobo præeuntem Paulum ſequi ſine modeſtiæ damno aut iactantiæ nota?

Vir verè bonus, inquit, *etiam famam, vbi opus eſt, contemnere nouit.* Id ſupererogationis eſt, non debiti, vir tamen verè bonus non eſt, qui famam contemnit cum proximorum ſcandalo, & damno: ideo Auguſtinus nobis ait conſcientiam, aliis famam noſtram neceſſariam. Quanto autem aliorum nocumento proclamatur hæreticus Inquiſitor Generalis contra hæreticos inſtitutus, deſtinatus ad multas partes plurium Pontificum legatus, quadraginta ſeptem annorum prædicator Apoſtolicus, non doctrinâ modò, ſed miraculis celebris, atque etiam tum Cruci prædicandæ contra Turcas præpoſitus! is fuit Iacobus, vt certis diplomatis, & inſtrumentis, quæ vidimus, probare, ſi per breuitatem liceret, poſſemus. Vnum tantum quod inter reliqua compendioſus reperi fidei in aliquo liberandæ, cum venia lectoris ſubiungo, ne liberiùs hoc dicere, quàm fundare appaream.

CALIXTVS PP. III.

Dilecto filio Iacobo de Marchia Ord. Minorum profeſſori.

Dilecte fili ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm pro nonnullis noſtris, & religionis Chriſtianæ arduis negotiis, & præſertim ſanctæ Cruciatæ ad partes Hungariæ & Bohemiæ, & alias in præſentiarum mandato noſtro te conferas, vt ea quæ ad honorem & exaltationem ipſius religionis eò efficacius facere & exequi poſſis quò ampliori à nobis & Sede Apoſtolicâ fueris facultate ſuffultus, tenore præſentium concedimus tibi facultatem & poteſtatem tam in dictis regnis, quàm alibi, vbi tibi neceſſarium eſſe videbitur, in quoſcumque hæreticos inquirendi, & contra eos procedendi, incarcerandi, ac pœnis & ſententiis condignis afficiendi, eóſque, ſi ad cor redire voluerint, & ad veram cognitionem fidei conuerti abiuratâ hæreſi, abſoluendi, & etiam cum eis ſuper irregularitatibus inde contractis diſpenſand authoritate Apoſtolicâ concedimus per præſentes. Et quia propter huiuſmodi commiſſiones noſtras varios oportebit ſubire labores ad eos leuandum, concedimus tibi, vt de ordine tuo eligere poſſis eum numerum fratrum, qui tibi neceſſarij fore videbuntur, te ad partes, ad quas proficiſceris, ſequantur,

qui

qui mandatis tuis in omnibus pareant, & obtemperent. Mandantes harum eis ſerie, & eorum cuilibet, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœnâ, vt, cùm primùm à te fuerint requiſiti, ſine dilatione ſe ad iter tecum accingant, & tuas ordinationes & mandata obedienter in cunctis exequantur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 17. Maij 1457. Pontificatus anno 3.

Multæ ſunt aliæ conceſſiones: nam & Martinus V. anno 1415. inſtituit eum Prædicatorem Apoſtolicum, & Inquiſitorem per vniuerſam Italiam contra Fratricellos, alióſque hæreticos literis apud ſanctos Apoſtolos datis Romæ quinto Idus Octobris. Item in regni Hungariæ, & Auſtriæ partibus Inquiſitorem deſtinauit Eugenius IV. anno 1436. aliis Bononiæ 7. Kalend. Septembris ſcriptis: alia huius argumenti in medium liceret adferre Pontificum diplomata, ſed hæc dixiſſe ſufficit, vt ſciatur non ſine cauſa Beatum virum non modò pro ante actæ vitæ innocentiâ, ſed pro dignitate etiam Pontificum ſteriſſe, ne vel præteriti laboris fructus in fidelibus deſtrueretur, vel muneris & officij debita æſtimatio in eo cum fidei damno vileſceret; dictis nihilominus adiiciet Gobellinus vel alius ſuo nomine.

Creuit hoc facto contentio, & ſchiſmata in populo facta ſunt: pars Iacobo ac Minoribus Fratribus, pars Inquiſitori ac Prædicatoribus auſcultabat, & alteri alteros tanquam hæreticos incuſabant. Id falſum eſſe literæ conuincunt, quas Brixienſis Epiſcopus ad Beatum virum dedit, quas teſtimonij ergò ſubiicio.

Literæ Epiſcopi Brixienſis.

Reuerendiſſ. in Chriſto pater, accepi literas paternitatis veſtræ, in quibus mihi ſcribit Inquiſitorem vndique eum diffamaſſe, eò impenſius, quòd commoueritis populum hunc meum Brixienſem aduerſus fratres, & Ordinem ſuum pro materiâ ſeparationis diuinitatis à ſanguine, adeò quod niſi fuiſſet adhibitum remedium, multi homines forent interempti, pro qua re P.V. rogat, vt an verum ſit, vel ne, velim eidem aliquid litterarum dare. Ego mi pater nuſquam intellexi, nec aliquatenus perſenſi, ea quæ vobis inferuntur per Inquiſitorem, & vehementer admiror ipſum tam apertè & impudenter mentitum eſſe, quanquam id de tali viro dedito virtuti, & religioni, difficile ſit mihi credere, Paternitas enim veſtra in eâ materiâ pertractandâ ſemper modeſtè locuta eſt, nec ob hanc cauſam ortus eſt aliquis rumor, vel tumultus in populo iſto aduerſus Ordinem Sancti Dominici, quinimò & Ordinem, & Inquiſitorem hunc ſemper & publicè, & priuatim laudauit. At vtcunque ſit, rogo P. V. non magnifaciat ea verba; nam vt nouit, bonis, & probis viris nunquam calumniæ, & detractiones deſunt, & tamen veritas, & virtus inconcuſſa perſiſtunt. Me P. V. commendo & rogo, oret Deum pro me. Ex Brixia die S. Auguſti, 1464.

B. Msupetrus Epiſcopus Brixienſis.

Non magis vera ſunt, quæ ſubiicit aduerſarius, vt ex dictis conſtat: *Interponit,inquit, Epiſcopus loci vices ſuas, neque ſedare tumultum potuit, aut inflatas opinione ſui placare mentes: Iacobus niſi vinceret, labores ſuos annorum quadraginta, quibus ſine intermiſſione prædicando populos inſtruxerat, caſſos fore arbitrabatur: Inquiſitor defenſionem fidei prateriri non poſſe aiebat,* &c. Hæc mendaciter confictà eſſe patet ex teſtimoniis Ciuitatis, vicarij in ſpiritualibus, ac ipſius Epiſcopi. Ex quibus clarum relinquitur,quâ fide in reliquis audiendus ſit Author. Iactabundus in Gulielmum Vuorilonum inuehitur, Scotum noſtrum præ cæteris,quamuis in controuerſia parum,aut nihil ex propoſito diſſeruit,præter meritum exagitauit, vt coniecturæ locus ſit, hominem minùs liberè controuerſiam hanc agere, vel peruerſo,& proprio affectu vel certè falſarij cuiuſpiam ſubmiſſâ manu perperam corruptum. De Vuorilono longè aliter ſcribunt probati Authores, quem ex relictis monumentis cognoſcere licet, quin & in hac ipſa controuerſia id nominis adeptum ferunt,vt exequias mox defuncti ſuâ præſentiâ honorare Cardinales & Prælati dignum iudicarint. Sed nos interim, relicto Gobelino, ad præſtitutam curramus metam. Contra Syluestrum ergò,qui opinionem ipſam à Pontifice damnatam ſcripſit, ſubiungam primò teſtimonium Cancellarij Peruſini.

Literæ Cancellarij Peruſini.

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, Amē. Per hoc publicum documentum cunctis ipſum viſuris fidem facio, & teſtimonium verax perhibeo ego Hieronymus de Ronco ciuis, & Cancellarius Peruſinus &c. *quod cùm proximis diebus videlicet in vigilia B. Luciæ virginis eſſem receſſurus à ſacris pedibus S. in Chriſto patris Domini noſtri, Domini Pij diuinâ prouidentiâ Papæ II. ad quem me Peruſina Communitas ob certa publica negotia oratorem tranſmiſerat: poſt reſponſum, & expeditionem materiæ cuius gratiâ miſſus fueram B. ſua mihi commiſit, iniunxit, & imperauit: vt reuerſus Peruſium ex parte Beatitudinis ſuæ deberem dicere, ac nunciare Venerabili P. Fratri Iacobo de Marchia Ordinis fratrum Obſeruantiæ S. Franciſci; tunc, ac etiam nunc Peruſÿ commoranti, vt nolit contriſtari, neque angi, aut moleſtius ferre, quod quidam confingant aliqua aduerſus eum ad turbandum eius pacem, aſſerentes, quoddam breue exÿſſe à ſua B. contra famam, & honorem ipſius: quoniam B. ſua certificabat eum, quod tale, aut ſimile breue neque emanauit vnquam ab eâ, neque deinceps emanabit, cùm liqueat B. ſuæ bonitas, & rectitudo fidei ac vitæ ipſius Fratris Iacobi, & quod hortarer eum ſuo nomine, vt bono, & læto animo viuat, & ſimilia figmenta non metuat, neque curet, ſed in eis ſolidam patientiam habeat exemplo Saluatoris noſtri, qui calumniatoribus, & perſecutoribus nunquam caruit, & alia ſimilia in hanc ſententiam eidem dicēda mihi impoſuit die ſuprà dicto Romæ in ſuo palatio Apoſtolico, apud Sanctum Petrum in Camera S. B. præſentibus ibidem audientibus, & intelligentibus R. in Chriſto P. D. Iacobo titulι Sancti Criſogoni Preſbyteri Cardinali Papienſi, Rereuerendiſque P. P. Domino Iacobo Epiſcopo*

Ferra

Ferrarienſi S.D.N.P.Papæ Datario,& Domino Antonio de For oliuio Cameræ Apoſtolicæ clerico,& Theſaurario Generali,& Magnifico viro Domino Gorio de Picolominibus eiuſdem S. D. N. Papæ Secretario quæ omnia mihi impoſita eidem Fratri Iacobo reuerſus Peruſium fideliter, & diligenter dixi, ac nunciaui, prout habueram in mandatis. In quorum fidem præſens documentum in præſenti folio manu propriâ ſcripſi, & ſigno conſueto ſignaui requiſitus, inde nomine prælibati Venerabilis P. Fratris Iacobi ſub die 4. menſis Ianuarij 1464. Ind. 12. Pontif. prælibati S.D. N. Papæ ann. 5.

Ego Hieronymus de Ronco de Fauentia ciuis & Cancellarius Peruſinus publicus Apoſtolicus & Imp.Not. præmiſſa propriâ manu ſignaui, Anno, menſe, die ac Pontificatu ſupradictis.

Hîc tandem ſubiicio, quod vltimum in hac controuerſia conſtituit Pontifex.

PIVS EPISCOPVS,

Seruus ſeruorum Dei ad futuram rei memoriam.

INeffabilis ſummi prouidentia Patris ad hoc nobis, quamuis immeritis, vniuerſalis Eccleſiæ regimen piâ dignatione cõmiſit,vt tanquam de ſummo vertice ad infima refluentes intuitum, quid pro ſacræ religionis expediat propagatione felici, & qualiter illius multiplicatis plantationibus,religio ipſa floridè dilatetur, ſolertius intendamus, omnemque inquietudinis, & moleſtiæ fomitem ſubtrahamus, ſicque ſtatui omnium religioſorum in humilitate altiſſimo famulantium opportunè prouideamus, quod omnibus ab ipſis ſublatis moleſtiis, in religionis obſeruantia, iugique obſeruatione quietius intendere valeant. Sanè cùm dudum inter dilectos filios Prædicatorum, & Minorum Ordinum Fratres (ſatore zizaniæ operante) ſuper eo, quod eorum aliqui in ſuis prædicationibus pretioſum ſanguinē Domini noſtri Ieſu Chriſti in triduo paſſionis eiuſdem ſeparatum fuiſſe ab ipſius ſanctiſſimâ diuinitate aſſeuerabant, alij verò fortè contrarium tenebant, diſſenſionis materia exorta foret, ex quâ ad tantam inter eos altercationem, vt accepimus, deuentum extitit, vt facilè mentibus fidelium poſſet ſcandalum generari;& licèt aliàs nos ad obuiandum prædictis, auditis iis,quæ circa præmiſſa vtraque pars dicebat, & allegabat ſilentium impoſuerimus ac materiam ipſam indiſcuſſam pro tunc reliquerimus, ac mandauimus de huiuſmodi dubietate ampliùs diſceptationem aliquam fieri non debere; quia tamen verendum foret, ne ex contrarietate prædictâ in mentibus eorundem fidelium aliquid ſcandali ad eorum animas illaqueandas euenire poſſit, maturâ præmeditatione curauimus omnibus ſiniſtris euentibus præmiſſis, prout ex debito paſtoralis officij aſtringimur,

 obuiare.

obuiare. Vt igitur in Eccleſia Dei orthodoxa fidei vnitas preſeruetur, & de cætero tollatur occaſio in huiuſmodi controuerſias incidendi, authoritate Apoſtolicâ tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus, quod nulli Fratrum Prædicatorum deinceps liceat de ſupradictâ dubietate diſputare, prædicare, vel publicè aut priuatè verbum facere, ſeu aliis ſuadere quod videlicet hæreticum, vel peccatum ſit tenere, vel credere ſanguinem ipſum ſacratiſſimum, vt præmittitur, triduo paſſionis eiuſdem Domini noſtri IESV *Chriſti ab ipſa diuinitate quomodolibet fuiſſe, vel non fuiſſe diuiſum, vel ſeparatum, donec ſuper dubietatis huiuſmodi deciſione, quid tenendum ſit, fuerit per nos & ſedem Apoſtolicam definitum.*

Mandantes proptereà vniuerſis & ſingulis eorundem, & aliorum quorumcunque Ordinum per totum orbem conſtitutis Fratribus, cuiuſcumque ſtatus, gradus, vel conditionis exiſtant præſentibus & futuris, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœnâ, quam ipſo facto incurrant, & à qua, niſi in mortis articulo conſtituti non niſi per nos, aut ſucceſſores noſtros abſolui poſſint, ne contra ſtatutum, & ordinationem noſtram prædictam venire aut facere vel tentare quoquo modo præſumant.

Nec non omnibus & ſingulis prædictorum & aliorum Ordinum Prælatis in virtute S. obedientiæ, tranſgreſſores omnes, quos in pœnam huiuſmodi incidiſſe aut contra prædicta dixiſſe, vel feciſſe præſumpſerint, dignis pœnis, diriſque carceribus punire, & mancipare procurent; ac fratribus ipſis vtriuſque ſeu alterius Ordinis de cætero ſub eiſdem pœnis aliquem fratrem ſeu alium hæreticum proptereà proclamare, aut hæreſis, ex hoc labem incurriſſe conſtiterit, illam vel illos apud ſedem Apoſtolicam denunciare teneantur, & debeant, quodque inter alias quaſcumque Eccleſiaſticas ſeculares perſonas nullus Fratrum Ordinum Prædicatorum ſeu aliorum aliquem de prædictis infamare, aut de illo quomodolibet proclamare præſumat.

Quinimò, vt Fratres ipſi Prædicatorum & Minorum Ordinum huiuſmodi mutuò ſe diligant, & cum charitate pertractent ſecundùm Ordinum ipſorum inſtituta, & regularis obſeruantiæ regulam ſub pœnâ præmiſſa authoritate præfatâ tenore præſentium iniungimus, decernentes ex nunc omnes, & ſingulos Fratres Ordinum Prædicatorum, qui prædicta non obſeruare vel illis contrafacere vel venire ſtuduerunt cum effectu, ad omnes actus legitimos religioſorum, & ordinum ipſorum penitus inhabiles, & incapaces, nec non irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtrorum mandati, iniunctionis, & conſtitutionis, infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis, &c.

Datum Auenione Anno Incarnationis Dominicæ 1464. *Kal. Aug. Pont. noſtri ann. 6.*

Mortuus eſt Pontifex 14. poſt hunc die in eadem ciuitate 14. nempe eiuſdem menſis Auguſti. Conſtitutio habetur etiam impreſſa in Bullario Laercij Cherubini vndecima inter decreta Pij. Hîc deſideratur inprimis fides Gobellini, qui hanc conſtitutionem tacuit, cùm ignota eſſe non potuerit, ex eâ colligimus nullius authoritatis habitum fuiſſe proceſſum

Barchi

Barchinonenſem, factum ſub Clemente; idque manifeſtè teſtatur Dominicus à Dominicis, qui anno ſuperiore præſens diſputationi interfuit, & Patrum Prædicatorum partem contra Torcellanum Ferrarienſem Epiſcopum acriter defendit. Non eſt, quod ad ſcholaſticam diſputationem huius quæſtionis tranſeamus;nam quod præcipuum ex fide Directorij, & Sylueſtri opponitur, proceſſus nempe Barchinonenſis, vel Clementis & Pij prætenſa definitio, iam eſt dilutum, reliqua quæ ex valore ſanguinis effuſi vel ex illo vulgari, nihil dimiſit ex iis, quæ aſſumpſit Chiſtus ad vnionem hypoſtaticam, facilis ſunt ſolutionis:nam & caro præpurij (de qua mira Toletus) dimiſſa eſt, & extat declaratio Pij II. ſuper articulo Pariſienſi (de qua Franciſcus Cardinalis de Sauona in tractatu de ſanguine, & Gobellinus loco citato) *non eſſe contra fidem orthodoxam aſſerere, quod Chriſtus Dominus reliquerit in terris particulam aliquam ſui ſanguinis pretioſi, quam reſurgens non aſſumpſit*, vt mirum ſit Gobellinum aſſerere Pium Pontificem in Patrum Prædicatorum ſententiam, magis inclinatum fuiſſe. Ea autem loca, quæ ſanguini effuſo noſtram redemptionem, & reliqua ſubſequentia tribuunt, ita interpretanda ſunt, vt ad mortem Chriſti principaliter referantur: effuſioni verò ſanguinis tanquam medio,ſicut & cruci tanquam inſtrumento tribuantur, deinde controuerſia nulla eſt: demus porrò hæc principaliter de ipſo ſanguine dici, id certum eſt ei cõpetere non prout fuſus manſit poſt Chriſti mortem, completâ omni ratione meriti, ſed prout effundebatur ipſo viuo, tum autem hypoſtaticè vniebatur, per quam vnionem dignificatus pretium eſſe potuit, non inde tamen ſequitur, quod extra corpus vnionem talem retinuit;ſufficit enim quòd fuerit ante effuſionem actualem vnitus diuinæ perſonæ,vt effuſio eius deificata dicatur. Ponamus caſum, quod totum hominem dimitteret Chriſtus in morte, nihilominus pretium redemptionis eiuſdem maneret valoris, & virtutis ſeu efficaciæ, quas ex vnione præteritâ haberet, licèt iam non fuerit retenta, completa ipſa redemptione. Sed his ſuperſedeo: quæſtio vtrinque probabilis fidei certitudine non eſt penſanda, definitiones, à quibus potiſſimum robur petebatur, iam euanuerunt, vt nec in Aragonia hoc anno ſub Clemente ſectarios habeat Bzouius, nec ſub Pio Franciſcanos, qui validam, & veram definitionem à Clemente promulgatam reuocarint in dubium. Quod ſi hoc amplius lectâ Pij conſtitutione obiecerit, velut in contemptorem, & tranſgreſſorem decretalis ex ipſius conſtitutionis agam præſcripto.

Anno 1454. num. 17.

B z o v. *Huic edicto tantum abeſt vt Ordelaffus obtemperauerit, vt etiam magis obdurauerit. Quamobrem neceſſe habuit Innocentius, tanquam in hereticum & Romanæ Eccleſiæ hoſtem anathema pronunciare, ſacris in omnibus locis, quæ occupauerat, interdicere, & bellum ſacrum in profanum edicere. Impius ad ſonitum campanæ, quando diris deuouebatur, etiam ipſe alias campanas pulſabat, & in ſummum Pontificem atque Cardinales ex*

aliqua materia affictos, ac fœno infartos anathema pronunciabat, necnon clerum ad ſacra obeunda per vim compellebat. Quod ſi qui contrairent, eos ad necem dabat, ſeptem ſacerdotes furcis appendit, & totidem viuos excoriauit, quod ſacrificare noluiſſent. Si quos autem ex cruce ſignatis militibus comprehendiſſet, eorum plantas pedum ferro ignito in formam Crucis effigiato adurebat, & ſignatos dimittebat in contumeliam Crucis dicens: illud ſignum è panno tineis patere, à ferro autem impreſſum perennare. Alios ex iiſdem forcipibus ignitis nudos vellicabat: cum hac irriſione; melius illis fore, ſi contriti, & confeſſi in ea diſpoſitione morerentur, quam dimiſſi, occaſionem haberent in peccatum relabendi: MS. Biblioth. Vatic. de rebus huius temp.

Numero 18.

Manauit iſtud contemnendi claues exemplum à nonnullis Minoritanis, quibus illud ſolemne iurgium de Chriſti, & Apoſtolorum paupertate contra Apoſtolicam Sedem placuerat, &c.

Expediret ea commemorare Minoritanæ crudelitatis ſcelera, quæ Ordelaffo facem prætulerunt: Expediret, inquam, quia nec ſententia in tyrannum promulgata eos comprehendit, nec aliunde probatur vllum ipſis cum Ordelaffo extitiſſe commercium. Dic precor, ſi viuos vnquam excoriarunt, ſi cruce ſignatos exuſto ſtigmate, aut viuos afflixerunt aut morti deſtinarunt, ſi ſacros Dei miniſtros in furcas ſubleuarunt, ſic Ordelaffus claues Eccleſiæ contempſit; quod ſi in Franciſcanis id nunquam præceſſit, vt quid extenſo digito lectorem prouocans, demonſtras illud contemnendi claues exemplum à nonnullis manaſſe Minoritanis? nec ebrius, nec febriens ſic vnquam ſomniauit. Si quorundam inobedientiam his verbis perſtringere vrbanè placuit, quod Pontificiis decretalibus morem non geſſerint, vel eas minùs æquè coluerint, id tecum damno; non ſoli tamen nec primi eius erroris prauam conſuetudinem inuexerunt, nec ſoli in exemplum trahi proinde debuerunt; præceſſit Ioannes Pariſienſis Theologus Ordinis tui, Regiæ poteſtati æquus magis, quàm Pontificiæ, & vt refert Bellarm. *Quoniam* De ſcript. *incidit in tempora turbulenta ob diſcordiam inter Bonifacium VIII. Pontificem & Philippum Pulchrum Regem Gallorum, & ipſe Pariſiis agebat & docebat, videtur propenſior fuiſſe erga Regem quam erga Pontificem.*

BZOV. *Quibus illud ſolemne iurgium de Chriſti & Apoſtolorum paupertate contra Apoſtolicam Sedem placuerat,* &c.

Si hæc torquentur in ſententiam decretalis *Exiit.* quam Franciſcani defenderunt, dicemus ſolemnem eſſe blaſphemiam; ſi aliò autem verba reſpiciant, quàm eis mens fuerit, ſolemne magis iurgium tibi placere, quàm Minoritis, vt qui ſimulachrum contentionis propriâ fingis induſtriâ, aliud à proprio, & vero dogmate Franciſcanis imponens; nec

ea,

ea, quæ ex Rebdorfio occurrunt tantæ ſunt authoritatis, aut veritatis vt affectus expertem omninò intellectum conuincant. In primis ſolus eſt, & externus, nec veſtigium eius hiſtoriæ in vllo alio reperire potui; Deinde ex aliorum fide non ſub oculis viſum deſcribere videtur, quæ in longè poſito nonnunquam declinat veram rei geſtæ narrationem; documento ſit hoc ipſo loco Rebdorfius: *Anno 2.* inquit, *eiuſdem Papæ multi de Ordine Minorum fratres inceperunt dogmatizare & diſputare de proprio, & paupertate Chriſti, & Apoſtolorum contra diffinitionem, & determinationem Ioannis Papæ XXII. aſſerentes, quòd Papa non potuit reuocare conſtitutionem Nicolai Papæ, quæ incipit: Exiit qui ſeminat. de hæret. lib. 6. & de verb. ſignif.* &c. Initium hoc narrationis Rebdorfianæ; quæ vel in ipſo limine aberrauit, decretalem *Exiit.* conſtituit ſub titulo de hæreticis contra diſpoſitionem Canonum, ipſiúſque conſtitutionis ſcopum: titulo enim *de hæreticis* nulla eſt huiuſmodi decretalis mentio, qui & diuerſus eſt à titulo de verb. ſignif. ille ſecundus, hic duodecimus ſtatuitur lib. 5. Sexti decretalium, ſub quo legitur decretalis *Exiit.* Deinde quod ſupponat Ioannem reuocaſſe eam decretalem, quoad materiam controuerſam, vel errori vertat Franciſcanis, eos aſſeruiſſe Ioannem non potuiſſe eam reuocaſſe ipſe potius in errore eſt: quia nec eam Ioannes in prædictis reuocauit, nec Gerardo Ordinis Generali ſucceſſori Ceſænatis reuocationem eius improbè ſollicitanti aures præbuit, vt teſtis eſt Aluarus Pelagius lib. 2. de planctu cap. 67. nec in iis reuocari potuiſſe certum eſt, & fuſius probatum. Si ergo Rebdorfius nec Nicolai, nec Ioannis ſenſum penetrauit, ſi in titulo decretalis vacillat, ſi controuerſiæ, & quæſtionis ſtatum non eſt aſſecutus, verendum fortè nobis erit dicere, ei non tam curæ fuiſſe veritatem indagare, quàm quod leui cuiuſpiam, vel malè affecti vel ſanè negligentis fide excepit, raptim memoriæ conſignare. Nec ſolus, nec ſemel in hoc lapſus eſt Rebdorfius: alibi porrò ita refert: *Item quandam opinionem de proprio Chriſti, & Apoſtolorum, quæ contentio erat inter fratres Prædicatores, & Minores anno Pontificatus ſui* 8. *pro parte fratrum Prædicatorum, vt patet in ſua conſtitutione, quæ incipit, Cum inter nonnullos,* &c. ſupple, determinauit Ioannes. Hinc conſtat quàm frigidè hiſtoriam eam texit, quia nec decretalis illa ſententiam Minorum damnat, nec vllatenus tangit. Talis in certis eſt Rebdorfius, qualis autem in dubiis? per hæc tamen veritati reliquæ hiſtoriæ ſi quam aliundè lector conciliare poſſit, nequaquam dico obſtandum; nullum enim eius improbandæ certum occurrit fundamentum, nec adſtruendæ quidpiam maius huius authoris fide, quam ex fama deſcribit. Contingere potuit duos illos apoſtatas comprehenſos, & Curiæ ſæculari traditos ob demerita, vel errores omnes ibidem expreſſos, vel aliquos: nam & quæ famâ feruntur, in augmento ſunt, dum auditis quidpiam detrahere humana non permittat curioſitas, & dicendi ſtudium acceſſu quopiam concepta rependat. Quamquam & mihi non abs re dici poſſe videtur dictos Apoſtatas Beguinos fuiſſe habitum mentitos Franciſcanum, vt aliàs ſæpe contigit, & ex conſtitutione Ioannis XXII. contra Fratricellos promulgatâ,

Error Rebdorfij.

p. 15. ann. 1324.

 gatâ,

gatâ, eſt clarum. Dictos porrò errores Beguinorum eſſe conſtat: Sanctus Antoninus mihi author eſt, *inuentos eſſe tunc temporis multos Fraticellos hæreticos Eccleſiam, & communitatem Ordinis condemnantes, contra quos tam legatus, quam Generalis, Inquiſitores multiplicantes alios fugarunt, alios punierunt ſecundùm Canones.* Idem antiqua Chronic. & Marianus referunt. Hi Rebdorfio fortè ſunt Minores fallaciâ nominis decepto, quod ipſi aſſumpſerunt (de quorum numero prædicti apoſtatæ eſſe potuerunt;) ſic ergo reuocari poteſt cùm errores, & tempus quadret.

Chronica antiq. Marianus.

B Z O V. *Adeò autem dementauerant plurimos, vt non pauci ex illis qui præſtare ſcientiâ dicebantur, eoſdem errores defenderent.* Rebdorf. in Annal. &c.

Articuli hi fuere: *Quod Ioannes non potuerit reuocare decretalem Nicolai; Quod nulla de cauſa poſſit delere Ordinem Minorum; Quod Ioannes, ſucceſſores, ac ipſe Innocentius his contrarium aſſerentes fuerint & eſſent hæretici, & peruerſi, nec ad quamcumque dignitatem vel beneficium Eccleſiaſticum titulum haberent.* Hi, inquam, quos duobus Apoſtatis montis Peſulani adſcripſit Rebdorfius: audiamus ſi eos imponat aliis, qui ſcientiâ præſtare dicebantur: *Imò*, inquit, *etiam dicebatur, quòd quàm plures eſſent etiam literatæ perſonæ Ordinis præfati, qui prædictam quæſtionem de proprio & paupertate Chriſti, & Apoſtolorum defendebant.* Quàm diuerſa ſunt, quæſtionem de paupertate Chriſti defendere, & prædictos errores? tam ſanè diuerſa, quàm Bzouius & Rebdorfius, quem is familiari deceptione falſauit. Videat proinde lector quâ fide Bzouius: *Rebdorfij verbis narro:* cùm ne Rebdorfij quidem ſenſum retinuit integrum. Conquiſiuiſſe, ni fallor, diligenti ſtudio, & produxiſſe in Franciſcanos Rebdorfium ſuffeciſſet vel moderato calumniatori, falſaſſe verò tam enormiter vel ipſi impoſtori valde indignum iudicauerim.

Falſatio.

B Z O V. *Fuere ex illis, qui ſe à reliquo Franciſcanorum religionis corpore diuiſerant. Qui vt à reliquis diſtincti agnoſcerentur, temeritate propriâ quoſdam habitus cum paruis caputiis curtos, ſtrictos, inuſitatos, & ſqualidos aſſumpſerant, quemadmodum ſuperius anno* 1318. *Ioannes XXII. depinxerat: in hos auulſos & in erroribus variis obſtinatos, Innocentius Pontifex hoc anno ſententiam tulit epiſtola* 202.

Memoriale Ordinis.

Audi veritatem ex noſtris monumentis, quam ita deſcribit Memoriale, quod vocant, Ordinis ſub Generali Gulielmo Farinerij. *Anno*, inquit, *Domini* 1352. *quidam Fr. Gentilis de Spoleto de Prouincia Sancti Franciſci, & quidam alij magnâ deuotione ducti ſupplicauerunt Domino Papæ Clementi VI. inſtantibus pro eis quibuſdam viris notabilibus, vt eis aliqua loca Ordinis concederentur, in quibus poſſent regulam ad litteram obſeruare: aſſerebant namque quod Communitas Ordinis eam non ſeruabat, vt fuerat à Beato Franciſco tradita in ſuâ puritate, qui à dicto Domino*

uino

mino Papa impetrauerunt, quod poſſent habere quatuor loca in Prouincia Sancti Franciſci videlicet Carceris, Iani, Eremitæ, & Montis-Lucij, & pro quolibet duodecim fratres, quos poſſent recipere, vel de fratribus Ordinis, vel de ſecularibus vndecumque venientibus, nullúſque in hoc impedire valeat: ſtatimque fecerunt habitus paruos à communitate Ordinis difformes: quibus plures ſimpliciter gradientes adhæſerunt ſuper tanta Ordinis reformatione gaudentes, &c. & infrà. *Cùm verò certis informationibus per dictum Generalem repertum fuerit, quod quoſdam ſuſpectos de hæreſi receptauerunt, quamuis ipſi eſſent ab eorum erroribus elongati: ſed eos ad conuertendum receperant ad domum, lectum, & cibum, & obſtinatos cernentes à ſe abiecerant: tamen quia illud non reuelauerant, factum eorum habitum eſt ſuſpectum, quamuis ipſi haberent zelum Dei ſed non ſecundùm ſcientiam.*

Anno Domini 1355. *dicto Generali laborante & Domino Ægidio de Hiſpania tituli S. Clementis Preſbytero Cardinali, qui tunc erat Legatus in Italia fauorem dante, incarcerato dicto fratre Gentili cum duobus aliis fratribus dictæ congregationis, de mandato dicti Domini Legati dictum priuilegium eorum fuit per Dominum Innocentium VI. totaliter reuocatum*, &c. Concordant Marcus Vlyſiponenſ. Marianus, & Antoninus loco citato, niſi quod hic in aliquem malè affectum inciderit, qui eam Gentilis ſeparationem inſectatus eſt: authoritate Pontificis habita eſt, quam omni ſtudio diſſoluere conatus Generalis Miniſter, ex decreto Capituli Generalis Aſſiſiatis, periculum etiam metuentis maioris diſcordiæ, quæ amica nouitatis ſuccedit; hinc ergo peropportunâ occaſione vſus, Gentilem cum duobus ſociis incarcerauit in Vrbeuetere, Prouinciæ Romanæ, & reliquos ſodales ſuperueniente Pontificis authoritate diſſoluit, in quibus nulla inuenta eſt hæreſis; ſuſpicioni locum præbuit, quod hæreticis ex fine tameri recto ſine Inquiſitoris licentiâ communicauerint, eóſque inuentos pertinaces reiecerint, non denunciauerint. Hinc liquet Bzouij fallax eſſe illud commentum: *In hos*, inquit, *auulſos, & in erroribus variis obſtinatos Pontifex hoc anno ſententiam tulit.* Si iis candida quædam ſimplicitas, & imprudens benefaciendi affectus præiudicium dumtaxar intulit ſuſpicionis de hæreſi, quomodo in erroribus variis obſtinati? Quomodo, inquam, in hæreſi obſtinati, ſi obſtinatos ſuo exturbauerint contubernio? id mihi conſtat Bzouium non magis fidum Archiuio extitiſſe, quàm Rebdorfio, quod ſi ſententia Pontificis quidpiam tale continet, ex iniquâ ſuggeſtione ſurrepſit.

Anno 1357. num. 4.

BZOV. *Quo anno duo Franciſcani Ordinis pſeudomonachi poſt multa malefacta igne necati ſunt, quod de religione malè ſentirent.* Polidorus Virgilius in hiſtor. Anglicana lib. 19.

Equum iuxta metam ſtimulas, non eſt *quod lineam poſcam*; præſcriptum

Improbum aduerſarij ſtudium. ptum enim non tranſcendis: preme ergo occaſionem, non ſemper occurret, qui Franciſcanorum ſcelera enumerabit: oleum non perdidit Bzouius, inuenit enim vbique quidquid in Franciſcanos malè ſcriptum eſt ſeu vero, ſeu falſo, ad laudes autem cœcus eſt & ſurdus: dignior fortè Annalibus Eccleſiaſticis memoria huius ſupplicij fuit euoluto verbatim Polidoro tranſcripta, quàm alia, quæ titulo citato obuia exhibet Antoninus ob fidei profeſſionem Franciſcanis illata. Legere potuit martyrium fratris Iacobi à Florentia Epiſcopi Tintonienſis à Saracenis illatum, duos alios Franciſcanos ob fidem necatos ab hæreticis Neſtorianis, fratrem Gulielmũ de Caſtro maris Prouinciæ terræ laboris ſectum in medium, ob prædicationem Euangelij. Duodecim item in monte Sion Franciſcanos necatos à Saracenis. His adiicere licuit ex Marco Vlyſiponenſi 2. part. lib. 9. cap. 26. alios ſedecim Martyres, & cap. 30. alios octo, decem fuiſſe teſtatur Toſſignian. lib. 2. ſub cap. Generale 48. cui conſentiunt antiqua 24. Generalium Chronica: hi omnes Franciſcani hac ætate Martyres certamen glorioſè certarunt, quibus ex iiſdem authoribus adiicere licuit plures Confeſſores, Virgines ſignis, vitâ, & ſanctitate celebres, doctores ſcientiâ præſtantes, indigni tamen omnes, quos Bzouiana monumenta exciperent, boni nempe, & ſancti fuêre: calumniatoris autem propoſito magis idonei, illi, qui Londini pœnam hæreticorum luerunt: quin & alium ſubiicit Franciſcanum, qui pſeudoprophetæ nomine diffamatus carceres ex ſententia Pontificis Auinione ſubiuit.

Martyres Ordinis Minorum qui circa hæc tempora obierunt certamen.

BZOV. *Quo etiam tempore Ioannes Rupeſciſſanus Minorita propter hæreſim, & pſeudopropheti.is Auinione in carceribus detinebatur, multum de duobus Antichriſtis & deſolatione terrarum, & ſummis Pontificibus futuris, & generali conculcatione cleri, & reductione totius orbis ad fidem Chriſti, pluráque alia, quaſi ſibi à Domino Ieſu reuelata, quæ non euenerunt, ſcripſit, finxitque, communi euentu eorum, qui dum tempora, quæ Pater cœleſtis poſuit in ſua poteſtate, volũt temerè perſcrutari, in errores prolabuntur.* Magnum Chron. Belg.

An iſte fuerit, cuius in Annalibus hoc anno meminit Henricus Rebdorfius prorſus incertum eſt. Hæc de quodam narrat iſte, eodem tempore quidam religioſus de Ordine fratrum Minorum peritus in Aſtrologiâ in Curiâ Auinionenſi prognoſticat futura, & terribilia: videlicet, quod ab eo tempore infra quatuor annos Cardinales de Auinione fugient, & anno Domini 1361. vermes fortes de terrâ ſurgent, quæ beſtias, & animalia deuorent, mortales multi cadent. Antichriſtus publicè apparebit, & ipſius diſcipuli Hieroſolymis prædicabunt, clades, tempeſtates, & diluuia aquarum, qualia nunquam viſa ſunt præter diluuium generale, & alia multa horrenda de perſecutione fidei Chriſtianæ prædixit, & propter hoc per Dominum Papam captus fuit. Rebdorf. in Annal.

In primis vehementer ſubdubitat Bzouius ſi vnum & eundem hi authores deſignant, vt prorſus id incertum eſſe putet. Quis opido locus

dubio, ſi tempus, locus, carcer, crimen, pœna, iudex conueniunt? niſi fortè auctam ex numero ignominiam velit, & qui vnus proinde eſt in duos Franciſcanos hac arte diuidatur, ne vnus ſolus in crimen vocetur. Chronicon Belgicum, quod primo loco apponit, duorum authorum relationem eſt complexum, quorum alteram Werneri Bzouius tranſcripſit quoad ſententiam præter id, quod auxit per calumniam adiungens ob hæreſes detentum Rupeſciſſanum, quod nequaquam Wernerus aſſerit; Altera eſt Petri de Herentalz in Compendio Chronicorum, eaque magis fauet: ideò prætermiſſa. Talis eſt: *Item primo anno iſtius Papæ quidam de Ordine fratrum Minorum incarceratus in Auinione, quia de hæreſi ſuſpectus habebatur, multa prophetizabat de Antichriſto & Summis Pontificibus futuris, & incepit prophetizare anno Domini* 1347. *tempore Clementis Papæ VI. multa de eius prophetiis viſa ſunt euemiſſe.* Hæc Petrus, inquit author Chronici, ſubiiciens mox narrationem Werneri, quæ ex genio Bzouij magis fuit. Hoc autem inter Petrum, & Wernerum intereſt, quod iſte puero adhuc Wernero, vel fortè antequam natus, ſit, ſcripſerit tempore & loco vicinior, eiuſdem ætatis author. Hic verò remotior, & ſexaginta penè annos poſterior; ille tamen in Franciſcanum indulgens, hic acerbior; acceptórne ergo perſonarum Bzouius? quam enim author Chronici ſub arbitrio lectoris ſtatuit variantibus hiſtoricis narrationem, is decidit aſſumpto vno, altero relicto; in patrocinium tamen Rupeſciſſani accedat Froſſardus Gallus ex Compendio Sleidani impreſſo Hanouiæ; ita ille anno 1359. p. 60. — Wernerus. — Petrus Herentalius.

Auinione, inquit, *quidam Franciſcanus futurum prædixerat, vt & Eccleſiaſticus ordo multa pateretur propter ambitionem, auaritiam, atque ſuperbiam, & Gallia duriſſimè affligeretur exterorum incurſionibus, adeò quidem, vt nulla illius pars ab hoc malo tuta eſſet futura. Pontifex hunc in vincula coniecit, quod minus grata denunciaret*. &c. — Froſſardus.

Item anno 1385. p. 192. *Hæc*, inquit, *nimirum ſimultas, & diſſenſio Pontificum in diuerſa ſtudia rapuit omnes ferè Principes, & Reges, vt memoratum eſt. Hoc malum, & alia multa, quibus aliquando premeretur Eccleſiaſticus ordo, Franciſcanus quidam Monachus Innocentij temporibus, prædixerat, coniectus Auinione in vincula hoc nomine, & ni ſcripturæ authoritate ſua firmaſſet, capitis pœnam luiturus*. &c. Hactenus Froſſardus, qui Prophetico ſpiritu locutum Franciſcanum ab ipſo rerum euentu interpretatur, cui concordat Meierus anno 1359. *Ioannes*, inquit, *quidam frater Minorita hæc omnia mala annorum in primis 46. 47. 48. & 49. prædixiſſe traditur, quem tamen Innocentius Pontifex apud Auinionem in carcerem ob vaticinia coniecit. Ioannes de Rupeſciſſa*, inquit, *Henricus Villot, vir ſæcularis Philoſophiæ ornamento clarus, & ſacris litteris egregiè inſtructus; fuit eius nominis tertius Epiſcopus Pariſius, & futura multa vaticinatus eſt ſpiritu quodam Prophetico, cùm Auinione eſſet incarceratus, quod acriter illius temporis vitia perſtringeret.* Quis credere poteſt Rupeſciſſanum ad cathedram Pariſienſem aſſumptum eſſe, niſi præeunte innocentiâ? fuit ordine 94. eius autem nominis 3. vt ex dipticis conſtat eius Eccleſiæ. Vaticina ergò quæ Rebdorfius, & Wernerus eidem — Froſſardus. — Meierus. — Villot. — Apud Ioannẽ Chenu.

Nnn imponunt

imponunt de iudicio, aliiſque incertis euentibus fortè per calumniam obiecta ſunt, vel rebus innouandis conficta eius nomine, & vulgi credulis auribus inſtillata.

BZOV. *Communi euentu eorum, qui dum tempora, quæ Pater cœleſtis poſuit in ſuâ protectione, volunt temerè perſcrutari, in errores prolabuntur.*

Fulgoſius. Peropportunè ſanè huius rei teſtis occurrit Baptiſta Fulgoſius lib. 1. de relig. cultu cap. 1. quem incorruptum exhibeo, ne totus à Bzouio diſcedam.

Bonatus. *Guido*, inquit, *Bonatus ætate ſuâ ſcribit ſe vidiſſe Ioannem Vincentinum Ordinis Prædicatorum, qui hanc de ſe opinionem in hominum animis confirmarat, vt cum eo Deus loqui crederetur, & in eius verbo mortui ſuſcitarentur. Per hanc enim opinionem captis ciuium animis, in Bononienſis vrbis dominatum ſe inſinuarat, annúmque in eâ egit armis ſeptus, ita vt in vrbe manerent, eáque pellerentur, quos ipſe Deo aut gratos, aut inuiſos, tanquam diuinitus moneretur, affirmaret.*

In eodem Prædicatorum Ordine anno ſalutis quadringenteſimo nonageſimo nono ſupra milleſimum inuentus eſt Hieronymus Sauanorola Ferrarienſis, qui Florentiæ, magno Chriſtianis concionibus nomine parto, ita vt Propheta haberetur, ac loqui cum eo Deum homines putarent: atque ex ſcripto vaticinia daret, ita ſibi eum populum conciliarat, vt ipſius nutu adminiſtraretur: Is autem cùm triennium in eâ vrbe comparatam ſibi tantam potentiam continuaſſet, prudentium ciuium operâ, tandem ex eo numero, qui minimè eum ſequebantur, creatis magiſtratibus vrbis, inſectante Hieronymum Alexandro VI. Pontifice, aduerſus quem multa ſparſerat, non ſine tumultu, ac ſanguine captus fuit, tortúſque haud obſcurè a ſe ficta fuiſſe de cœleſtibus reuelationibus. ea. quæ dixerat, eſt confeſſus, quia nimia illius populi credulitas ad fingendum cauſam dederat. Itaque ſacerdotali honore exauthoratus, viuus combuſtus eſt anno tertio poſtquam in hanc potentiam inuaſerat, cuius exemplo, haud obſcurè documentum eſt mortalibus relictum, non omnibus credi oportere, qui cum hominibus dicant Deum immortalem loqui. Hactenus Fulgoſius; & hæc adiicit de noſtro Ioanne Rupeſciſſa: *Quod etiam confirmat factum Ioannis, qui de Rupeſciſſa appellatus eſt, Ordinis Minorum, qui ante Hieronymum fuit: nam cùm affirmaret à Deo ſe commonitum de vniuerſali iudicio, & fine orbis terrarum: quia dictis eius res non reſpondit Auinione ab Vrbano V. captus in cuſtodia manſit.* Sub Innocentio res, qualis qualis fuit, contigit, non ſub Vrbano: Cæterùm Petrus Galatinus expoſitione ſuper vaticinio Romano in ea verba, *& inuoluentur opinata gentium*, quæ Clementis VII. tempora deſignant, interpretatur indicari captionem Regis Franciæ Franciſci I. in cuius concordiam adducit vaticinium Domini Vincentij Ferrarij, & fratris Roberti Ordinis Prædicatorum, ac tandem Ioannis de Rupeſciſſa, in hæc verba: *Item*, inquit, *Ioannes de Rupeſciſſa Ordinis Minorum in reuelationibus quas à Chriſto habuit; loquens de his,*

quæ

quæ ab anno 1520. vſque ad annum 1530. emerſura erant, hæc inter alia dicit ; In his annis timendus eſt grauiſſimus caſus Regis, cuius robur & fortitudo ſupra modum diminuuur, &c. ſed hoc omiſſo ; Si minus confirmandæ ſententiæ adlaboraſſe nos putet Bzouius, adeat Ioannis Boteri Principem Chriſtianum 2. part. lib. 3. in Amadæum VIII. ibi leget Manfredum Vercellenſem Ordinis Prædicatorij publicè iam prædicaſſe Antichriſtum veniſſe, eum expugnauit Beatus Bernardinus Senenſis Franciſcanus, ſicut, & Sauanoralam alij eiuſdem inſtituti Florentiæ, qui ad oblatum ignis etiam experimentum deſcendere parati pro veritate hominem vanum eſſe deprehenderunt, cuius rei hiſtoriam ad longum inſerere cum Pontificiis breuibus poſſem, non vacat, nec libet, nec deſunt, qui id præſtiterunt.

Anno 1364. num. 11.

B z o v. *Petrocinus Archiepiſcopus Rauennas, hoc anno pacem inter Florentinos, ac Piſanos de ſumma rerum inter ſe acerrimè decertantes Pontificis nomine, cuius in Flaminia profanarum rerum vicarium agebat, confirmauit, cùm huius negocij ſocium habuiſſet Marcum Viterbienſem Franciſcani Ordinis Generalem præfectum, poſteà Cardinalem.* Rubeus ſupra.

Marcus ſolus conciliauit pacem, eam confirmauit ſimul Petrocinus. Sed cur hæc ex Ciaconio & Antonino ſcripta non ſunt ? quia nempe celebris apud vtrumque eſt memoria huius Marci, cui nihil conferre placuit. *Hic* (inquit Ciaconius in Vrbanum V.) *Nuncius miſſus ab Vrbano V. pro pace ineunda inter Ducem Sabaudiæ, & Marchionem Montis Ferrati, quibus pacatis, ablegatus eſt in Etruriam, vt Florentinos & Piſanos fœdere coniungeret, & pacificaret aſpero bello decertantes, quod egregiè præſtitit. Demum negotium ei datum eſt, vt Italicas cohortes vniret, & mutuis fœderibus ictis commune bellum inſtituerent in quoſdam militum tranſalpinorum manipulos, Societatis vocatos: quibus pacatis, ob res benè geſtas, Cardinalis ab Vrbano V. creatur*, &c. hæc Ciaconius citans præter conformitates Ordinis regiſtrum Vrbani. Ei conſentit per omnia Antoninus 3. part. hiſtor. titul. 24. §. 20. Marianus lib. 4. cap. 13. Marcus Vlyſſiponenſ. 2. part. lib. 9. cap. 24. Toſſignian. lib. 2. hiſtor. Seraph. in eundem Generalem. Sed quid ad hæc Bzouius? anno ſequenti num. 12. tàm de pace inter Florentinos agens, quàm de conuocandis ad fœdus belli incundi contra graſſatores Italiæ Principibus, omnis ei noſtri Marci excidit memoria, quam ideo refricare libuit ex præfatis authoribus, ne ex ſupplemento laboret narratio, quæ vt plurimum in auctuario eſſe conſueuit.

Ciaconius. Regiſt. Vrbani. Anton. Marianus. Marcus. Toſſign.

Anno 1370. num. 9.

B z o v. *Eodem anno Pontifex Vrbanus fratrem Guilielmum Pratum,*

quem euangelizandi cauſa Cataium deſtinauerat, Archiepiſcopum Cambalenſem in Tartaria creauit, & vnà cum eo multos alios Religioſos Ordinis Minorum (pluſquàm ſexaginta numerantur) ad propagationem fidei in Oriente cum fratribus Prædicatoribus deſtinauit, datiſque litteris 7. Kalend. Aprilis Romæ Magno Chamo, & aliis Imperatoribus Orientis, & Septemtrionis illos commendauit atque ad fidem amplectendam hortatus eſt. Antonium quoque Mileuitanum Epiſcopum ad inſtruendos ſchiſmaticos Georgianos ire iuſſit datâ ei poteſtate ex quibuſcumque Monaſteriis ſecum ducendi viginti quinque fratres ad eos conuertendos, 11. Kalend. Sept. apud Montem Faliſcum.

Cuiuſnam inſtituti fuit ille Gulielmus Pratus ſub arbitrio lectoris iudicandum reliquit Bzouius aſſerens Prædicatores, & Minores ſimul cum eo deſtinatos. Numerum Franciſcanorum ex Plato agnouit lib. 2. de bono ſtatu Religioſi cap. 30. cui conſentiunt Marcus 2. part. lib. 9. cap. 30. Marianus lib. 5. cap. 2. ſed Prædicatores illos in hanc veniſſe miſſionem nec ibi, nec alibi legit: ambitioſa additio eſt, quam nec Senenſis, nec Antoninus, nec Hernandus, nec Michaël Pius diligentes ſuarum rerum antiquarij, & obſeruatores vſpiam tradunt; de hac miſſione ita Marianus: *Dominus Fr. Gulielmus de Prato Prouinciæ Tuſciæ Sacræ Theologiæ Magiſter Pariſienſis per Dominum Vrbanum V. circa hoc tempus ad imperium de Cathai latiſſimum miſſus eſt, factus prius tamen ibidem Epiſcopus. Qui ad ipſum imperium accedens cum aliquibus aliis Magiſtris, & ſexaginta ferè aliis fratribus de Ordine, vt ibi fundamenta fidei orthodoxæ iacerent & verba vitæ ſeminarent.* Fr. Gulielmus igitur Franciſcanus extitit ſolóſque Franciſcanos collegas eius miſſionis habuit; illa autem clauſula, *cum fratribus Prædicatoribus*, menda eſt Bzouiana ſimilis ei, quæ in ſequentem narrationem importunè ſerpens, eam inuerecundè ſatis conſpurcauit.

Platus. Marcus. Marianus.

Numero 11.

BZOV. *Non ignobilem fructum in Oriente à Prædicatoribus inter gentes, & ſchiſmaticos ſubmiſſis, decerpens lucri animarum* (ſupple, Vrbanus) *cum enim Ludouicus Rex finitimas quaſdam Prouincias permiſſione Summi Pontificis recèns ſubieciſſet, deſtinati eò Franciſcani octo, & aliquot ex Ordine Sancti Dominici non pluribus diebus, quàm quinquaginta, ducenta millia hominum ad Chriſtum adduxerant, quo ſucceſſu impulſus Rex Opt. ad Ordinis Generales ſcripſit eodem tenore, vt duo mille fratres ad ſe mitterent, quoniam nulli eſſet opus defuturum*, &c. Chron. Ord. Dominic. & Franciſcani & lib. Secret. Vrbani V.

Linis ſine temperaturâ, nihil hæret, contra authorum tuorum fidem; quæ ergo amplius fides tua? nulli in hac meſſe tum fuere tui, quos in Franciſcanorum labores inferre tentas. Audi Antoninum 3. part. tit. 24. §. 20. *Anno verò ſequenti facta fuit magna hæreticorum conuerſio per*

Antonin.

fratres Minores baptizatorum in Bulgaria, contigua regno Hungariæ, & Vicariæ Boſnenſi, acquiſita vi armorum, per Chriſtianiſſimum eiuſdem regni Regem, vt patuit per litteras Generalis tranſmiſſas diuerſis, qui inter cætera refert, quod ad petitionem Chriſtianiſſimi Regis Hungariæ ipſius, Generalis miſerat octo ex fratribus ſuis ad quandam patriam regni, ac Vicariæ contiguam. qui intra 50. dies vltra ducenta millia hominum baptizarunt, qui in ſcriptis ſunt redacti, nec adhuc tamen tertiam partem illorum conuerterant: ſed ſperabant in breui conuertendos. Vnde concluſiuè patebat, mitti fratres voluntarios tamen ad conuerſionem illius gentis.

Ecce ſoli octo Franciſcani eius conuerſionis miniſtri, non vnus, non aliquot Dominicani iuxta Antoninum; non vnus, non aliquot Dominicani, iuxta Chronicon Dominicani Ordinis 2. p. cap. 19. hæc verbatim ex Antonino referentis; non vnus, non aliquot Dominicani ex ſententia Chroniei Franciſcani 2.par.lib. 9.cap.25. rem ſeriatim & ex fide attexentis, quam Chronicon antiquum 24. Generalium ex ipſius Generalis litteris exponit, & Marianus lib. 4. cap.13. ſed vt videat lector hoc putidum quodpiam impoſturæ genus eſſe, adiiciam Hieronymum Platum cuius ipſiſſima verba (fallaciam excludas) mutuauit Bzouius. ita ille: *In Hungaria autem cùm Rex ille finitimas quaſdam prouincias recèns ſubieciſſet deſtinatis eò Franciſcanis octo, non pluribus diebus quàm quinquaginta, ducenta millia hominum ad Chriſtum adduxerunt, quo ſucceſſu impulſus Rex optimus ad Ordinis Generalem diligenter ſcripſit, vt duo mille fratres ad ſe mitteret, quoniam nulli defuturum eſſet opus*, &c. Additamenta ſecernas, idem ipſe eſt Platus, & Bzouius; nec ouo ouum vnquam tam ſimile. Quid ergo verba Plati tantopere placuêre, ſententia diſplicuit? vt aiunt *Patroclum ſub ſpecie*, Franciſcanos laudat, vt in operas eorum ſuos ſpecioſo intrudat figmento, nec ſat fuit eos hactenus opprobriis lacerare, niſi, quod cum laude geſſerint, vſurpet: ſic meretricari non indiget religio Dominicana, aut natiuum cultum peregrino ſchemate mutare, quæ rebus geſtis ſatis ſupérque in ſe laudatam, non eſt quod alieno decori inſidietur; aut extrinſecus gloriam quærat. Minus proinde Bzouio debet, qui domeſticas opes oblitus, alienam præter fidem & iuſtitiam rapuit peculiolum. Ad confirmationem igitur veritatis ſubiiciam litteras Generalis miniſtri ad miniſtrum prouincialem Prouinciæ Sancti Franciſci, quæ ipſam rem deſcribunt ex fide, & veritate.

Litteræ Miniſtri Generalis ſuper conuerſione Bulgarorum.

Chariſſime Miniſter, heſterno die ab inclyto Rege Hungariæ & à Vicario meo Boſniæ quaſdam litteras omnis ſpiritus iucunditate pleniſſimas lætus accepi. Grandis prorſus meditationibus exardeſcere debet ignis, ac ſuccenſi feruoris prodire fauillæ, & animatio quadam potens, & valida ad conuerſio-

nem infidelium populorum. Illis ſiquidem litteris intimatum eſt mihi, quod recenter per ſuos ſeruos Fratres noſtri Ordinis Vicariæ Boſnenſis tam magna, & mirabilia Dominus operabatur, vt quamuis multi ſint numero, nullo tamen modo ſufficiant currentes ad ſacra regenerationis lauacrum baptizare & miniſtrare hominibus ſacramenta diuina. Vnum ex pluribus intimare cupiui, ad petitionem Chriſtianiſſimi, & deuotiſſimi Regis Vngariæ, Vicarius meus Boſnæ ad quandam patriam regno, ac Vicariæ contiguam, octo fratres noſtri Ordinis ſibi ſubduos deſtinauit, qui infra quinquaginta dies ducenta millia hominum baptizarunt, & ne fortè ſcrupulus de numero oriatur, ex iuſſu Regis omnes baptizati in ſcripturam ſunt redacti, illius tamen regionis, vt ſcribitur, nedum partem tertiam conuerterunt, ſperant firmiſſimè aperire eis oſtium fidei, Domino noſtro Ieſu Chriſto, quidquid reſiduum fuerit, in caulam Dominicam congregante. Currunt cum ſuis gentibus principes infideles, iuuenes & virgines, ſenes cum iunioribus turmatim confluunt ad baptiſma, hæretici ſimul, & ſchiſmatici ad veritatem fidei Orthodoxæ, & ad vnitatem Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ reuertuntur: ipſorum etia Sacerdotes, & calugeri ſub iugo fidei efficiuntur humiles, qui in ſua hereſi nimis antea fuerunt pertinaces. Ædificare voluerunt loca noſtræ religionis quamplurima, vt fructus ſculpere vnitatis, & fidei perſoueret. Igitur lætentur cœli, & exultet terra, & omnis lingua Dominum glorificet: Terra ſiquidem mota eſt, & cœli diſtillauerunt a facie Dei Synai pluentes his diebus ſolito abundantius pluuiam bonam, quam ſegregauit Deus hæreditati vtique Fratrum Minorum vt non reperiatur vacua in eis lux Chriſti, ſed eorum manibus repleatur multitudine gentium conuerſarum. Vnum eſt tamen quod ſpecialibus gaudio doloris aculeum intermiſcet. meſſis quidem multa, ſed operarij valde pauci. Ecce regiones iam albæ ad meſſem, ſed non ſunt, qui ſufficienter metant, & fructum in vitam æternam valeant congregare: mihi intimatur cum fletibus, quod niſi numerus fratrum augeatur, immenſus fidei fructus negligitur, atque dimittitur, & perduntur animæ, pro quibus ſaluator pretioſum ſanguinem fudit ſuum. Perditur tota illa Bulgaria populoſa, quam Rex ille inuictiſſimus Hungarorum, dudum potenter obtinuit, & præcipuè ciuitas illa Bindin famoſa nimis, & magna, & ibi fratres in copioſo numero diſtinentur. Patareni & Manichæi ſunt ampliùs ſolito diſpoſiti baptizari, & ad Chriſtum verum lumen conuerti, ſi non deficerent qui viam huiuſmodi luminis demonſtrarent. Piiſſimus Rex præfatus cernens de multis nationibus, atque regnis multos conuerti in eodem ſancto propoſito admiratione repletur, & gaudio deuotè poſtulans, vt ab his partibus, partium aduerſarum vſque ad duo millia tranſmutantur, quos valdè religioſè collocare diſponit. adeóque zelo fidei Catholicæ, & conuerſionis infidelium fideliſſimus Rex efferuet, vt etiam proprium corpus velit exponere, pro conuerſione gentium, idipſum totum dare. Igitur exurgant viri religioſi imitatores filij Dei, & fideles Beati Franciſci, & ad laborem meſſis viriliter ſe accingant, in exultatione metant, & in labores ſeminantium fideliter introeant, vt qui ſeminant vt qui metunt pro granis puriſſimis, in horreo Domini & in menſa Chriſti glorioſè manducent. Tu verò Pater miniſter omnibus fratribus conuenientibus ad ſanctam indulgentiam Portiunculæ præſentes litteras diſtinctè, & intelligibiliter

ter legi facias, ſeu legas, eóſque quantum valeas feruenter, & efficaciter exhorteris ac conſtanter inducas, ad capiendum fructum tantæ ſalutis cum omni promptitudine, ſe diſponant, eiſque ex parte meâ denuncies, vt ſi qui ſpiritu Dei tacti, illuc voluerint proficiſci, ad meam præſentiam debeant alacriter, & ſecurè venire, vt obedientiâ, & benedictione perceptâ, ac ſuum iactantes cogitatum in Domino inſpirationem diuinam liberiùs, & ſecuriùs exequantur. Vale in Domino, & ora pro me, &c.

Hanc epiſtolam integram tranſcripſerunt Chron. 24. Generalium, illius temporis author, Marianus & Marcus locis citatis,eius mentionem faciunt Antoninus & alij. Fucus igitur narrationis Bzouianæ exterminatur,lapſus eſt etiam in Chronologia; hæc enim conuerſio circa annum 1366. contigit quatuor ab hinc annis, vt Antoninus aliique citati.

Anno 1371. num. 13.

Bzov. *Quo tempore Fr.Petrus Bonageta, Minorita nonnullos errores in Aragonia diſſeminans, ſubſequentem ſententiam ab authoritate Apoſtolicâ promeruit.*

In ſententia illa nulla eſt mentio Bonagetæ: prohibet tres articulos prædicari ob ſcandali periculum;hi autem ſunt.

Primus; *Quòd ſi hoſtia conſecrata cadat, ſeu proiciatur in cloacam, lutum, ſeu aliquem turpem locum, quod ſpeciebus remanentibus, ſub eis eſſe deſinit corpus Chriſti, & redit ſubſtantia panis.*

Secundus; *Quòd ſi hoſtia conſecrata à mure corrodatur, ſeu à bruto ſumatur, quòd remanentibus dictis ſpeciebus ſub eis deſinit eſſe corpus Chriſti, & redit ſubſtantia panis.*

Tertius; *Quòd ſi hoſtia conſecrata à iuſto, vel à peccatore ſumatur, quòd dum ſpecies dentibus teruntur, Chriſtus ad cœlum rapitur, & in ventrem hominis non traiiciatur.*

Tertius hic articulus fundamentum præbuit reliquorum ex rationis paritate, cum tradit Hugo lib.2. de ſac. par.8. cap.13. & Innoc. lib.4. cap.15. de myſter. Miſſæ & gloſſ. in cap. tribus, in verbo *miſcere* de conſ. d.2. quod ergo, his authoribus, dictus Minorita errauit, tolerabilius eſt, id fortè exiſtimans in prædictis caſibus ſacramentum amplius vſuale non eſſe; tunc autem deſinere præſentiam ſacramentalem,quando ſpecies vſuales non ſunt, non eſt improbabile ex Doctoris Seraphici ſententia. Quidquid ſit, id mirum mihi videtur, quâ ratione taceatur ipſe Frater Petrus Bonageta expreſſo Fratre Ioanne de Latone etiam Minorita (qui aliquos dictorum articulorum prædicaſſe fertur) ſi contra illum ſententia hæc potiſſimum emanauit. Hugo. Innocent. Gloſſa.

Anno

Anno 1372. num. 13. & 14.

BZOV. *Hæc Pontifex Gregorius poſt annos quatuor de libris Lulli aliis ſanciebat, cùm hoc anno omnibus Inquiſitoribus datis litteris (pag. 131.) vt illos alios examinatos, damnatóſque exurerent, præcepiſſet, necnon ipſe eo ipſo anno Raymundi Neophiti libros hæreticales reprobaſſet, pag. 197. in minore volumine anni ſecundi ſecretorum.*

Conſequenter num. 14.

Scripſit Raymundus librum de inuocatione dæmonum, qui incipit : Miſericordia & veritas. *& alium quendam qui incipit ;* vtrum quilibet infideles tam diuinis quàm Apoſtolicis Canonibus teneantur obedire ; *& alia quædam opuſcula hæreticalia. in his numerantur infraſcripta hæreſes,* &c. nota marginalis hæc adſcribitur : *hæreſes in opuſculis Lullij contentæ.* Subiicit Bzouius mox ipſas hæreſes.

Prima, Beata Maria mater Chriſti in conceptione filij ſui fuit gratiâ plena, ex tunc in gratiâ non profecit, nec potuit proficere.

2. *Spiritus ſanctus in die Pentecoſtes veniens in B. Virg. & in Apoſtolos gratiam nullam contulit B. M. ſed Apoſtolis, quia ſic erat gratiâ plena, quòd proficere non valebat.*

3. *Peruerſum dogma impiiſſimi Almarici, Arrij, Sabellij, & aliorum hæreticorum non eſt hæreſis de ſe, niſi tantùm apud illum, qui ipſum eligit animo pertinaci.*

4. *Licitum eſt creaturas adorare, & honorare honore, & adoratione latriæ abſque peccato, immò meritoriè in quantum ſunt repræſentatiuæ ſui Creatoris.*

5. *Licèt dæmones adorare, & honorare latriâ meritoriè, ſi repræſentent ſuum Creatorem.*

6. *Non tantùm abſque vitio hæreſis, imò etiam abſque vllo peccato poſſunt dæmones adorari duliâ, niſi quia prohibitum eſt per Eccleſiam Dei.*

7. *Æquè, & melius poteſt ſacrificans dæmoni excuſari ab idololatria, quàm Chriſtianus adorans imaginem Chriſti, vel ſanctorum.*

8. *De iure naturæ adoratio, & ſacrificium debentur dæmonibus.*

9. *Qui victi ſuppliciis Deum negant ore, ſed corde adorant, non ſolùm non peccant, imò ſunt digni remuneratione.*

10. *Laicus non tenetur ad aliquem fidei articulum explicitè credendum, ſed ſufficit ſibi iſta concluſio in genere, quod credat omne illud quod credit ſancta mater Eccleſia Dei, & ideò quod ſi laicus teneat vel credat oppoſitum alicuius articuli ex ignorantiâ, vel tentatione diaboli, non peccat.*

11. *Omnis inobediens præceptis Dei vel Eccleſiæ eſt hæreticus cenſendus.*

12. *Omnis peccans mortaliter eſt propriiſſimè hæreticus.*

13. *Omnis peccans, dum peccat, conformat voluntatem ſuam voluntati diuinæ.*

14. *Tan-*

14. *Tantum placent Deo mala, quantum bona.*

15. *Tantum placuit Chriſto Iudæ deſperatio, quantum Petri contritio.*

16. *Nullum legis præceptum in hac vitâ poteſt adimpleri.*

17. *In hac vitâ à nullo viatore, vt viator eſt, charitas poteſt haberi, nec aliqua virtus.*

18. *Abſque charitate infuſa Deus poteſt ſuper omnia diligi meritoriè, & abſque ea haberi vita æterna de lege communi, & ſecundùm leges nunc currentes.*

19. *Sine charitate nemo poteſt eſſe fidelis, & per conſequens peccat mortaliter, & non habens charitatem propriiſſimè eſt hæreticus, quia peccat contra primum articulum fidei.*

20. *Homines æquè conformant ſuam voluntatem voluntati diuinæ demerendo, ſicut merendo, loquendo de voluntate beneplaciti Dei.*

21. *Tantum placet Deo voluntate beneplaciti Iudæ deſperatio, quantum Petri contritio, & tantum aliquem eſſe infidelem, quantum eſſe fidelem & tantum mala eſſe, quantum bona.*

22. *Secta iniqui Mahometi eſt æquè Catholica ſicut fides Ieſu Chriſti.*

23. *Chriſtus, Apoſtoli, & omnes Angeli, & omnes beati ſunt ſchiſmatici, & quod perfectius eſt eſſe ſchiſmaticum, quàm Catholicum.*

24. *Solus Deus pater eſt optimus, & Dei filius eſt bonus in primo gradu: Spiritus ſanctus eſt bonus in ſecundo gradu: ſed omnis creatura eſt bona in tertio gradu.*

Numero 15.

Hæc deliria phanatici hominis fuerunt examinata à quàm plurimis Theologis coram Cardinalibus Sancti Euſtachij, & Sancti Angeli, ac tandem à Gregorio Pontifice damnata publicato edicto, vt Archiepiſcopus Tarraconenſis cum ſuis ſuffraganeis libellos igni exureret, & de Raymundo hæreſiarcha ſupplicium deſumeret. Præter iſtos articulos non deerant ſectatores Lulli, qui alios quoque errores his temporibus aſſererent, ex quibus ſunt infra ſcripti, &c. Directorium Inquiſitorum 2. p.

Hîc filum exſcindere nobis placet controuerſiæ Lullianæ (quam fuſius proſequitur Bzouius) vt vltimam tandem adiiciamus manum tom. 14. neque enim noſtri eſt, hîc pauca in re graui curſim excerpere, nec fuſius etiam inſiſtere , quam plures alij ex inſtituto ſuſceperunt tranctandam; inueſtigabimus dumtaxat fidem Bzouij, vt iudicet lector quàm ſecurè ducem ſequatur.

Author dictarum hæreſum fuit Raymundus Neophitus, non Lullus. Si id ex aliis referrem fortè euaderet Bzouius; ſed quia mihi author eſt Directorium, falſarij notam, ne nunc primùm quidem, meretur Bzouius.

Directorium ita habet 2. part. quæſt. 10. cuius titulus eſt: *De hæreſibus ab Inquiſitoribus Aragoniæ damnatis de Domini Papæ mandato.*

Fallacia aduerſarij deprehenditur.

Reſpondet autem num. 3. *Conſequenter verò idem Dominus Gregorius XI. informatus per eundem fratrem Nicolaum Eymerici Inquiſitorem, quod in quibuſdam libellis oculariter eidem oſtenſis, continebantur infraſcripti articuli, habitóque ſuper illis pluries conſilio Magiſtrorum, in præſentia Dominorum Cardinalium Sancti Euſtachij, & Sancti Angeli in palatio Domini Papæ in Auinione, & de mandato eiuſdem; tandem ipſe Dominus Papa per ſuas patentes litteras mandauit eidem Inquiſitori, quatenus ipſe Inquiſitor cum Domino Archiepiſcopo Tarraconenſi dictos articulos vt hæreticales, & verè erroneos cum ſuo libello publicè condemnaret, ac condemnatis, dictum libellum traderet ignibus conſumendum; & ſic factum fuit; hæreſes autem & errores ſunt iſti*, &c. Perpetuâ ſerie omnes iam enumeratos articulos ſubiicit, præter duos primos, quos Bzouiana pera reponit. Quæſtione autem 27. ita refert: *Vigeſima ſeptima quæſtio eſt: libri hæreticales, & erronei de mandato ſpeciali Domini Papæ extra Curiam authoritate Apoſtolicâ condemnati; qui ſunt? Ad hanc reſpondemus quod tempore Domini Gregorij Papæ XI. Dominus Petrus Archiepiſcopus Tarraconenſis, & frater Nicolaus Eymerici de Ordine Prædicatorum Inquiſitor Aragoniæ, vt verè hæreticales, & erroneos quendam libellum de dæmonum inuocatione, qui incipit: vtrum quilibet infidelis tam diuinis quàm Apoſtolicis Canonibus teneatur obedire: & quædam alia opuſcula, vt omnia hæreticalia, & erronea, edita per quendam Raymundum Neophitum ſententialiter condemnarunt, propter hæreſes, & errores in eis contentos, qui recitantur ſupra quæſtione* 10. Directorium eos libros & hæreſes Raymundo Neophito adſcribit non Lullo, vt malignè imponit Bzouius ex Directorio: quis autem fuerit Neophitus edicet Franciſcus Penna in commentario dictæ quæſtionis 27. ſuper illa, *edita per quendam Raymundum Neophitum.*

Penna in cõmento.

Hic Raymundus, inquit, *ſicut conſtat ex regeſto Domini Gregorij XI. loco, quem mox adducemus, dicebatur Raymundus de Tarraga, qui cum prius eſſet Hebræus, conuerſus ad fidem Chriſti factus eſt Monachus Ordinis Prædicatorum; cæterùm, vt res ipſa demonſtrauit, non mutauit mores etſi religionem mutauerit: vixit autem hic Raymundus circa tempora Gregorij XI. ad annos Domini* 1372. *extántque in vnico volumine regeſti anni primi Gregorij XI. fol.* 225. *littera Papæ Gregorij ad Archiepiſcopum Tarraconenſem, & Nicolaum Eymericum Inquiſitorem in regno Aragonum, quibus præcipitur, vt inquirant, & procedant contra Raymundum de Tarraga Ordin. Prædicatorum tenentem quoſdam hæreticales articulos, & eum puniant. Rurſus in ſecundo volumine regeſti anni* 2. *fol.* 191. *reſcriptum quoque habetur eiuſdem Domini Gregorij XI. incipiens*, Dudum ad audientiam noſtram. *Per quod committitur Archiepiſcopo Tarraconenſi, & Nicolao Eymerico Inquiſitori, vt omnes libros huius Raymundi ſibi faciant exhiberi, atque comburi: iam hæc Raymundi opuſcula quot, & quales errores continerent, docet idem Eymericus ſuprà in hac* 2. *part. quæſt.* 10. *num.* 3.

Illud verò obſeruandum eſt diligenter quod author docet in hac quæſtione, videlicet libellum de dæmonum inuocatione editum fuiſſe per hunc Raymundum

mundum Neophitum in quo planè decepti mihi videntur Bernardus Luzemburgus, in catalogo hæreticorum lib. 3. verbo, Raymundus Lulli, & Prateolus lib.16. cap. 2. de vitis & ſectis hæreticorum, aſſerentes libellum de dæmonum inuocatione editum fuiſſe à Raymundo Lullo, & ſanè ſuſpicor hos authores fuiſſe hallucinatos ex nominis ſimilitudine. Poſtremò Raymundus dictus eſt Neophitus quaſi noua planta ſeu germen; dicuntúrque illi Neophiti, qui non naſcuntur ex originariis Chriſtianis ſed ad fidem Catholicam conuertuntur, de quibus B. Gregorius lib. 4. reg. epiſtola 51. ſine cap. 95. & lib. 7. epiſt. 110. & Gratianus in cap. ſi Neophitus 48. diſt. hactenus Penna, qui fidelius ſecreta regeſti Gregorij nobis retulit quàm Bzouius. Hic adiicere licet ex certis hiſtoriis Maioricenſis populi Lullum mortem pro fide ſubiiſſe anno ab hinc quinquageſimo ſeptimo, Saluatoris 1315. Raymundus Neophitus tum ſub Gregorio vixit, de quo teſte Bzouio ex mandato Gregorij ſupplicium ſumere debebant Tarraconenſis Archiepiſcopus, & Eymericus Inquiſitor.

Properare volui controuerſiam Lullianam in medio relinquens aliis, huius rei notitiâ, obſeruatione, & monumentorum frequentiâ inſtructis diſcutiendam, qui ex archiuiis Aragoniæ, & Balearium ſecurius & commodius domeſtica tractarent, & libentius maiorum gloriam tuerentur. Verebar inſuper ne parum inſtructus concertationem inirem, quam Illuſtriſſ. Bellarminus velut ſub lite indeciſam reliquit: plura tamen hinc inde ex variis authoribus collecta veritatem propugnare ſufficienter videbantur; quam ſubfrigidè verbis tantùm impugnat aduerſarius, inſolenter autem, vt ſolet, minúſque vrbanè Petrum Aragoniæ Regem, Minoritas, aliósque graues viros, & Prælatos in cauſa iudices deſignatos vellicare non deſiſtit; vt inoffenſo pede mihi tranſitum eſſe non putem, ſi obnitentem, & velut per fimbriam retrahentem eâ occaſione contemnam, ſeu verius ipſam veritatis defenſionem, propoſiti mei ſcopum, & certum inſtitutum. Subſiſtens igitur paululum illud moræ concedam, quod neceſſum iudico principali controuerſiæ: reliqua omittens, quæ ad rem non faciunt. Hic cardo voluitur, vter iudicio conuictus, Raymundus accuſatus de hæreſibus, an Eymericus accuſator eius falſarij.

Reſumitur controuerſia Lulliana contra Bzouium.

Lib. de ſcriptoribus.

Bzouius in coniecturis eſt totus; quia potuit ſcilicet ſic & ſic eueniſſe, ita contigiſſe interpretatur; nouerit de facto, & euentu quæri, non quid fieri oportuit, aut licuit, aut etiam potuit. Potuit Bzouius non erraſſe & diligentius ſcripſiſſe: non tamen id feciſſe in pluribus conſtat, non quia non potuit, ſed quia non voluit. Futilis igitur probandi, vel improbandi modus eſt, euentum liberum ex poteſtate colligere, maximè quando præſumptio non concurrit, vel ſi quæpiam eſt, inclinat in oppoſitum, quod in præſentiarum contingit. Omiſſis igitur vanis coniecturis cauſam ex fide publicâ, & tabulis tranſigamus.

Futilis defenſio.

Fr. Nicolaus Eymericus Ordinis Prædicatorij Inquiſitor Aragoniæ promulgauit ſub nomine Gregorij XI. decretalem contra doctrinam Raymundi Lulli de cuius ſurreptione, aut veritate agitur; huius autem tenoris eſt.

Radix controuerſiæ.

GREGORIVS EPISCOPVS,

Seruus ſeruorum Dei, &c.

Decretalis prætenſa Greg. XI.

Conſeruationem puritatis Catholicæ fidei, quam multi nequam filij ſcelerati ſuis falſis aſſertionibus maculare nitentes, inter triticum purum agri Dominici peſtiferum ſemen zizaniæ ſeminant, cùm ad noſtrum præcipuè ſpectet officium, vt euellamus praua, & deſtruamus peruerſa, prouidere ſalubriter, & animarum illaqueationibus obuiare confeſtim plenis deſideriis affectantes, opportuna in his, quæ poſſumus, remedia ſtudio paſtoralis ſolicitudinis adhibemus. Dudum ſiquidem dilectus filius Nicolaus Eymerici Ordinis fratrum Prædicatorum profeſſor, in ſacrâ Theologiâ Magiſter in regnis Aragoniæ, Valentiæ, & Maioricarum Inquiſitor hæreticæ prauitatis nobis expoſuit, ſe in regnis eiſdem inueniſſe viginti volumina diuerſorum librorum, in vulgari ſcriptorum, à quodam Raymundo Lullo ciue Maioricarum editorum, in quibus (vt ipſi Inquiſitori videbatur) multi continebantur errores, & hæreſes manifeſtæ: & quod nonnulli de prædictis & aliis regnis libris vtebantur eiſdem, & eorum doctrinæ dabant fidem non modicam in grande ſuarum animarum periculum: ſupplicauit nobis Inquiſitor ipſe, vt (ne ſimplices deciperentur ex libris ipſis) dignaremur in hac parte de opportuno remedio prouidere: Nos autem cupientes animarum iam forſan imbutarum, & quæ imbui poſſent ex peruerſo dogmate dictorum librorum periculis celeriter obuiare, dictos libros per venerabilem fratrem noſtrum Petrum Epiſcopum Hoſtienſem, & per quàm plures etiam vltra vigenum numerum, in eadem Theologiâ Magiſtros, examinari fecimus diligenter: per quorum relationem tandem habuimus, quod ipſi dictos libros omnes cum multâ diligentiâ legerant, & examinauerant, & quod vltrà ducentos articulos erroneos & hæreticales inuenerant in eiſdem: ſuper quibus inter eoſdem Epiſcopum, & Magiſtros ſæpius & demum coram nobis habitâ diſputatione ſolemni, ipſos articulos (quos ad vitandum prolixitatis tædium, & horribilitatem eorum, haberi volumus præſentibus pro expreſſis) erroneos, & manifeſtè hæreticales, de ipſorum Epiſcopi & Magiſtrorum concordi conſilio, cenſuimus reputandos. Cum autem ſicut Inquiſitoris præfati continebat aſſertio, in prædictis regnis alij libri, qui aſſeruntur editi à iam dicto Raymundo, reperiri dicantur, in quibus huiuſmodi iam reperti & alij errores, & hæreſes creduntur probabiliter contineri: Nos volentes de huiuſmodi aliis libris, & eorum doctrinâ informari plenariè, & ſuper eis prouidere ſalubriter, ne fideles in errores huiuſmodi damnabiliter prolabantur; fraternitati veſtræ, de fratrum noſtrorum conſilio, per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus diebus dominicis & feſtiuis, in ſingulis Eccleſiis veſtris Cathedralibus, ac curatis, nec non religioſorum quorumcumque ordinum, exemptorum, & non exemptorum, etiam Ciſtercienſis, Carthuſienſis, Cluniacenſis, Præmonſtratenſis, Grandimontenſis, Sanctorum Benedicti, & Auguſtini, ac

Fratrum

Fratrum Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum eiuſdem S. Auguſtini, & Carmelitarum, & aliorum Ordinum veſtrarum Ciuitatum, & diœceſum, intra Miſſarum ſolemnia exiſtentibus populis ad diuina, & in prædicationibus per vos, vel alios quàm citò commodè poteritis, faciatis proponi, quod omnes & ſingulæ perſonæ vtriuſque ſexus, cuiuſcumque ſtatus, ordinis vel conditionis exiſtant, earundem veſtrarum Ciuitatum, & diœceſum, ſeu commorantes in eis habentes libros quoſcumque à præfato Raymundo editos (vt præfertur) ipſos infrà vnius menſis ſpatium vobis aſſignare, & illi, qui ſciunt alias perſonas libros eoſdem habentes, eas vobis reuelare ac nominare procurent: vóſque libros recipi faciatis eoſdem, quos cùm habueritis, quàm citò commodè poteritis curetis nobis fideliter deſtinare, vt ipſos ſimili examini ſubiicere valeamus. Ceterùm quia doctrina, ſeu potius dogmatizatio prædictorum librorum examinatorum reperitur erronea, hæreticalis & periculoſa nimium animabus; & vehemens ſuſpicio eſt habenda, quod in aliis libris editis à dicto Raymundo ſimiles vel alij (vt præfertur) contineantur errores, vobis mandamus, quod omnibus & ſingulis eiſdem perſonis veſtrarum Ciuitatum, & diœceſum doctrinam ſeu potius dogmatizationem & vſum huiuſmodi librorum interdicere ſtudeatis, donec fuerit ordinatum. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo: Non obſtantibus ſi aliquibus communiter, vel diuiſim à Sede Apoſtolicâ ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari: aut extrà vel vltrà certa loca ad iudicium vocari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem, & quibuſlibet exemptionibus, & aliis priuilegiis & litteris Apoſtolicis, quibuſcumque locis, perſonis vel ordinibus ſub quacumque forma, vel expreſſione verborum ab eadem Sede conceſſis, de quibus eorúmque totis tenoribus etiam de verbo ad verbum in noſtris litteris mentio ſit habenda: & per quæ præſentis mandati noſtri effectus valeat quomodolibet impediri. Inſuper volumus, quod per te frater Archiepiſcope tenor præſentium ſub tuo vel officialis tui ſigillo ad tuos fratres ſuffraganeos tranſmittatur, cui per vos adhiberi volumus, velut ipſis originalibus plenam fidem. Datum Auinione 8. Kalend. Februar. Pontificatus noſtri anno 6.

Hæc decretalis Gregorij quam idem Eymericus 2. parte ſui Directorij quæſt. 26. inſeruit; propoſitiones autem condemnatas, vt ipſe aſſerit, expreſſit numero centum quæſt. 9. eiuſdem partis; de ſeipſo autem velut de alio loquens ita habet; *Quæ doctrina* (ſupple, Raymundi) *durauit ferè per octuaginta annos, quouſque ſcilicet Fr. Nicolaus Eymerici Ordinis Prædicatorum Aragoniæ Inquiſitor ex certis cauſis habens eandem multum ſuſpectam de hæreticâ prauitate, illam multo cum labore tranſcurrit, & poſtea præſentauit prædicto Domino Gregorio viginti volumina, & cauſa commiſſa Domino Cardinali Hoſtienſi, de eius mandato fuerunt per viginti, & vltra magiſtros in Theologiâ diligenter examinata, & tandem de fratrum conſilio, vt verè hæreticalia condemnata, & tota doctrina generaliter interdicta: quæ doctrina continebat pluſquàm quingentos articulos* Eymericus.

 erroneos,

erroneos, de quibus vt prolixitati parcatur, centum præſentibus inſeruntur, &c. ſubiicit mox 100. articulos præfatos, quos in diſputationem nunc vertere non licet. Admoneo dumtaxat Eymerici cauſam ſuo & decretalis teſtimonio tantùm fulciri, & ſi radicem amplius exquiras, ſolus pro ſe teſtimonium Eymericus dicit; ipſe nempe conditor eſt decretalis, quæ titulo, non ſtylo aut veritate præfert Gregorium Pontificem.

Decretalis ſuppoſita fuit.

Quod hac primùm ratione conſtat, quia eiuſmodi decretalis in regeſto non reperitur, licèt diligentiſſimè conquiſita, vt refert Gabriel Vaſquez, ſub Gregorio XIII. tam Romæ,quàm Auinione, nec minus conquiſita ſub Sixto V. Sed ad hoc reſpondet imprimis aduerſarius id verum eſſe non reperiri, ſed fuiſſe deperditam, fortè poſt mutationem Sedis Apoſtolicæ Auinione Romam. Rectè ſubdubitat, quia nihil præter coniecturam in patrocinium aduocare poteſt, quam hoc colore adumbrat: regeſtum nempe Gregorij per ſingulos annos in tria volumina diſtributum eſſe, quorum duo magnâ diligentiâ, adtexunt litteras Apoſtolicas, quæ rem communem fidei, & Eccleſiæ ſtatum concernebant. Tertium verò negligentius ordinatum ſpectat ad cauſas priuatas; hoc vnum ſupereſt ex regeſto anni ſexti Pontificatus Gregorij reliquis duobus deperditis, in quibus fortaſſis, inquit, erat extrauagans.

Vaſquez 1. p.d.133.c.4.

Sed eiuſmodi inuentio repellitur per ſequens inſtrumentum publicum quod eo tempore factum eſt, quo nulla fuit ſuſpicio perditi regeſti, fidémque facit eiuſmodi conſtitutionis nullam in regeſto memoriam ſupereſſe: talis eſt.

In nomine Domini Amen. Nouerint vniuerſi, præſens publicum inſtrumentum inſpecturi: quod coram Reuerendiſſimo in Chriſto Patre, & Domino Domino Leonardo miſeratione diuinâ tituli S. Sixti Presbytero Cardinale iudice, & Commiſſario per ſanctam Sedem Apoſtolicam ſpecialiter deputato perſonaliter conſtitutus, diſcretus vir Antonius Riera clericus, Valentinenſis diœceſis, Bachalarius in legibus, principalis citra tamen procuratoris ſui reuocationem in quadam cauſa, ſeu cauſis quæ vertitur, & vertuntur, ſeu verti, & eſſe ſperantur, inter dictum Antonium principalem ex vnâ parte, & religioſum virum Fratrem Nicolaum Eymerici hæreticæ prauitatis in regno Aragoniæ Inquiſitorem, de & ſuper nonnullis articulis fidem tangentibus; & ipſorum occaſione parte ex alterâ. In quâ ad nonnullos actus etiam coram eodem Domino Cardinale iudice & Commiſſario citra tamen concluſionem inter dictas partes extitit proceſſum & tandem copiam ſiue ſchedulam cuiuſdam litteræ Apoſtolicæ per fel. rec. Dominum Gregorium Papam XI. vt idem Antonius aſſeruit, facta eidem Cardinali tradidit, atque dedit, cuius tenor ſequitur, & eſt talis. Gregorius Epiſcopus, &c. ſubiicitur tota decretalis iam præmiſſa; & ſequitur; *Quæ ſiquidem copia ſiue ſchedula, per dictum Antonium, Domino Cardinali memorato, tradita; idem Antonius ipſum Dominum Cardinalem inſtanter requiſiuit, quatenus venerabilibus viris litterarum Apoſtolicarum regiſtratoribus per ſuas litteras ſcriberet; eiſque nihilominus authoritate Apoſtolicâ ſibi*

ſibi in hac parte commiſſa, præciperet, & mandaret: ut litteras in dictâ ſchedulâ contentas in regiſtris eis commiſſis, diligenter perquirerent, & ſi eas repererint, ſumptum ſiue inſtrumentum tranſumptum earundem clauſum, & ſigillatum prout moris eſt in talibus fieri ac ita & taliter, quod eis fidês adhiberi valeret, præfato Domino Cardinali tranſmitteretur, expenſis moderati dicti Antonij, vt ipſo mediante poſſet, & valeret partibus ſupradictis debitum iuſtitiæ adminiſtrare, quoniam præfatus Antonius pro ſui iuris fundamento ſumptum prædictarum litterarum, coram dicto Domino Cardinali, vt aſſeruit, producere intendebat. Qui quidem Dominus Cardinalis iudex & Commiſſarius attendens quod iuſta petentibus non eſſet denegandus aſſenſus, ſupradictarum litterarum Apoſtolicarũ regiſtratoribus, modo & formâ per dictum Antonium ſuperius petitis, per ſuas litteras auctoritate Apoſtolicâ ſcripſit & mandauit ipſáſque per porterium & Nuncium ſuum iuratum eiſdem regiſtratoribus præſentari fecit. Qui porterius poſtmodum Domino Cardinali iudici & Commiſſario memorato, ac mihi Notario infraſcripto retulit, qualiter dicti Domini litterarum Apoſtolicarum regiſtratores in regiſtris eis commiſſis anni ſexti præfata felicis recordationis Domini Gregorij Papæ XI. diligenter perquiſierunt, & factâ diligenti perquiſitione eidem porterio, vt aſſeruit, dixerunt, quod in eiſdem regiſtris litteras in ſuprascriptâ papyri ſchedulâ contentas non repererunt regiſtratas. Subſequenter autem Venerabilis vir Dominus Ioannes à Bonis vnus de litterarum Apoſtolicarum regiſtratoribus, in mei Notarij prædicti & teſtium fide dignorum præſentia Domino Cardinali iudici & Commiſſario præfato retulit & dixit, quod dictam ſchedulam in regiſtro ſibi commiſſo anni ſexti dicti Domini Gregorij per ſuos clericos non ſolum ſemel, ſed pluries diligenter perquiri fecit, & quod litteræ in ſæpedictâ ſchedulâ contentæ in ſuo regiſtro non fuerunt, neque erant regiſtratæ. Deinde præfatus porterius & nuncius iuratus litteras dicti Domini Cardinalis vnà cum ſchedulâ ſiue copiâ præinſertâ prædicto Domino Cardinali reportauit & mihi Notario infraſcripto in præſentia teſtium infraſcriptorum retulit & dixit quod venerabiles viri Domini Bernardus Fortis, alter de litterarum Apoſtolicarum regiſtratoribus, & Ioannes Ludouici Cameræ Apoſtolicæ Notarius, in dorſo dictæ ſchedulæ ſiue copiæ per ipſum vt præmittitur, reportatæ, & vt præfertur, præinſertæ ſcripſerunt in hunc modum qui ſequitur: Notum ſit omnibus quod Ego Bernardus Fortis litterarum Apoſtolicarum regiſtrator perquiſiui diligenter regiſtrum mihi commiſſum anni 6. ſanctæ memoriæ Domini Gregorij Papæ XI. quod in eodem regiſtro litteras in præſenti ſchedulâ papyri annotatas non reperio regiſtratas. In cuius rei teſtimonium, hîc manu propria ſubſcripſi, & ſignaui die 9. Iulij anno à natiuitate Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo quinto. Bernardinus Fortis regiſtrator. Notum ſit omnibus quod ego Ioannes Ludouici Cameræ Apoſtolicæ Notarius perquiſiui diligenter regiſtrum litterarum Apoſtolicarum eandem Cameram tangentibus anni ſexti Pontificatus ſanctæ memoriæ Domini Gregorij Papæ XI. & quod in eodem regiſtro literas in præſenti ſchedulâ papyri annotatas, non reperio regiſtratas. In cuius rei teſtimonium, hîc manu propriâ me ſubſcripſi & ſignaui die 9. Iulij anno à natiuitate Domini milleſimo trecenteſimo nona

Atteſtatio cuſtodũ regeſti Gregoriani

nonageſimo quinto. Tho. Xiſti. Tandem die & horâ infraſcriptis coram Domino Cardinale iudice & Commiſſario præfato, in meóque Notarij publici & teſtium infraſcriptorum ad hæc ſpecialiter vocatorum, & rogatorum præſentia perſonaliter conſtitutus prædictus Antonius Riera, citra tamen procuratoris ſui reuocationem, & de præmiſſis omnibus & ſingulis mandato relationibus, & aliis ſupraſcriptis, & deſignatis à tempore traditionis dictæ præinſertæ ſchedulæ, & citra factis, petiit ſibi fieri vnum vel plura publicum ſeu publica inſtrumentum ſeu inſtrumenta per me Notarium publicum infraſcriptum. Acta fuerunt hæc Auinioni in domo habitationis dicti Domini Cardinalis horâ nonâ vel quaſi, ſub anno à natiuitate Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo quinto, indictione 3. die Sabbati 10. menſis Iulij Põtificatus Sãctiſſ. in Chriſto Patris & Domini noſtri D. Benedicti diuinâ prouidentiâ Papæ XIII. Anno 1. præſentibus ibidem venerabilibus viris Dominis Durando Tunduci in decretis Licentiato dicti Domini Cardinalis Camerario, ac Magiſtro, Dominico Pauardi in vtroque iure bacchalario hac in Romanâ Curiâ procuratore teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Et ego Thoico Rodulphi de Camica villa Clericus Tarraconenſis Diœc. publicus Imperiali authoritate Not. ac præfati Reuerend. in Chriſto Patris & Domini Cardinalis iudicis & Commiſſarij, & cauſæ huiuſmodi, coram eo ſcriba, præmiſſis omnibus, & ſingulis, dum ſic vt præmittitur agerent & fierent vnà cùm prænominatis teſtibus præſens interfui, eáque ſic fieri vidi, & audiui; ideóque hoc præſens publicum inſtrumentum, per alium, me alus occupato negotiis, ſcriptum in hanc publicam formam redegi; hícque manu propriâ ſcripſi & ſigno meo ſoluto & conſueto ſignaui rogatus & requiſitus in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum.

Inſtrumentum factum eſt anno decimo ſexto poſt datam decretalem nomine Gregorij, lite ſuper eius veritate pendente inter ſuperſtitem tum Eymericum ex vna parte & procuratores cauſæ Lullianæ, vt conſtat ex prœmio, & narratione inſtrumenti: perquiſita ſunt regeſta Gregorij ex commiſſione Cardinalis iudicis, vtérque Notarius tam qui Archiuio, quàm qui Cameræ præfuit fidem faciũt eam decretalem non inueniri, non dicunt regeſtum excidiſſe, aut deperditum eſſe, neque id tum ipſe Eymericus obiecit, alioquin hæc tranſirent in ſubſtantiam inſtrumenti, atque de integritate regeſti fieret inquiſitio neceſſaria; vnde ergò aduerſarius melius id nouerit, ſeu talem euaſionem poſt ducentos & aliquos annos fulcire poteſt, quam reus Eymericus in ſuam cauſam non eſt auſus prætexere? nempe quò longius à rei notitiâ receditur, eò maior licentia quoduis impunè fingendi præſumitur.

Efficax argumentum.

Sed fraudem obiicies, quaſi ſubtractam perperam decretalem quidam ſuppreſſerint. Leuis ea ſuſpicio, & in omnes occaſiones prompta, ſed friuola; neque alioquin cuſtodes Archiuij traducendi, nec tum ab ipſo Eymerico id obiectum, vel ſi obiectum, non fuit admiſſum. Nec inane corruptelæ argumentum eſt contra Eymericum quod aliæ duæ epiſtolæ decretales aduerſus Lullum, ſurreptitiæ licèt, obtentæ adhuc ſuperſint ſuis locis in regeſto anni 2. & 4. decretalis non ita. Præmiſſas

litteras

litteras tranſcripſit Bzouius num. 19. & 20. inſinuauit Penna in Comment. quæſt. 26. 2. part. Directorij in calce. in iis obtentæ decretalis non leue fundamentum ſe habere putant, quod mihi Eymericianæ corruptelæ non minus eſt iudicium, id facilius monſtrabitur ſi vtramque lectoris oculis, & iudicio ſubiiciamus. Prima talis eſt.

GREGORIVS EPISCOPVS,

Seruus ſeruorum Dei, &c.

NVper dilecto filio Nicolao Eymerici Ord. fratrum Prædicatorum profeſſore Magiſtro in Theologia in partibus Aragoniæ Inquiſitore hæreticæ prauitatis nobis referente percepimus quod in partibus illis nonnulli laici quàm plures libros habent in vulgari, per Raymundum Lull. ciuem Maioricenſem compoſitos, in quibus vt idem Inquiſitor videtur aſſerere, errores quàm plurimi in fide continentur. Nos igitur in præmiſſis prout ex debito tenemur paſtoralis officij, prouidere volentes fraternitati tuæ, de quâ in his, & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus huiuſmodi libros per quoſcumque habeantur, ſeu detineantur, tibi facias exhiberi, etſi per tuam, ac dicti Inquiſitoris, & aliorum Magiſtrorum in Theologia facultate, & iuriſperitorum, quos propterea coram te euoces, repereris, quod præfati libri errores in fide contineant, eoſdem libros comburas, & comburi facias, atque mandes, inuocato ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachij ſæcularis, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia iuris remedia de quibus videbitur, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis de vna, & de duabus dictis, & aliis contrariis quibuſcumque, ſeu ſi eidem Raymundo, vel quibuſuis aliter, communiter, vel diuiſim à Sede Apoſtolicâ ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra, vel vltra certa loca ad iudicium euocari non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Datum apud Pontem Sergiæ Auenionenſis diœceſis 9. Iunij anno. 2.

GREGORIVS EPISCOPVS,

Seruus ſeruorum Dei, &c.

AD audientiam noſtram fide dignâ relatione perducto, quod dilectus filius Franciſcus Vitalis præfati Epiſcopi Notarius quendam librum Raymundi Lulli in pergamenis & in vulgari Cathalanico ſcriptum aſſignatum eidem Franciſco in cuſtodiam per vos, & dilectum filium Nicolaum Eymerici Ordinis Prædicatorum Profeſſorem Inquiſitorem hæreticæ prauitatis, in quo errores ſcripti plurimi perhibentur, apud ſe habet, diſcretioni

veſtra per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſtatim viſis præſentibus abſque alicuius moræ diſpendio præfatum librum ad manus veſtras receptum, ad nos per fidem & idoneum portitorem mittere procuretis. Cauete ne vllam in his committatis negligentiam vel defectum. Datum apud Villam-Nouam Auenionenſis diœceſis Kalend. Octob. anno 4.

Hæ dictæ litteræ, informatione Eymerici prima proculdubio emanauit, (idem de altera præſumitur) eâ ſurreptione, quâ reliqua contra Lullum eſt commentus. Prima data eſt anno 2. Pontif. Gregorij. Decretalis autem anno ſexto quod inſtar argumenti eſt, famam, & opera, non obſtante primâ commiſſione ad Tarraconenſem, eouſque ſalua permanſiſſe Lullo. Quid ergo? commiſſum negocium contempſit Tarraconenſis in tanto populi periculo? id nemo dixerit? Quid igitur præſumendum? nempe ſurreptionem informationis compertam eſſe, quam Eymericus expoſuit. Quod cauſæ mox fuerit, cur ad artes conuerſus damnationem ſub nomine Gregorij expoſuerit, quam aliunde æquo iure, aut iudice extorquere non valuit, homo, vt fertur, immutabilis propoſiti, nec à machinationibus niſi coactus deſiſtens. Sed hæc obiter, pergamus ad Gregorianam decretalem.

Alia argumenta corruptelæ Emericianæ.

Secundò fidem conſtitutionis detrahit exorbitantia ſtili, qui alienus eſt à iure communi, & ſtylo Curiæ Romanæ, quia nec articuli damnati, à quibus cauere fideles deberent, in decretali exprimuntur, nec nomina librorum in quibus continebantur, & à quibus abſtineri deberet; quod inſuetum eſt, & alioquin defectum continet; quia non ſufficienter eâ ratione prouideretur periculo, aut neceſſariæ inſtructioni fidelium; alij obiiciunt inſuper incongruitatem locutionis, quæ Pontificias decretales vitiat; addo ſapere idiotiſmum vernaculum ex crebrâ pronominis demonſtratiui repetitione, & obſoletum, neſcio quem ſitum (vt curioſius intuenti apparebit) alienum à ſtylo Pontificio.

Sed hiſce contemptis, demus eam conſtitutionem à Pontifice emanaſſe, ſurreptio eius & obreptio manifeſtè probatur ex eo, quod articuli damnati, quos Eymericus recenſet, non ſint Lulli, ſed deprauati per Eymericum corrupto textu atque à vero ſenſu abrupto per additionem, detractionem, interruptionem, truncationem, & malignam authoris interpretationem, cuius ſenſus ex littera ipſa aliorúmque locorum collatione de facili inuenitur verus & Catholicus. Hoc ex parte quoad articulos deſumptos ex libro, quem de Philoſophia amoris Lullus inſcripſit, pro tribunali ſedens Fr. Bernardus Ermengandi Prouincialis Prædicatorum, & Inquiſitor hæreticæ prauitatis in Prouincia Aragoniæ præmiſſa inquiſitione pronunciauit; vt ſequens inſtrumentum fide publicâ docet.

Nouerint vniuerſi, quod die Sabbati noſtâ decimâ die Maij anno à natiuitate Domini milleſimo trecenteſimo octogeſimo ſexto in præſentiâ mei Notarij, & teſtium ſubſcriptorum exiſtentibus perſonaliter in Monaſterio fratrum Minorum Barcinone Reuerendo Patre Magiſtro Bernardo Ermengandi Prouinciali Prædicatorum, & Inquiſitore hæreticæ prauitatis, in Prouincia Aragoniæ, necnon & fratre Antonio Falqueti, fratre Franciſco

Marmandi in ſacrâ paginâ Magiſtris de dicto Ordine Prædicatorum; fratre Arnoldo Peregrini Confeſſore Illuſtriſſimæ Dominæ Reginæ Aragonum: fratre Bernardo Broll, in eadem ſacrâ paginâ Magiſtris: Fratre Berengario Laqueti Cuſtode: fratre Ioanne de Pagueria Baccalario Conuentualibus Barchinon. dicti Ordinis fratrum Minorum, in camerâ ſcilicet, ſiue cellâ, quam præfatus Religioſus Magiſter Arnoldus Peregrini tenet in dicto Monaſterio fratrum Minorum, præfatus Reuerendus Dominus Inquiſitor dixit, & propoſuit, quod ad inſtantiam quorundam amicorum venerabilis Raymundi Lulli quondam ciuis Maioricarum ipſe pro infraſcriptis vocauerat ad concilium omnes dictos Magiſtros, & fratres & narrauit ibidem, quomodo tempore Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini D. Gregorij ſanctæ mem. Papæ XI. Reuerendus Pr. Magiſter Nicolaus Eymerici Ordinis Prædicatorum, tunc Inquiſitor hæreticæ prauitatis in Prouincia Aragoniæ, fecerat condemnari aliquos articulos, quos dicebat, ſe inueniſſe in diuerſis libris dicti Raymundi Lulli, nominando ipſos libros: inter quos autem articulos erant, vt dixit idem Dominus Inquiſitor Magiſter Bernardus, tres, quos idem Magiſter Nicolaus dicebat ſe inueniſſe in quodam libro facto per dictum Raymundum Lull. intitulato de Philoſophia amoris, quos articulos dictus venerabilis Dominus Inquiſitor, Magiſter Bernardus Ermengandi, tradidit mihi Notario in ſcriptis compoſitos in latino, & ſunt iſti.

Primus, quòd Deus habet multas eſſentias.

Secundus, quod in faciendo bonum, non oportet ſpectare, quòd Deus incipiat; quia iam incepit, quando nos creauit, & pro conſeruatione noſtra, mundum nobis dedit, vt ei ſeruiamus, & eum honoremus.

Tertius eſt, quod virtus eſt ita bona, & quantitate magna, quod omnis homo poteſt eam habere pro ſua voluntate. Dixit etiam & aſſeruit idem Dominus Inquiſitor Magiſter Bernardus, quod ipſe viderat & recognouerat præfatum librum Philoſophiæ amoris, & quod non inuenerat in ipſo libro dictos articulos condemnatos, vt iacebant condemnati; licèt inueniſſet in eodem libro tres articulos, à quibus dicti tres articuli condemnati fuerunt abſtracti: quos ſimiliter idem Dominus Inquiſitor frater Bernardus tradidit mihi dicto Notario, vt erant ſcripti in ipſo libro intitulato de Philoſophia amoris, quem in manu tenebat ſcriptum in vulgari, & ſunt iſti.

Primus. Queſtio. Graneſa de amor, dix lamich, en mon Amat ha moltes eſſenties? ſolutio. Amich, dix graneſa de amor, en les definicions compoſtes al meu capitol es ſignificat, quel amich es tan ligat ab ſon Amat per vna eſſentia damdos, que nos poden departir.

Secundus ponitur ſic. Dones, è donzelles damor, dix lamich, manifeſta rao es, quel Amat vol eſſer honrat en lo mon toſtems; e vol ſal vacio de homes, e no damnacio. E per ayço ninguno pot, ne deu inculpar lamat, que ell no vulla eſſer honrat, ne ſal vacio de gents: per que lo defalliment no es de part de Deu, mes es de part dels homes: que nol volen honrar. E vos altres jam havets dit, que nous cal que jous prech que hats en mon amor: ans ne pregats vos altres mi, que jo vos hi vulla metre. En axi es de Deu nous cal eſperar que ell comens, car ja ha començat, en quant ha los homes

 creats;

creats ; e lo mon lus ha donat ; per ço quel tengan en lur cor en lo mon honrat. Comencen donchs a honrar lamat, e amen per lo mon ça, ella per honrat lamat.

Tertius articulus ponitur ſic ad litterã. Amadors los Angels, Cel, Elements, plantes, beſties, homes, e tota res qualque ſia, ha virtud de mon Amat, car en axi cõpren la ſua virtud totes altres virtuts, con la ſua boneſa totes les altres boneſes: e la ſua graneſa totes les altres graneſes. E totom, que vulla hauer morals virtuts per amor de la virtud de mon Amat, ne pora aytantes hauer, e en aytanta boneſa, e graneſa com ne pora voler. Quibus prolatis & narratis, dictus Reuerendus Dominus Inquiſitor Magiſter Bernardus Ermengandi interrogauit omnes ſuperiùs nominatos Magiſtros in Theologiâ, & alios ſupradictos fratres Theologos, qui ibi erant, collationem ſuper eis facientes ſi dicti articuli, vt in latino iacent condemnati, & ſupra ſunt inſerti, erant in dicto libro Philoſophiæ amoris ; vel ſi poterant elici ex dictis poſitis in libro prædicto. Etiam interrogauit ſi dicti articuli, vt iacent in dicto libro eo modo, quo dictum eſt, vt ſupra ſunt inſerti ; ſunt boni & veri Catholici. Et omnes dicti Magiſtri, & alij fratres per dictum Dominum Inquiſitorem Magiſtrum Bernardum interrogati per capita tenentes & legentes ibi coram omnibus prædictos tres articulos condemnatos, & prædictum librum de Philoſophia amoris ; dixerunt quod ſemel, & pluries quilibet per ſe viderat & recognouerat aſſiduè, & diligenter prædicta: & quod dicti articuli condemnati, vt iacebant, & ſupra ſunt inſerti, non erant in dicto libro, nec poterant elici ab eo, & quod articuli ſupradicti poſiti in libro prædicto Philoſophiæ amoris erant boni, veri, & Catholici. Dixerunt præterea & affirmarunt omnes prædicti Magiſtri & fratres, quod eſto, quod dicti articuli poſiti per dictum venerabilem Raymundum Lull eo modo, quo ſunt poſiti, vt ſupra, ſunt inſerti in vulgari ab omnibus poſſunt videri veri, & Catholici; multò magis legendo præcedentia, & ſequentia ipſius libri, & inſpectis aliis ſuis libris patet clarè, vt dixerunt, prædictos ſuos articulos eſſe veros & Catholicos, & articulos condemnatos nullo modo eſſe ſuos, nec ſuæ intentionis. Subiicitur huius fuſior probatio, ac tandem ſequitur. *Dixerunt etiam dicti Magiſtri, & fratres quod in aliis locis dicti libri Philoſophiæ amoris, videtur clarè quod dictus venerabilis Raymundus Lull, loquebatur de dicto articulo, & de aliis ſuperiùs contentis regulatè, benè, verè, & Catholicè. Et ideò omnes tam Dominus Reuerendus Inquiſitor Magiſter Bernardus Ermengandi, quàm dicti alij Magiſtri & fratres ſuperius nominati in dicto loco congregati vnanimiter concordantes, nemine diſcrepante, narratione factâ de prædictis, vt ſuperiùs eſt dictum, in præſentiâ mei dicti & infraſcripti Notarij, & teſtium infraſcriptorum concluſerunt & dixerunt ibidem ſingulariter, & diſtinctè ; primò per dictum Inquiſitorem ſuà intentione prolatâ ; quod dicti articuli, vt iacent condemnati, licèt vt iacent in condemnatione benè fuerint condemnati, tamen non ſunt conſcripti in dicto libro Philoſophiæ amoris, nec ab eo, nec à contentis in eo poterant elici, nec intelligi formaliter, nec æquipollienter, tacitè vel expreſsè, directè, nec etiam indirectè : immò ipſi articuli condemnati, qui ſuperiùs ſunt inſerti in latino, malè dicto libro fuere attributi. Et quod articuli prædicti in vulgari*

poſiti

poſiti in dicto libro Philoſophia amoris, qui ſuperius pariter ſunt inſerti, ſecundùm pracedentia & ſequentia, & modum loquendi Doctoris, ſunt boni, veri, fideles, & Catholici, & nullâ rubigine hareſis maculati: pradicta (vt dixerunt) pro concluſionibus capientes. Quibus ſic factis, & dictis, in continenti Venerabilis Ioannes Lullij ibidem præſens, & vices portans in hac parte (vt dixi) & nomine ſuo, & omnium dictorum amicorum dicti Venerabilis Raymundi Lull, petiit ſibi de prædictis fieri, & tradi tot quot petierit inſtrumenta per me Notarium infraſcriptum ad habendum memoriam de prædictis. Quæ fuerunt facta in dicto Monaſterio fratrum Minorum Barchinone, in cella prædicta, die & anno prædictis: præſentibus religioſis Fratre Bernardo Magiſtri, Fratre Antonio de Fonte, fratre Michaele Peris Conuentualibus dicti Monaſterij Fratrum Minorum ad hæc vocatis pro teſtibus, & me Petro Dalmatij Notario infraſcripto.

Ego Frater Bernardus Ermengandi Magiſter in Theologia Prior Prouincialis Fratrum Prædicatorum & Inquiſitor hæreticæ prauitatis manu propria ſubſcribo, & ſigillum Prouincialatus appoſui in pendenti in teſtimonium præmiſſorum.

Ego Fr. Antonius Falquet ſacræ paginæ profeſſor, hic manu propria ſubſcribo.

Ego Fr. Franciſcus Marmandi Sacræ Theologiæ Magiſter hic propriâ manu ſubſcribo.

Ego Fr. Arnoldus Peregrini Sacræ Theologiæ Magiſter prædictus ſubſcribo manu propriâ in teſtimonium præmiſſorum.

Ego Fr. Bernardus Broll Sacræ Theologiæ Magiſter prædictus ſubſcribo manu propriâ me, in teſtimonium præmiſſorum.

Ego Fr. Dalmatius de Caſtellario prædictus manu propriâ me ſubſcribo.

Ego Frater Berengarius Laqueti prædictus manu propriâ me ſubſcribo in teſtimonium præmiſſorum.

Ego Fr. Guilielmus Arago prædictus ſubſcribo me propriâ manu in teſtimonium præmiſſorum.

Ego Fr. Ioannes de Laqueria prædictus manu propriâ me ſubſcribo in teſtimonium præmiſſorum.

Signum mei Petri Dalmatij authoritate Regia Notarij publici Barchinone, qui prædictis dum per dictos Reuerendos Dominos Fratres Bernardum Ermengandi, & alios ſuperiùs nominatos in dicta cella congregatos, fiebant & dicebantur, vnà cum prænominatis teſtibus interfui requiſitus, & ea in hanc publicam formam ſcribi feci, & propriis ſubſcriptionibus ipſorum fratrum ac ſigillo Prouincialatus prædicti appoſito clauſi. Hæc acta ſunt octauo poſt datam decretalem anno.

Tandem anno 1419. authoritate legati Apoſtolici Domini Alamani Cardinalis in eadem cauſa proceſſit Reuerendiſſ. Dominus Bernardus Epiſcopus Ciuitatis Caſtelli, vtrumque proceſſum iam præmiſſos recognouit, approbauit & confirmauit aliúſque probationibus adductis dictam conſtitutionem pro ſuppoſititia denuò declarauit & quidquid

quoquo modo eius prætextu attentatum fuit contra Lullum caſſauit, & reſcidit.

Bernardus miſeratione diuinâ Epiſcopus Ciuitatis Caſtelli Commiſſarius ad infraſcripta, per Reuerendiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum Alamannum miſeratione diuinâ Cardinalem & Legatum infraſcriptum deputatus. Vniuerſis & ſingulis Chriſti fidelibus ad quem vel ad quos præſentes peruenerint, Salutem in Domino Ieſu Chriſto. Literas per gamenas præfati Reuerendiſſ. Domini Legati eius ſigillo pendenti in quibuſdam cordonibus de filo rubeo ſigillatas, ſanas, & integras, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliquâ ſui parte ſuſpectas: ſed omni prorſus vitio & ſuſpicione carentes: commiſſionem de & ſuper infraſcriptis nobis factam continentes; nobiſque pro parte honorabilium conſanguineorum & amicorum quondam Magiſtri Raymundi Lull in eiſdem litteris nominati præſentatas. Nos cum eâ quâ decuit reuerentiâ recepiſſe nouerit is, ſub hac forma. Alamanus miſeratione diuinâ tituli S. Euſebij S. R. Eccleſiæ presbyter Cardinalis in Aragoniæ, Valentiæ, Nauarræ regnis ac Maioricarum & Minoricarum inſulis in nõnullis alıis partibus, & terris Apoſtolicæ ſedis Legatus Reuerend. in Chriſto Patri Domino Epiſcopo Ciuitatis Caſtelli ſalutem in Domino ſempiternam. Sua nobis conſanguinei, & amici quondam Magiſtri Raymundi Lull petitione monſtrarunt quod olim quidam frater Nicolaus Aymerici Ord. Prædicatorum tunc in regno Aragoniæ, officium Inquiſitoris hæreticæ prauitatis exercens tempore felicis recordationis Gregorij Papæ XI. contra artem, & doctrinam ipſius Magiſtri Raymundi, vigore cuiuſdam fictæ bullæ (vt aſſeritur) per ipſum falsè fabricatæ, temerè attentauit in famæ ipſius Doctoris, & artis eiuſdem denigrationem & non modicam læſionem. Quare pro parte ipſorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt attentata huiuſmodi nulla fore, declarare, ipſaſque caſſare & annullare, authoritate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur de præmiſſis plenam notitiam non habentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati circumſpectioni veſtræ tenore præſentium committimus, & mandamus (quatenus ſi eſt ita) quicquid per ipſum Fratrem Nicolaum inueneritis contra ipſum Magiſtrum Raymundum & opera ſua temerè attentatum, in ſtatum priſtinum reuocare curetis, eadem nulla & caſſa ac irrita, authoritate præfata, penitus nunciantes. Datum Barchinone 2. Calend. Martij anno à natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo decimo nono: Pontificatus Sanctiſſimi Domini noſtri D. Martini diuina prouidentia Papæ V. anno ſecundo. Poſt quarum quidem literarum præſentationem, & receptionem fuimus cum inſtantia debita requiſiti, vt ad executionem in dictis litteris contentorum, procedere curaremus, iuxta traditam ſeu directam à præfato Reuerend. D. Legato, in præinſertis litteris nobis formam & ad fundandam eorum intentionem dixerunt, propoſuerunt, & produxerunt dicti conſanguinei & amici per ordinem, quæ ſequuntur, &c. Poſtquam autem inſeruit dictos proceſſus & alia plura argumenta corruptelæ Eymericianæ, iiſque diligenter recognitis, ad ſententiam proceſſit hac forma. *Quæ omnia ſuperiùs poſita ſeu inſerta per nos dictum Commiſſarium attentè lecta, diligenter recognita, & intelligibiliter conſiderata fuerunt: habita ſiquidem per nos deliberatione matura, & digeſto conſilio cum expertis in ſimilibus & peritis, cùm propoſita*

& pro

& producta ſuperiùs coram nobis & aliis clariſſimè conſtet nobis,quod dicta bulla attentâ eius formâ,& aliis indiciis perſpicuis ſuperiùs tactis,eſt euidentiſſimè ſaltem de falſitate ſuſpecta. Item quòd per allegata & producta ad oſtendendam,ſeu probandam obreptionem, aut ſubreptionem, dictæ bullæ, demonſtratur euidenter, quod poſito, quod ipſa non fuerit falſa, nullo modo poterat excuſari, quod non fuerit ſubreptitiè impetrata; cùm per tenorem dictæ bullæ videatur, quod tota ratio impetrationis ipſius fuit affirmatio, quod in libris prædictis Doctoris erant plures articuli erronei & hereticales, quorũ librorum per documenta authentica ſuperiùs inſerta videtur apertè prædictum Fratrem Nicolaum Eymerici tunc Inquiſitorem corrupiſſe, & mutaſſe verba prædicti Doctoris, & etiam mentem & intentionem, quam habuit, Catholicam, prout monſtrat apertiſſimè finis.ſeu finalis concluſio librorum dicti Doctoris Raymundi; in quibus expreſſè ſubmittit ſcripta,dicta, & edita per ipſum determinationi, & correctioni Eccleſiæ Sacroſanctæ. Ex quo fundatur legitimè,ſcripta ſua non deuiare à iuſto tramite Catholicæ veritatis; & detegitur, eliditurque ſiniſtra intentio, opinio, & perſecutio Nicolai prædicti. Et cum vtraque paginâ atteſtante, ſtatuentéque, & mandante, impetrantes litteras,prouiſiones, ſeu reſcripta, per fraudem ſeu malitiam à Summo Pontifice, veritatem tacendo ſeu ſupprimendo & falſitatem ſuggerendo vel exprimendo, in ſuæ peruerſitatis pœnam nullum ex talibus commodum conſequi poſſint; nec eorum prætextu eſſet aliqualis poteſtas vel iuriſdictio attributa, cuius virtute ſit aliquatenus procedendum; cùm ſummus Pontifex,tales prouiſiones ſeu litteras denegaſſet veridicè informatus. Aſſerens verò poteſtatem habere ab eo cum qualitatibus ſupradictis, nullatenus interponere poterat ſua cognitionis officium, & conſequenter eius occaſione de facto enantatarunt, tanquam carentia legitimo fundamento.

SENTENTIA DIFFINITIVA.

PRO *tanto. Nos Bernardus Epiſcopus & Commiſſarius prædictus authoritate Apoſtolicâ nobis in hac parte commiſſâ dicimus,volumus, & decernimus, & pronunciamus, quod quidquid inueniatur quomodocumque & qualitercumque enantatum, mandatum, comminatum, proceſſum, factum occaſione, authoritate ſeu ratione dictæ ſubreptitiæ, ac obreptitiæ bullæ & de falſitate euidenti nimis ſuſpectæ, teneatur pro vano, caſſo,irrito,& nullo, & pro infecto, ſeu non facto ab omnibus reputetur: ſicut & nos ex poteſtate nobis attributa ſuper iis, quæ ex noſtro officio nobili vtimur, & vti volumus, prædictis attentis, caſſamus, irritamus, annullamus,ſeu ad nihilum reducimus; reducentes etiam authoritate Apoſtolicâ ipſum Doctorem Raymundum Lull, & omnia dicta, ſcripta, & opera ſua, & omnia alia ratione prædictâ quomodocumque & qualitercũque & per quemcumque & contra quoſcumque & coram quibuſcumque proceſſa & actitata ad ſtatum priſtinum, & primæuum, ac ſi in contrarium eorum, nihil vnquam fuiſſet dictum, ſcriptum vel aliàs quomodolibet enantatum. Reſeruantes & ſubmittẽtes correctionem, determinationem aut authorizationem doctrinæ dicti Doctoris, ſedi Apoſtolicæ*

licæ, cuius eſt de talibus cognoſcere & ordinare; ſicut ipſemet Doctor, vt verus Catholicus expreſsè ſubmittit. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium premiſſorum, præſentes noſtras litteras, ſeu præſens publicum inſtrumentum per Notarium publicum infraſcriptum fieri, & publicari mandauimus; noſtrique ſigilli appenſione muniri. Datum & actum Barchinone ſub anno à natiuitate Domini milleſimo, quadringenteſimo decimo nono, die verò 24. menſis Martij præſentibus honorabilibus viris DD. Antonio Zeno Decretorum Doctore Canonico Papien. Arnoldo de Torrentis Conſiliario hoc anno Ciuitatis Barchinonen. Bernardo de Marimundo maiore dierum & Fran. ſeruent. Licentiato in legibus, Ciuibus dictæ Ciuitatis Barchinon. pro teſtibus ad præmiſſa vocatis, rogatis ſpecialiter & aſſumptis, ac me Gabriele Cannelles Notario infraſcripto. Viſa per me Epiſcopum præfatum. Signum ✠ mei Gabrielis Cannelles, authoritate Regiâ Notarij publici Barcinon. qui præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ſicut præmittitur coram dicto R. D. Com. & per eum agerentur & fierent vnà cum prænominatis teſtibus præſens fui, hocque ſcribi feci, ac ſigillo ipſius Domini Epiſcopi hic appoſito impendenti clauſi cum ſuprapoſito in lineis XX. Grandinocenſi; & LXV. Loco dicti. Et LXXXV. ſum. Et LXXXX. ſupponit & CXVIII. Et primo de primo ſic dicemus. Nullus intellectus poteſt in via intelligere Deum eſſe, ſine habitu fidei & CXXXIIII. & credere. Et cum raſo in CXXV. diſtinctione. Et etiam cum ſuprapoſito in linea XXXVIIII. Bulla. Et etiam in Linea CXXIIII. ſed Deus eſt ens magis agens extenſiuè: ergo Deus cauſat ſuum ſignum agentis magis agentis extenſiuè.

Ad hæc lepidè reſpondet Bzouius n. 27. Inprimis Alemanum Legatum non potuiſſe in cauſa cognoſcere ſine ſpeciali mandato Pontificis, quia res grauis fuit, nec potuit cauſam fidei committere alij cognoſcendam; quod Bernardus Emeringaudi Inquiſitor ſuſpectus fuit, eò quòd vrgente Petro Aragoniæ Rege hoſte acerrimo Eymerici, eóque poſtulante, & amicis Lulli, ac in monaſterio Fratrum minorum præſentibus tantùm tribus Dominicanis, ſex verò Franciſcanis Lulliſtis, proceſſerit: Sed hanc reſponſionem iudicio lectoris permitto, cuinam fides debetur Bzouij coniecturis, an perſonis omni acceptione maioribus, ac tabulis & publicis monumentis: hac enim ratione omnia in vniuerſum tribunalia, omnes tranſactiones, & quæcumque hominum commercia vocare licet in diſcrimen. De authoritate Legati perperam iudicat; demus porrò ordinariam eius poteſtatem ſtrictiorem eſſe, quàm vt ad præſentem cauſam potuerit extendi, ex facto tamen ſpecialem commiſſionem interpretari liceret; licèt prior ſufficiat. Sed differat nobis quænam illæ inimicitiæ Petri Aragonij cum Eymerico? imò quæ omnium? an quia taumaturgus? nihil minùs, verùm quia Petrum commemorauit Bzouius, ego Ioannem eius filium non amittam? ita porrò ille in Eymericum ſtatuit.

Sententia Ioãnis Regis in Eymericum.

Ioannes Dei gratia Rex Aragonum, Valentiæ, Maioricarum, Sardinæ & Corſicæ, Comeſque Barcinone, Ronſilionis, & Ceritaniæ dilectis & fidelibus noſtris cuicumque. Poſt noſtri à terris ciſmarinis receſſum, reſidenti in Gubernatorem aut locum tenentem generalem regnorum, & terrarum noſtrarum

ac

ac vniuerſis,& ſingulis officialibus, & ſubditis noſtris vbilibet conſtitutis, ac ipſorum officialium loca tenentibus; & aliis,ad quos infrà pertinere noſcantur ſalutem, & dilectionem. Vobis notum facimus per præſentes,quod nos dudum contra illum hominē peſtilentem Fratrem Nicolaum Eymerici noſtri & noſtrorum ſubditorum publicum inimicum,ſuis deteſtationibus,& deprauatis actibus exigentibus prouiſiones fecimus ſubſequentes. IOANNES Dei gratiâ Rex Aragonum, &c. *Vniuerſis & ſingulis Prælatis & Eccleſiaſticis perſonis, Comitibus, Vicecomitibus, nobilibus, militibus & generoſis cæteriſque priuatis perſonis cuiuſuis gradus & conditionis exiſtant, nec non quibuſcumque officialibus noſtris vbilibet conſtitutis ac loca tenentibus eorundem ad quos peruenerint ſalutem & dilectionem.Culpis grauibus contra noſtram Regiam Maieſtatem; & quod multò magis nos aggrauat, in diuinam commiſſis, per illum nequam hominem Fratrem Nicolaum Eymerici de Ordine Prædicatorum colore officij Inquiſitionis hæreticæ prauitatis cui nūc vſque in Regnis & terris noſtris damnatiſſimè præfuit multipliciter exigentibus, quas pro nunc ex quadam vrbanitatis modeſtia, & ne ipſius licèt peſſimi,verumtamen naturalis Imperij noſtri vnde omnes appetimus tam in fama quam in moribus eſſe cæteris meliores, rea nimis infamia ſugillatum in aures veniat populorum, omittimus, eundem Fratrem Nicolaum noſtræ Reuerentiæ & honori, ac etiam fidei orthodoxæ ſuſpectum noſtrum, quoque & noſtrarum gentium notorium inimicum præſentis, & alterius noſtræ ſibi directæ patentis litteræ ſerie vniuerſis vobis & ſingulis nunciamus vobis aut noſtris officialibus, & veſtrum cuilibet iniungentes expreſsè ſub pœna corporum & bonorum quatenus litteram ipſam ille ex vobis cui prius præſentabitur, præſentet eidem, & ex tunc lapſo termino decem dierum à præſentatione ipſius litteræ computandorum, infra quem ab omnibus regnis & terris noſtris eum exire iubemus vbicumque infrà commiſſos vobis diſtrictus ipſum iniquitatis filium, immo potiùs venenoſam viperam reperire poteritis,capiatis & ſub vinculis, fidiſque cuſtodibus deſtinctis ad nos, vt tot malorum defleat pœnas dignas. Vbi autem fortè in aliqua Baronia ſit, aut fuerit receptatus, receptatores quiuis fuerint requiratis cum publico inſtrumento, vt ipſum ſcandaloſum hominem vobis tradant, vel ſaltem effectualiter à ſuis mox terminis fauoribuſque repellant, & ſi hoc facere non curauerint, quod non credimus,procedatis contra eos, & alios inobedientes ſic fortiter tam per receptiones poteſtatum eorum, quæ pro nobis tenent in feudum quàm aliàs, quòd diſcant de cætero inimicos noſtros perſequi, non fouere. Nihilominus vos prædicti officiales præmiſſa faciatis in diſtrictibus veſtris voce præconia publicari vt ſingulis innoteſcant. Dat. Valentiæ ſub noſtro ſigillo ſecreto,nono die Aprilis,anno ſubſcripto.*

Andreas Saluator.

Rex Ioannes.

Exemplum huiuſmodi alieno calamo ſcriptum ſumptum fuit à ſuo originali regeſtro Sereniſſimi Regis Ioannis I. diuerſorum annorum M. CCC. XCIII. & M. CCC. XCIV. à fol. eiuſdem XCVII. præitulato in Regio Archiuo recondito, ac cum eodem comprobatum per me Michaelem Ioannem

Amat S.C. & R. Maieſtatis ſcribam mandati, Archiuarum Regētem Protonotarium in Principatu Cathalaniæ per totam terram & ditionem ſuam notarium publicum Barcinone populatum: Vt igitur eidem veluti ſuo originali prædicto in iudicio & extra fides pleniſſima impendatur, ego dictus Amat hic me ſubſcribo & meum, quo in publicis claudendis inſtrumentis vt orſignum ac vt regens Protonotariam Regium ſigillum appono.

Hæc Ioannis ſententia præmiſſis cōfirmationem adiicit deprehenſum eſſe Eymericum non omninò inſontem: Inſurgit tamen Pr. Franciſcus Diagus eiuſdem Ordinis ſcriptor modernus, qui hiſtoriam Fratrum Prædicatorum prouinciæ Aragoniæ ſcripſit potiſſimum lib. 2. c. 91. aſſerens bullam Gregorij publicatam eſſe eo anno, quo data fuit & cognitam pro vera, Apoſtolica, Gregoriana, ac proinde commotos Lulli parentes recurriſſe ad Petrum Aragoniæ Regem, quorum precibus ſequentes ad Pontificem dedit, ex quibus totum hoc conſtat.

Sanctiſſime Pater intelleximus relatu quorundam quod ſanctitas veſtra ad inſtigationem Fratris Nicolai Eymerici Inquiſitoris prauitatis hæreticæ miſit ad has partes Barchinonæ, Valentiæ & Maioricarum quoddam reſcriptum continens quod quicumque teneat de libris per Raymundum Lull, quondam ciuitatis Maioricarum factis, intra certum tempus in ipſo reſcripto contentum illos teneatur ſub excommunicationis pœna ponere in poſſe Vicariorum Epiſcoporum ipſarum ciuitatum. Nam fertur quod dictus Inquiſitor opus dicti Raymundi examinari fecit, & quod in eo aliqua inuenit quæ contra fidem catholicam exiſtunt. Cumque (Sanctiſſime Pater) conſanguinei ipſius Raymundi qui ſunt in hac ciuitate à qua ſuum genus traxit originem, cupiant valde, quod ipſum opus in eadem examinetur ciuitate. Quod rationabile nobis videtur & iuſtum.

Litteræ Regis Petri ad Pontificem.

Primò, quia opus prædictum eſt in idiomate Cathalano, ob quod abſque dubio melius intelligetur per Cathalanos, quàm per homines alterius nationis. Secundò, quia in Cathalonia ſunt plures clerici, & etiam religioſi, qui in dicto opere libenter ſtudent, cùm plurima in eo addiſcant vtilia valde, quique ſuper ipſa examinatione poterunt multa dicere, per quæ veritas demonſtretur. Tertiò, quia ſcientia dicti Raymundi habet principia valde diſſimilia aliis ſcientiis, vnde per ignorantes eam, quamuis aliarum ſcientiarum ſcientificos, poteſt de facili non intelligi. Quartò, quia magnum eſt intereſſe conſanguineorum prædicti Raymundi, ſi dictum eius opus comprobetur vel reprobetur. Vnde rationabile valde exiſtit quod ſuper hoc ipſi vocentur, & audiantur rationes eorum. Quocirca S. V. humiliter ſupplicamus, vt prouidere dignemini, quod dictum opus in hac Ciuitate examinetur, committendo examinationem ipſam Epiſcopo Barchinonæ iuxta ſupplicationem, quæ ſuper hoc noſtri parte veſtræ clementiæ offeretur. Nam de hoc nobis ſpecialem gratiam faciet benignitas veſtra. Nam ex quo dictus Raymundus erat Cathalanus, & ſubditus noſter, multum nobis placebit ſi eius ſcientia comprobetur, & proinde veſtræ ſanctitati gratias humiles referemus. Almam, &c. Datum Barchinonæ ſub noſtro ſigillo ſecreto 7. die Ianuarij anno à natiuitate Domini 1377.

Rex Petrus.

Hanc

Hanc dicit extractam ex Archiuis & Cancellis Regiis, quæ litteras continent ſcriptas ab anno 1371. vſque ad annum 1378. & habetur fol.102. cui in hunc modum ſubiicit; *Qui ponderabit datum huius epiſtolæ Regis ad Gregorium XI. & quod in ea comprehenditur; & ex alterâ parte in memoriam reuocabit Pontificem vixiſſe vſque ad April. anni* 1378. *non poterit non reſilire ab errore eorum, qui putant prædictam Bullam non eſſe Gregorij XI. & non inuentam ab Inquiſitore.* Diegus.

Sed parcat mihi, quia epiſtolam Regis legi, conſideraui benè diem datæ, Gregorij vitam in annum ſequentem protelatam concedo, adhuc tamen perſiſto in veritate (non dico errore, nec dicere poſſum) eorum qui bullam Eymericianam, non Gregorianam, faciunt. Et vt videat non me perfunctoriè diem datæ epiſtolæ Regiæ legiſſe, aliud propoſiti conficiendi argumentum non exquiram. Scripſit, vt præfertur, 7. Ianuarij anno 1377. Data eſt Bulla Gregorij (vel quæ ei imponitur) anno ſexto Pontificatus Gregorij qui eſt idem ſcilicet 1377. (electus porrò eſt anno 1370. 3. Kalend. Ianuar.& coronatus anno 1371. 8. Idus eiuſdem Ianuarij). 8. Kalend. Februarij nempe 24. Ianuarij decimoſeptimo die poſtquam ſcriptæ ſunt epiſtolæ Regis. Ergo reſcriptum de quo mentionem facit Rex Petrus, non potuit eſſe prædicta Bulla, quæ nondum edita fuit, minus autem promulgata in partibus Aragoniæ, ex cuius publicatione Rex Petrus ſolicitaretur à parentibus Lulli eius cauſa offenſis, vt ait Diegus. Sed vltra hoc velim ſcire, quid magnoperè in cauſam ſuam attexere poſſet Diegus, ſi ei promulgatam eo tum anno prætenſam decretalem liberè concederem, aut hoc ipſum ex Regis litteris conficeret, quaſi verò ex promulgatione eius veritas liqueret, cùm huiuſmodi ſurreptitia, ſeu ſuppoſita in eum finem edantur, vt promulgatione fidem & authoritatem publicam acquirant. Nos porrò liberè admittimus eam decretalem publicatam eſſe per Eymericum, aut eius inſtinctu, ſed deprehenſam eſſe poſtcà fraudem, quæ in ipſius Eymerici caput redundauit exigente iuſtitiâ, nec alioquin minima aduerſus Eymericum præſumptio militat, quod octoginta ante eum (vt ipſe fatetur) annis doctrina Lulli ſine offenſa per omnium manus terebatur, quaſi toto eo tempore obdormientibus Prælatis quingenti articuli erronei per Aragoniam & Baleares graſſarentur. Sed hæc in cauſa Lulli dixiſſe nobis ſufficit: nec enim ad examen articulorum, quos eidem imponit Eymericus deſcendere lubet, aut vacat. Quod alij meliore otio, & ſtudio ſæpius præſtitêre, & etiamnum præſtant. Sufficit ſæpius aduerſarios in doctrinam Lullianam inſurrexiſſe ſub variis Pontificibus, atque etiam in Concilio Tridentino, nihilque aduerſus eam hactenus potuiſſe.

Eodem anno num. 30.

BZOV. *Præter iſtos hæreticos, fuit etiam Arnaldus Montaneſius Minoritanum Ordinem olim profeſſus. Hic ante aliquot annos nonnullas hæreſes in diœceſi Vrgelitana ſparſerat, & à Nicolao Roſelli tituli S. Sixti*

Cardinale, tunc temporis Inquiſitore, palinodiam cantare coactus, in errore obſtinatus clam aufugerat, inque partes vltramarinas concedens, longè plures errores, & hæreſes diſſeminabat, poſtquam ſecundò ab Eymerico Inquiſitore Nicolai ſucceſſore criminis conuictus, damnatúſque fuiſſet, ſcripſit Gregorius Armando Ordinis Prædicatorum Vicario Aquilonari, qui perfidum intercipi, in vincula conijci, & ad Sedem Apoſtolicam tranſmitti curaret. Auin. Idibus Febr.

Potuit Pontifex ſiniſtrâ informatione eiuſmodi dediſſe litteras, quin & Arnaldi cauſa mox vſque adeo deſtituta fuit veritate, vt defendi atque benignè interpretari non poſſit, ſi non obſtaret inuidia, aut prauus affectus Inquiſitorum, ſatis alioquin notus: aliàs dictos articulos nequaquam hæreſis condemnarent, de quibus ita Eymericus: *Hæreſes autem, & errores huius hæretici iſti erant.*

Eymericus.

Prima hæreſis eſt: *Quod Dominus Ieſus Chriſtus & eius Apoſtoli, nihil habuerunt in proprio, nec in communi.*

Secunda hæreſis eſt: *Quod nullus poſſit damnari, qui deferat habitum Beati Franciſci.*

Tertia hæreſis ſiue error eſt: *Quod Beatus Franciſcus ſemel in anno deſcendit ad purgatorium, & extrahit inde animas illorum, qui in hac vita fuerunt de ordine ſuo, ſeu ordinibus per eundem inſtitutis, & ducit ad paradiſum.*

Quartus error: *Quod ordo B. Franciſci in perpetuum duraret.*

Hæ dumtaxat ſunt hæreſes ob quas publicè declarauit Eymericus adſertorem hæreticum fuiſſe: primus articulus congruam habet interpretationem, vt ſuperiùs aliquoties oſtendimus, tertius & quartus articulus ad fidem nullatenus ſpectant, ne reductiuè quidem: fundantur autem in probabilibus & receptis hiſtoriis; nam quod de Ordinis duratione adiicitur ex certâ reuelatione Beato Patri noſtro Franciſco facta refertur, quam perpetuo monumento continua in ſacro Aluernæ monte conſeruat traditio, ibíque in veneratione eſt lapis quadrangularis, in quo Chriſtus apparens, hæc & alia eidem ſeruo ſuo confirmauit priuilegia, quæ potiſſimum quatuor his verſibus complectitur author Firmamenti.

Franciſco fundente preces (vt tempore multo
Mos moleuit ei) cæleſtis filius ipſum
Exultare iubet, annuntio quatuor, inquit,
Dona ſuperna tibi. Stabit tuus ordo per æuum
Nullus ibi frater, cui ſit peruerſa voluntas
Stare diu poterit. Vix ordinis hoſtibus annos
Viuent, & vitam concludent fine beato.

Conſulendi præterea Gonzaga 2. part. de conuent. Aluer. in Prouinc. Tuſciæ, Piſanus lib. 1. Conform. fruct. 8. Firmament. 1. part. fol. 18. Rodulphus lib. 1. fol. 8. Antiquum ordinis memoriale referens in hoc teſtimonium Gregorij IX. idem indicare videntur Chriſti verba ad ſanctum, quæ deſcripſit S. Bonauentura in vita eius cap. 8. paulò ante medium,

medium, eaque Bzouius tranſcripſit tom. 1. Annalium ſub anno . . . numero . . multi contendunt hoc religioni Franciſcanæ nequaquam eſſe ſingulare, quin & alia inſtituta plura id ſibi à Deo conceſſum adſtruunt, tertius articulus aſtruitur etiam ex reuelatione, quam narrat Piſanus vetus author confort. part. 2. fruct. 3. Chronic. Franciſc. 2. part. lib. 4. cap. 29. neque id nouum eſt in ſanctorum legendis inſpicere ſeu legere plures ſanctos poſt mortem animas à pœnis liberaſſe, vnus tantùm ſit teſtis Leander, qui meritis glorioſi viri Sancti Alberti Magni ſex millia animarum pœnis purgatoriis liberata refert. S. Gregorius Turonenſis in ſermone de laudibus S. Laurentij martyris ſingulis feriis ſextis ait liberari eius meritis vnam animam à purgatorio. Sed hæc ſicut ad fidem non ſpectant, ita piè credenda ſunt ſine periculo hæreſis, vel reiicienda cum debitâ reuerentiâ, quid enim obſtare poteſt, quin Deus hoc ſpeciali prærogatiuâ quoſdam ſanctos ſublimare & poſſit, & velit? apud S. Antoninum tit. 24. cap. 9. §. 11. quædam mulier à morte reuocata refert ſe vidiſſe animam cuiuſdam fratris Minoris mortui, quæ tranſiens per purgatorium acceptis duabus animabus, quæ ei ante in vita confeſſæ ſunt, inde cum eis paradiſum aſcendit. Leander. Albertus.

Secundus tantum articulus calumniæ ſubeſſe poteſt, ſenſu, vt credo, adſertoris malignè intellecto, nam habitum S. Franciſci ſine ſyncero corde, & operibus geſtare non conducit, ſicut nec fides ſine operibus viuificat. Magnum eſt tamen ſancti patrocinium, & communicatio, cum vniuerſo eius corpore non inane ſuffragium. Id ego putauerim Montaneſium de præmiſſis dumtaxat quatuor priuilegiis Beato Patri noſtro Franciſco conceſſis diſſeruiſſe, quo ſpectant tertius & quartus articulus, inter dicta priuilegia hoc recenſetur quartum quod nullus alumnus regulæ Franciſcanæ, & non ex inſtituto eius viuens, ſuæque oblitus profeſſionis, diu & obſtinatè in mortali peccato languens, in ea ſit remanſurus: quia vel crimen confeſſus emendabitur, vel eo detecto, tandem fiat exlex profeſſionis excutiens iugum. Hoc aſſerere fidei non derogat, probabili traditione & certâ experientiâ fundatur, licèt enim in tantâ multitudine non poſſunt deeſſe lutea quædam vaſa in contumeliam peruerſitatis ſuæ nata, & conficta opprobrio: id tamen ſemper obſeruatum, eos, qui in reprobum intellectum dati, omnem melioris vitæ, aut emendationis ſenſum exuunt, diu latere non poſſe, & vel à Prælatis velut iam corruptos exſcindi, vel ſua peruerſitate ſenſim defluere, & abſtrahi à reliquo corpore. Hoc autem non contingit eis, qui cum infirmitate ſuâ velut recidiui luctantur, & in quibus deſiderium melioris vitæ ex lubricâ animi incontinentiâ magis intercidit, quàm omnino elanguet, vt qui peccata ſua, & fragilitatem inuiſam habentes, quotidie deflent, & ſi labantur, confeſtim reſurgunt.

BZOV. *Inque partes vltramarinas concedens longè plures errores & hæreſes*, &c.

Ex te hoc dicis? Eymericus, qui hominem iniquè poſt decem & nouem annos condemnauit, nihil tale imponit.

Anno 1374. num. 2.

BZOV. *In Valachia magna pars populorum eiurato ſchiſmate Græcanico, operâ fratrum Prædicatorum, & aliorum cooperariorum ac Ludouici Vngariæ, & Poloniæ Regis ad vnitatem fidei hoc tempore reuerterat.*

Hanc cantilenam ſuperiùs dignè exploſimus, ſed cur hîc ſolos Dominicanos memorat reticens Franciſcanos eius conuerſionis veros miniſtros? conſueta fides eſt, vt paſſim hactenus experti ſumus. Hîc tandem reſpirabimus, non quia plura ſcribenda & caſtiganda in hoc authore non occurrunt; ſed quia tot eſſe nouimus, vt compendio abolenda magis, quàm emendanda iudicemus. Potiora autem, quæ in nos ſcripſit ex propriâ inuentione, aut ex aliis de induſtriâ collectis recenſuimus, recenſita etiam debitâ percurrimus animaduerſione, ſi benè, ſi malè iudicium, non affectum imploramus lectoris, manum non appono: ſed vt dixi reſpirare volui; ſuperſunt tomi poſteriores quas recenſere oportet, quoniam ita placuit aduerſario, vt mihi potius cenſoris negotium committere maluerit, quàm ſibi ipſi; faciam quod poſtulat, & facio: experiri tamen lubet quo in loco apud eum futura ſit præſtita hactenus à nobis opera, & ſi fortè id tandem charitati & iuſtitiæ concedat, vt quod reliquum eſt per ſe & ſuos prudentius perfecerit, ne diligentiorem mox quàm proficuam ſenſerit manum noſtram quam lubentiſſimè continebo qualſcumque ſatiſfactione contentus; & ne in incertum vagetur percurrat concertationem de adoratione nominis Ieſu, quæ ſuis cum Beato Bernardino Senenſi interceſſit, quam alioquin ego tranſigam certioribus fundamentis & diplomatis, vt nihil reliquero intactũ; interim haſce ferias & mihi & lectori aſſumã velut pendente lite: ſufficiat hiſce opuſculis confertum tenere aduerſarium, ne præſcriptio creſcente tempore vires capeſceret, aut ſilentio noſtro ius iniuriæ accreſceret. Ipſius induſtriæ & prudentiæ committo, vt tempus redimat, ne in longius concertatio protrahatur, poteſt ſi vult, vt velit oro: aliàs nomen Franciſcanum mihi charum eſt, & charius vita ipſa quam pro eius defenſione ſuperimpendere, ſi res id exigeret, non dubitarem.

FINIS.

A01 1470874

E 3.